

COLLEGE of SAINT ALBERT THE GREAT
STUDENT LIBRARY
No.
Oakland, California

PHILOSOPHIA ELEMENTARIA

AD USUM

ACADEMICÆ AC PRÆSERTIM ECCLESIASTICÆ JUVENTUTIS

OPERA ET STUDIO

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

R. P. FR. ZEPHYRINI GONZALEZ,

ORDINIS PRÆDICATORUM.

VOLUMEN SECUNDUM

ONTOLOGIAM, COSMOLOGIAM ET THEODICEAM

COMPLECTENS.

Property of
COSA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

SUPERIORUM PERMISSU.

J.B.O'Connor & Co
Books, Stationery
AND MUSIC.
No. 103 Sixth Street,
SAN FRANCISCO CAL.

MATRITI:
APUD POLYCARPUM LOPEZ, CAVA-BAJA, 19.
MDCCCLXVIII.

Auctor sibi reservat jura proprietatis ad normam legum.

LIBER QUARTUS.

METAPHYSICA GENERALIS SEU ONTOLOGIA.

CAPUT PROEMIALE IN UNIVERSAM METAPHYSICAM.

§ I.

Metaphysicæ nomen, origo et notio generalis.

Nomen suum Metaphysica sortitur ex eo, quod objecta qua *ultra physica* seu supraphysica, id est, supra observationem et experientiam sensibilem posita, primario considerat. Hæc quippe scientia, nuncupatur « Metaphysica, ait D. Thomas, (1) in quantum considerat ens et ea quæ consequuntur ipsum; hæc enim *trans physica* inveniuntur in via resolutionis.» Siquidem, quamvis notio aliqua confusa entis ejusque proprietatum et principiorum, præcedat in nobis notionem entium particularium, v. g. hominis, corporum, motus, etc. attamen ad horum notitiam *distinctam* non pertingimus, nisi dum objecta præfata resolvimus in sua ultima elementa et principia, ut sunt rationes *entis*, *unitatis*, *essentiæ*, *exi-*

(1) *Prol. in lib. Metaphys.*

stentiæ, *substantiæ*, *causæ*, etc., quæ proprium Metaphysicæ objectum constituunt; unde scite ait D. Thomas, quod ea de quibus agit, *trans physica*, seu post et supra physica, *inveniuntur in via resolutionis*.

Origo autem historica hujus nominis non satis constat, quibusdam adfirmantibus, ab Aristotele ipso præfixum fuisse nomen hocce libris hujusmodi, quæ inter ejus opera reperiuntur; aliis probabilius ajentibus, titulum præfatum, vel a Theophrasto Stagiritæ discipulo, in Lyceo successore, ac bibliothecæ hærede; vel ab aliquo ex his qui postea Aristotelis opera, aut digesserunt in ordinem, aut restituerunt, aut commentariis illustravere, impositum fuisse.

Notio tandem generalis hujus scientiæ, ex nunc dictis facile colligitur et elucescit. Quandoquidem, si circa notionem entis communis ejusque attributa versatur Metaphysica, proculdubio a reliquis scientiis specie, immo vero, et genere distinguitur. Quocirca præ oculis habere oportet, scientias, utpote perfectiones reales, realiter hominem perficere, realiaque esse entia; proindeque unitati ac diversitati obnoxias esse, sicut et reliqua entia, cum unitas et diversitas omne ens reale consequantur, ut postea ostendemus. Ergo cum certo certius sit, scientiarum quasdam inter se specie aut genere convenire, quasdam vero e contra discriminari, quærere oportet et assignare rationem sufficientem hujus diversitatis et unitatis scientiarum, nisi quis velit effectum sine causa existere.

Jam vero, rei hujus rationem sufficientem aptissime reddit D. Thomas, dum docet, unitatem *specificam* scientiarum repetendam esse ex primis principiis, quibus tanquam propriis quævis utitur: *genericam* vero unitatem, ex gradu aut modo *abstractionis*, quo scientiæ objectum afficitur. Et re quidem vera, si *scientia*, qua talis, nihil est aliud quam deductio rationalis et legitima veritatum

quarumdam ex primis principiis; seu aliis verbis: evolutio logica et rationalis primorum principiorum, in quibus continentur et exprimuntur veritates quædam necessariæ, immediate et per se notæ, circa objectum illius scientiæ, pronum est colligere, *hanc* scientiam ab *illa* specie discriminari, ex. gr. Geometriam ab Arithmetica, quia prima principia Geometriæ, quæ exprimunt veritates primas et per se notas circa ejusdem objectum, differunt a primis principiis, quæ exprimunt relationes seu veritates necessarias circa objectum Arithmeticæ. Atque exinde, veritates seu conclusiones ex præfatis principiis per ratiocinium deductæ, quæ scientiam constituunt, inter se etiam necessario discriminantur, sicut ipsa principia in quibus præcontinentur et ex quibus eruuntur.

Ast, præter diversitatem specificam, superior alia tanquam generica in scientiis est admittenda. ¿Ecquis namque in dubium vertat, Ontologiam v. gr. aut Theodiceam, a Geometria magis discriminari quam Opticam aut Arithmeticam? Igitur, rationem sufficientem unitatis et diversitatis genericæ desumere oportet ex abstractionis gradu, quem scientia sibi vendicat. Nam scientiarum natura et attributa ex proprio objecto derivantur et pendent, ipsique commensurantur; cum nihil sit aliud scientia quævis, quam cognitio rationalis proprii objecti. At objecti scientifici ratio et præstantia, ex universalitate pendent, derivantur et profluunt; quippe planum est, gradum universalitatis objecti, respondere ac commensurari gradui abstractionis sub quo ab intellectu concipitur: ergo unitas et diversitas generica scientiarum, ex unitate et diversitate abstractionis desumitur.

Ex his jam facile colligitur, triplicem existere genus scientiarum, juxta triplicem gradum abstractionis qua utuntur. Quædam namque ipsarum abstrahunt a *materia singulari* tantum, hoc est, a suo objecto non excludunt, neque materiam, neque etiam qualitates seu affectiones,

materiam seu corpus sensibiliter alterantes, ut sunt calor, durities, motus, colores, etc. sed excludunt tantum singularitatem, ut Physica, Medicina, etc. Quædam vero abstrahunt a *materia sensibili*, hoc est, a suo objecto non excludunt materiam, nec extensionem quæ eam afficit; excludunt tamen, non solum singularitatem, ut præcedentes, sed qualitates sensibiles, præter quantitatem, prout contingit in pura Mathesi; etenim Geometria considerat lineam, superficiem, etc. nihil curando utrum calidæ aut frigidæ, duræ aut molles, albæ vel nigræ sint. Tandem, sunt aliæ scientiæ, quarum objectum abstrahit non solum a singularitate, sed ab omni prorsus materia, ut Ontologia et Theodicea. Ex hac profundissima solidissimaque D. Thomæ doctrina, de qua apud recentiores etiam ipsos philosophos christianos, vix verbum reperitur,

Colliges 1.° Scientias cunctas ad tria genera posse merito revocari, ita ut primum genus sit earum, quæ abstrahunt a materia singulari; et hæc, *scientiæ physicæ* nuncupari possent: alterum genus sit earum, quæ abstrahunt a materia sensibili; et *scientiæ mathematicæ* dici possunt: tertium denique genus earum sit, quæ ab omni materia abstrahunt; atque *scientiæ metaphysicæ* non incongrue appellantur. Unumquodque tamen genus plures ac diversas specie scientias continet.

Colliges 2.° Scientias eas quæ tertium genus constituunt, nobilissimas ex se ac cæteris præstantiores existere; quoniam scientiarum dignitas primaria, ex objecto et objecti universalitate desumitur. Objectum autem harum scientiarum, et nobilissimum est, et maxima potitur universalitate.

§ II.

Metaphysicæ objectum, divisio, nomina.

Objectum itaque Metaphysicæ universim acceptæ, est *ens immateriale*, seu *ens ab omni materia sejunctum*; sive sejunctio ista, logica tantum sit et intellectualis per abstractionem mentis peracta; sive realis, ut in Deo et angelis. Porro, ex hac duplici ratione, qua objectum hujus scientiæ a materia abstractum spectari potest, profluit

Divisio naturalis ac legitima hujus scientiæ in *Ontologiam*, *Cosmologiam*, ac *Theodiceam*. Ens namque immateriale, vel menti objicitur sub communissima ratione entis et proprietatum quæ ipsum commitantur, ac rebus omnibus, sive materialibus, sive immaterialibus conveniunt; et tunc exurgit *Ontologia*, quæ de ente in communi ejusque proprietatibus agit: vel in ipsis rebus corporeis et materialibus, rationes quasdam objectivas, ac relationes generales considerat, ita ut corpora et substantias materiales, incorporeo et immateriali quodam modo vestiget; et tunc exurgit *Cosmologia*, quæ de mundo et corporibus, ad normam abstractionis metaphysicæ agit: vel demum entia a materia realiter separata considerat; et tunc exurgit *Pneumatologia*, vel scientia spirituum. Sed quoniam de reliquis spiritibus a materia separatis seu angelis, vix quidpiam naturali ratione scientifice cognosci potest, hæc pars non immerito nominatur *Theodicea*, quæ de Deo scientifice agit.

Nomina idcirco diversa hæc scientia sortitur, pro diversitate officiorum et munerum, quæ in ea spectantur. Nam si spectatur universim et prout tres enumeratas partes complectitur, dicitur *Sapientia*, quatenus inferiores scientias regit ipsisque supereminet, et quia, ut habet D. Thomas, *circa maxime intelligibilia versatur*. Di-

citur etiam *Prima Philosophia;* tum quatenus aliarum scientiarum veluti fundamentum existit; tum *in quantum primas rerum causas considerat*, ait idem D. Thomas. Sin autem singulæ ejusdem partes accipiantur, variis similiter denominationibus subest. Siquidem, pars ontologica, *Metaphysica Generalis* congruo nomine jure nuncupatur; ea quippe continet principia universalissima et notiones fundamentales pro cunctis scientiis, ita ut Ontologia sit quasi truncus ex quo aliæ omnes scientiæ, etiam metaphysicæ, ut cosmologia, et theodicea derivantur, succum et robur accipientes. Similiter etiam, pars cosmologica, *Physica Generalis* posset appellari, quatenus de mundo et corporibus, sub ratione universaliori agit. Tandem theodicea, nomina quoque sibi vendicat *Theologiæ Naturalis*, ac *Scientiæ divinæ*. Porro, cosmologia et theodicea simul sumptæ, et prout ab ontologia secernuntur, *Metaphysicam Specialem* constituunt.

Observandum, hodiernos philosophos fere omnes, *Psychologiam* inter Metaphysicæ partes connumerare. Cui sane rei nos minime adsentimur. Quamvis enim ultro fateamur, psychologicam scientiam, quatenus de rationali anima in seipsa agit, ad metaphysicas scientias accedere, simul tamen præ oculis habentes, præcipuam psychologiæ considerationem versari circa animam corpori conjunctam, et prout est principium facultatum, affectionum et operationum, quæ, aut per corpus, aut non sine corpore in hac vita exercentur, existimamus hujusmodi scientiam, vel ad physicas revocandam, vel potius specialem scientiam a physicis et metaphysicis distinctam constituere.

§ III.

Metaphysicæ ratio et attributa.

Ex prælibatis liquet profecto, hanc philosophiæ partem, *scientiam* proprie dictam existere; quoniam circa proprium objectum, veritates plurimas seu conclusiones evidenter deducit ex primis ac universalissimis principiis. Immo vero, sapientiæ nomen inter naturales scientias tanquam proprium merito sibi vendicat, eo quod, et nobilius habeat objectum, et universaliora ac firmiora contineat principia. Atque ex his colligitur quoque

Distinctio Metaphysicæ ab aliis scientiis. Nam quamvis Metaphysica, eo ipso quod de communi ente agit, aliarum scientiarum objecta in se quodammodo complectatur; at ea sub diversa ratione formali attingit, sicut etiam sub diverso abstractionis gradu, diversisque principiis. Verbo: res cunctæ dici quidem possunt *objectum materiale* Metaphysicæ, quatenus hæc de ente ejusque præcipuis speciebus et modis agit, et quatenus etiam res cunctæ, implicite in ratione universalissima entis convolvuntur; at quia has ipsas res attingit, prout subsunt abstractioni a materia, in quo sita est ratio sui *objecti formalis*, ab aliis scientiis penitus secernitur; quippe scientiarum omnium distinctio, non ex materiali, sed ex formali tantum objecto, desumitur.

Speculativam porro esse hanc scientiam prima fronte apparet, cum in speculanda tantum et adipiscenda veritate circa proprium objectum tota consistat. Neque enim aliud metaphysicus, qua talis, quærit, nisi rerum prima principia, et nobilissima objecta, circa quæ scientia hujusmodi versatur, vestigare et cognoscere.

§ IV.

Metaphysicæ dignitas et utilitas.

Dignitas atque præstantia Metaphysicæ satis aperte elucescunt: 1.° quia ejus objectum, utpote universalius et abstractius, objectis aliarum scientiarum supereminet; primaria enim dignitas scientiæ ex dignitate objecti desumitur. Ast vero, objectum Metaphysicæ dignius reliquis proculdubio existit, idque sive spectetur ipsius universalitas, sive res quas speciatim considerat, ut Deum et mundum: 2.° quia ejus principia, vere *prima* sunt, quatenus non solum immediata evidentia donantur, sed ex eisdem quodammodo pendent et derivantur, reliquarum scientiarum axiomata, quapropter: 3.° scientiis aliis præstat quoad certitudinem objectivam, prout ejus objectum ac principia, ex quibus certitudo ad conclusiones derivatur, majori certitudine, necessitate, ac immutabilitate donantur. Ex quibus jure

Infertur, Metaphysicam, primatum *simpliciter* et absolute obtinere inter scientias alias naturales, quamvis Logica et Moralis primarium teneant locum accidentali ratione, seu, ut ajebant Scholastici, *secundum quid;* Logica quidem, quatenus est instrumentum generale et clavis omnium scientiarum; Moralis vero, quatenus ad eam spectat de ultimo hominis fine disserere, viamque ostendere, qua ad summam felicitatem ultimamque perfectionem, homo pertingere valet.

Utilitas demum summa ac necessitas Metaphysicæ, satis constant ex eo ipso quod, ut diximus, ea sit fundamentum, mensura, ac veluti prima regula aliarum scientiarum, quas nemo perfecte adipiscitur nisi Metaphysicam simul calleat. Vehementer itaque falluntur, qui eamdem traducunt tanquam quæ nihil in alias in-

fluat, aut societati inutilem. Qua in re, experientia et historia, cum ratione ipsa plane consentiunt; videmus enim scientias physicas, ac præsertim morales et politicas, cultui, perfectioni, ac naturæ metaphysicæ adamussim respondere, ita ut dum hæc scientia, aut negligitur, aut erronea pronuntiat, erroribus simul scateant reliquæ scientiæ, maxime vero quæ circa societatem, religionem et hominum mores, versantur.

ONTOLOGIA SEU METAPHYSICA GENERALIS.

Ontologia, quæ *scientia entis in genere* congrue dicitur, *Metaphysica Generalis* nuncupatur etiam, quatenus disserit de notionibus transcendentalibus et universalissimis, quæ non solum inferioribus disciplinis, sed ipsi cosmologiæ ac theologiæ naturali applicantur et lumen affundunt. Quapropter hæc philosophiæ pars, cum tabula generali geographica, (*Mapa-Mundi*) aptissime potest comparari. Sicut enim generalis hæc tabula, integrum terrarum orbem summatim ac per præcipua capita continet et exhibet, tabulæ vero particulares continent et explicant minutatim hæc ipsa præcipua capita, ita etiam Ontologia entia cuncta scientifice expendit sub quadam universali ratione; scientiæ vero aliæ, ipsæque cosmologia et theologia naturalis, ad entia præfata sigillatim expendenda descendunt. Quod si, ut nunc dixi, error in metaphysicis redundat in scientias alias, potissimum id locum habet quoad Ontologiam, quæ inter ipsas metaphysicas scientias prima existit, et aliarum radix et fundamentum. Ut ergo cum D. Thoma loquamur, (1) «quia parvus error in principio, magnus est in fine... ens autem

(1) *Opus. De ente et essent* Prol.

et essentia sunt quæ primo in intellectu concipiuntur, ideo primo, ne ex eorum ignorantia errare contingat, ad horum difficultatem aperiendam, dicendum est quid nomine essentiæ et entis significetur.» Ontologiam igitur quatuor capitibus absolvemus, in quorum *primo*, disseremus de ente in communi ejusque principiis; in *secundo*, de entis proprietatibus; in *tertio*, de entis causis; in *quarto*, de præcipuis entis speciebus.

CAPUT PRIMUM.

DE ENTE AC EJUSDEM PRINCIPIIS.

ARTICULUS PRIMUS.

De notione entis.

Prænotanda:

1.° *Ens* in communi dicitur, *id quod habet vel potest habere esse*. Ex quo duo colliguntur: 1.ᵐ ens dici vel denominari ab *esse*, ac proinde juxta modos et significata *essendi*, esse modos et significata entis: 2.ᵐ ens, sub communissima ratione acceptum, nec ens *actu existens*, nec ens mere *possibile*, sed utrumque simul complecti.

2.° Porro, quia ens denominatur et dicitur ab *esse*, triplicem significationem obtinet, juxta triplicem significationem τὸ *esse*; quod quandoque significat modum essendi *objective* tantum in anima cogitante, ut contingit in entibus rationis: quandoque significat nexum aut repugnantiam inter extrema propositionis, sive hæc extrema aliquid reale sint, vel secus, ut in hac: *cæcitas est malum quoddam:* quandoque significat *existentiam* realem vel ordinem ad ipsam. Ergo ens communissime acceptum, dispesci debet in *ens rationis*, *ens logicum*, ac

ens reale. Hocce postremum Ontologia considerat, ipsique adaptatur entis tradita notio qua dicitur, *id quod habet vel potest habere esse;* etenim *esse*, sumitur hic pro existentia reali et actuali.

5.° Est igitur ens veluti concretum quoddam, formam, nempe, existentiam realem, et subjectum ejus, nempe, essentiam, simul significans. Unde nomen ens potest quoque accipi pro essentia sola, ut si dicam: *mundus qui a Deo potest creari diversus ab isto, est ens:* ubi *ens* pro sola essentia accipitur, facitque hunc sensum: *est res cui non repugnat esse*, tuncque dicitur ens sumi *nominaliter*. Si vero essentia concipitur prout subest actuali exercitio existendi, tunc dicitur sumi per modum *participii* verbi *sum es.* Cum ergo loquimur de ente in communi, aut ipsum de aliquo enunciatur, accipiendum est de ente sumpto nominaliter, seu prout significat essentiam capacem quidem existentiæ actualis, sed cum præcisione ab hujus exercitio. Quibus prælibatis sit

THESIS 1.ª

Ens, si nominaliter sumitur, constituit prædicatum essentiale rerum omnium; si vero sumatur per modum participii, nonnisi de Deo essentialiter prædicatur.

Prob. 1.ª pars. Ens nominaliter sumptum, significat ipsam essentiam rei cui non repugnat habere existentiam; atqui essentia rei de re prædicatur essentialiter, quippe nihil est magis intimum ac essentiale rei quam ipsa ejus essentia: ergo.

Prob. 2.ª pars. Quod essentialiter de aliquo prædicatur, necessario et immutabiliter ei inest; quoniam rerum essentiæ sunt necessariæ et omnino immutabiles; atqui necessario et immutabiliter actu existere, soli Deo convenit; quippe solus Deus necessario et a se exis-

tit, omnia vero creata, ab ipso recipiunt esse, et producuntur in esse ab alio: ergo.

THESIS 2.ª

Ens, nec est genus logicum, nec contrahitur ad inferiora per differentias logicas, sed per modos exprimendi realitatem et essentias rerum.

Prob. 1.ª pars. Genus logicum univoca ratione prædicatur de inferioribus, ita ut ratio communis per nomen genericum significata, æquali modo inferioribus congruat: sic, v. gr. realitas actu significata per nomen *animal*, æquali modo in homine, in leone, bove etc. reperitur. Atqui ratio entis ad inferiora non descendit secundum rationem eamdem; alio quippe modo et sensu ens dicitur de Deo, qui est ipsum *esse* essentialiter; et aliter de creaturis, quæ esse ab alio recipiunt et participant: ergo ens de inferioribus univoce non prædicatur, ac proinde genus logicum non constituit.

Adde his, rationem entis, nec ipsis creaturis univoce congruere. Nam diversa plane ratione ens dicitur de substantia, ac de accidente; de substantia enim simpliciter, absolute et primario dicitur, at de accidente, secundum quid, relative et secundario: substantia quoque ens dicitur absque dependentia necessaria ab accidenti; accidens vero cum dependentia et ordine ad substantiam, sine quibus nec concipi potest: unde et dici solet *entis ens*, id est, ens substantiæ inhærens.

Prob. 2.ª pars. Differentiæ propriè dictæ, quæ genus logicum contrahunt, debent esse extra conceptum seu rationem communem generis contrahendi et determinandi, sicut rationalitas, ex. c. est extra conceptum animalis, cum conceptus animalis, sit omnino independens a conceptu rationalis; quinimmo, animal sine rationalitate existere possit. Atqui nulla differentia inve-

nitur extra rationem et conceptum entis: siquidem, quæcumque assignetur differentia; vel est nihil, vel est aliquid reale: si primum, nequit ens contrahere aut determinare: si secundum, jam non est extra conceptum entis, sed hunc potius continet et exprimit, quia quidquid *reale* est, *ens* est: ergo.

Tertia pars ex dictis infertur. Nam si ens essentialiter includitur in omnibus naturis et realitatibus, quæcumque illæ sint, nec per differentias ullas extra ejus conceptum positas contrahi potest, necessario consequitur, ipsum, eatenus ad inferiora descendere ac per illa determinari, quatenus hujusmodi naturæ inferiores, *hoc* vel *illo* speciali modo exprimunt eamdem communem rationem entis, quæ in omnibus necessario includitur, ac de omnibus essentialiter prædicatur.

Corollaria:

Primum. Ergo ens definitioni proprie dictæ non subest. Definitio enim proprie dicta, rem definitam revocat ad conceptus universaliores et simpliciores; ens autem est conceptus omnium universalissimus ac simplicissimus. Attamen, definitioni improprie dictæ subest, quatenus declarationem aliquam et explicationem terminorum suscipit.

Secundum. Ergo notio objectiva entis est maxime perspicua, et prima quoad intellectum. Siquidem, experientia ipsa teste, quisque in seipso percipit, se claram notionem entis in communi habere: ac dum objectum aliquod percipimus, statim perspicue percipimus illud esse *ens*, quamvis simul penitus ignoremus ipsius naturam et attributa. Exinde jure merito docet D. Thomas, ens non solum esse primum cognitum ab intellectu, sed ad alias notiones præsupponi, tanquam fundamentum et conditionem ipsarum. « In prima operatione, (*intellectus*) (1)

(1) *Metaphys.* lib. 4.°, lect. 6.ª

est aliquod primum, quod cadit in conceptione intellectus, scilicet, hoc quod dico *ens;* nec aliquid hac operatione potest mente concipi, nisi intelligatur ens.»

Tertium. Ergo merito docebant Scholastici, ens analogice tantum de inferioribus prædicari. Quandoquidem, si nec genus logicum est, nec per differentias contrahi potest, ejus ratio objectiva, non una et eadem est perfecta similitudine in inferioribus de quibus prædicatur, sed una et eadem propter similitudinem tantum imperfectam, ex comparatione, respectu, aut proportione aliqua. Sic, quamvis entis ratio tribuatur Deo et creaturis, at diverso gradu et sensu id locum habet; quia Deo, quatenus est ipsum esse purum et a se existens; creaturis vero, quatenus sunt essentiæ seu naturæ quæ habent aut possunt recipere esse. Similiter, in ipsis creaturis, substantia dicitur ens, quatenus est in se et per se sine dependentia ab accidente; sed accidens, dum dicitur ens, τὸ ens includit dependentiam et relationem necessariam quoad substantiam. Unde et substantia definiri potest absque respectu ad accidens; at hoc nequit definiri, quin definitionem ejus ingrediatur respectus et dependentia a substantia. Ergo notio objectiva entis, dum substantiæ et accidenti tribuitur, non eadem, sed quadantenus solum similis sive analoga existit.

Quartum. Ergo notio entis est notio transcendentalis. Transcendentalis enim notio ea dicitur, quæ includitur in omni re. Ens autem, ex dictis, ejus est conditionis, ut reperiatur imbibitum in quavis formalitate aut gradu cujuscumque realis naturæ. Sic, ex. c. homo vere dicitur *ens*, qua *animal*, qua *rationale*, qua *substantia*, etc. Nulla enim positiva realitas in homine, aut in quavis alia natura adinveniri potest, quæ subterfugiat rationem entis.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° contra 2.am thesim. Ens dicit conceptum univocum respectu inferiorum de quibus prædicatur: ergo. Prob. ant. Ens dicit unicum conceptum præcisum ab inferioribus, cujus signum est quod possumus esse certi rem aliquam esse ens, et simul ignorare utrum sit substantia, vel accidens: ergo.

Resp. Neg. ant. Ad prob. dist. ant. Præcisum *perfecte et distincte* ab inferioribus, neg. *imperfecte et confuse*, conc. Neque enim ens significat aliquam realitatem seu formalitatem objectivam, in qua actu non includantur rationes differentiales, quibus determinatur in substantia et accidente; nam, ut jam dixi, quæcumque supponatur differentia, illa ens erit, ac proinde non extra conceptum entis: si autem intra conceptum entis continetur; ergo hic conceptus non perfecte abstrahit seu præscindit ab illa differentia, nec ab inferioribus in quibus reperitur.

Objic. 2.° et simul instabis. Si ens esset analogum respectu Dei et creaturæ, non possemus creaturas concipere, quin prius natura conciperemus Deum; quod tamen secus accidit: ergo. Prob. ant. Eatenus ens diceretur analogum quoad Deum et creaturas, quatenus ratio entis perfecte et absolute invenitur in Deo, in creaturis vero imperfecte et cum dependentia a Deo, quod quidem pertinet ad analogiam attributionis: sed in analogis attributionis, minus analogatum non concipitur, nisi prius aut saltem, simul, concipiatur majus analogatum, sicut patet in medicina, quæ non concipitur, qua *sana*, nisi prius aut simul concipiendo sanitatem animalis: ergo.

Resp. Dist. ant. Non possemus concipere creaturas *sub ratione creaturæ*, quin prius, etc. conc. quatenus entia, seu præcise *sub ratione entis*, neg. Et ad prob. dist. ant. In analogis attributionis minus analogatum non concipitur, nisi prius concipiatur majus analogatum, *si minus analogatum recipiat denominationem analogam ex forma ipsi extrinseca*, conc. *si recipiat ex forma ipsi inhærente*, neg. Quamvis creaturæ, qua tales, concipi nequeant, quin prius, vel simul natura Deus cogitetur, quia nomen hocce necessariam relationem includit ad Creatorem; attamen, si creaturæ spectentur præcise quatenus *entia* sunt, mentis considerationi objici possunt cum præcisione a Deo: possum enim considerare entitatem et naturam hominis, nihil cogitans de Deo, quantumvis hominis entitas nequeat in rerum natura existere nisi præsupposita Dei existentia. Quod autem additur, minus analogatum non concipi sine principali, hoc tantum locum habet quando minus analogatum, tale denominatur, per respectum ad formam vel entitatem extra ipsum existentem, prout contingit en medicina, quæ *sana* dicitur per respectum ad sanitatem, quæ in animali existit. Ast vero creatæ res, entia denominantur, non per entitatem quæ est in Deo, sed ratione entitatis propriæ quæ ipsis inest; dicitur tamen res creata minus analogatum, quatenus imperfectius quam Deus suscipit rationem et realitatem entis. Ex quo infertur etiam, eos complecti utrumque genus analogiæ: *attributionis*, quatenus creatura respectu Dei, et accidens respectu substantiæ, minus principaliter ac imperfecte rationem communem participant: *proportionis*, quatenus ratio entis omnibus interne inest, quod proprium est analogis proportionis.

Objic. 3.° Deum perfecte cognoscimus secundum rationem entis, siquidem demonstramus Deum esse: ergo ratio entis, saltem quoad nos, eadem est quoad Deum

et creaturas. Prob. cons. Deum cognoscimus per creaturas et ex creaturis, ipsi, nempe, tribuendo perfectiones quas in his videmus: ergo ratio entis quam Deo tribuimus, eadem est cum ea quam in creaturis detegimus.

Resp. Dist. ant. Deum perfecte etc. *quoad certitudinem cognitionis*, conc. *quoad penetrationem ejus esse et realitatis*, neg. Similiter dist. ant. prob. Ipsi tribuendo perfectiones quas in creaturis videmus, *ita ut concipiamus eodem modo existere in Deo et creaturis*, neg. *diverso gradu*, conc. Deum realiter existere, ac proinde esse *ens*, certo cognoscimus ac perfecte demonstramus; at non idcirco penetramus infinitam perfectionem quam esse divinum continet. Scimus tamen, hujusmodi Dei *esse*, perfectius existere ac infinite distare ab *esse* creato, ac proinde non univoce, sed analogice tantum cum eo convenire. Quod idem, aliis perfectionibus quæ in creaturis observantur, accommodatur. Ex perfectionibus creaturæ assurgimus quidem ad perfectiones Dei; at simul judicantes, has perfectiones, non ejusdem, sed potius diversæ rationis esse in Deo et in creaturis.

SCHOLIUM.

Notum est ontologismi adseclas, systema hocce, ut plurimum, superstruere tanquam fundamentali principio, communi illi effato quod D. Thomas tuetur, nempe, *ens esse primum cognitum ab intellectu*, ejusque notionem cunctis aliis in mente hominis præsupponi. Ex quo colligunt ontologi, Deum, qui est primum et absolutum ens, esse primum et immediatum objectum humani intellectus, ex cujus intuitione procedit ad reliquas notiones rerum capessendas. Ast vero hic, ut sæ-

pe alias contingit, magnus error exurgit ac tegitur sub terminorum et idearum confusione, qua ontologi ens *commune* cum ente *absoluto* confundunt, cum tamen duo hi conceptus prorsus inter se discriminentur. Siquidem, *ens commune* significat et includit notionem universalem et abstractam, quæ infinitis fere modis determinari ac contrahi potest; ast vero *ens absolutum*, idem est ac ens perfectissimum, perfectiones omnes, ac proinde ipsam existentiam realem continens; quapropter ipsi repugnat contrahi et determinari per alios modos reales, tum quia omnem realitatem essendi actu continet, tum quia ut essentialiter existens, ac proinde ut singulare concipitur. Ergo cum ontologismi propugnatores ajunt, rationem humanam primo et immediate intueri *ens*, ontologismum ex hoc principio educentes et evolventes, sufficiet ad integrum ædificium funditus evertendum, concedere, rationem humanam primo et immediate intueri *ens commune;* negare vero, eam intueri *ens absolutum*. (1)

ARTICULUS SECUNDUS.

De principiis constitutivis entis.

Duplicis generis principia quoad ens commune investigare debet metaphysica scientia, nempe, principia ex quibus ens primario constat quasi elementis internis, quæ proinde principia *compositionis* dici queunt; et principia quibus mens ad entis cognitionem primario fertur, quæ principia *cognitionis* nuncupamus. A principiis itaque compositionis ut exordiamur, sit

(1) Vid., *Estudios sobre la Filosofía de Sto. Tomas*, lib. 2.°, cap. 1.° et 2.°

§ I.

De actu et potentia.

Prænotanda:

1.° Nomine *actus* in creatis, intelligenda venit *realitas* aliqua, quæ complet et *perficit* rem *capacem* hujus realitatis sive perfectionis. Quare merito D. Thomas definit actum per *perfectionem;* quia revera quivis actus, qua talis, est perfectio; sicut e contra, *potentia* quæ ipsi opponitur, qua talis, imperfectionem audit. Nam id quod *potest* actum seu realitatem aliquam actualem recipere, inferius est seipso prout spectatur cum illa realitate et perfectione. Dixi *in creatis*, quia in Deo actus non est realitas quæ complet et perficit rem, quæ concipiatur aut sit in potentia, sed est realitas pura et perfectio absoluta. Ergo potentia definiri potest: *aptitudo ad aliquam realitatem habendam.*

2.° Ex his infertur: 1.° solum Deum esse actum *purum*, quia solus Deus excludit a se omnem imperfectionem, ac proinde omnem potentialitatem: 2.° omnem actum in creatis, esse *impurum* seu admixtum potentiæ. Dupliciter tamen actus admixtus potentiæ dici potest: 1.° quatenus est actus, vel determinatio alicujus potentiæ, ut *intelligere*, est actus potentiæ intellectivæ: 2.° quatenus ipse est in potentia ad ulteriorem actum: sic, facultas intelligendi est actus et perfectio animæ rationalis, et simul est in potentia ad actum intelligendi vel intellectionem actualem.

3.° Porro, juxta diversos gradus et respectus qui in actibus creatis inveniuntur, variæ emergunt actus et potentiæ divisiones, quarum præcipuæ sunt:

a) In actum *primum*, qui alium non præsupponit, ut forma substantialis, quæ esse substantiale rei tribuit: et

actum *secundum*, qui alium supponit, ut intelligere supponit intellectum, et generatim forma accidentalis supponit substantialem.

b) In actum *subsistentem*, qui dicitur ille qui absque consortio materiæ existere potest, ut angeli, et anima rationalis: et actum *non subsistentem*, qui sine materia existere nequit, ut animæ brutorum. Actus porro prior, si nec aptitudinem habeat ad unionem substantialem cum materia, dicitur *complete subsistens*; secus vero, *incomplete subsistens*.

c) Potentia vero *passiva*, de qua solum hic loquimur, quia activa est verus actus admixtus potentiæ, alia est *objectiva*, quæ nihil aliud est quam *rei possibilitas absoluta*, seu non repugnantia rei; alia est *subjectiva*, et est aptitudo rei ad aliquid recipiendum.

d) Quæ rursus in *naturalem*, et *obedientialem* congrue dispescitur. *Naturalis* dicitur potentia rei ad recipiendum actum vel perfectionem, quæ naturæ vires non superat: *obedientialis* e contra, est aptitudo rei ad effectum, vel perfectionem supra naturæ vires positam, sive supernaturalem. Quibus prælibatis sit

THESIS 1.ª

Omne ens creatum constat actu et potentia.

Prob. Omne ens creatum est obnoxium mutabilitati, quippe solus Deus omnimoda immutabilitate fruitur; atqui quod est obnoxium mutabilitati, constat actu et potentia: ergo. Prob. min. Eatenus res quævis mutatur, quatenus, vel recipit quod non habebat, vel amittit quod ipsi inerat: ergo mutatio fit quatenus aliquis actus seu perfectio additur, aut subtrahitur potentiæ, id est, subjecto, prout aptum est et *potens* realitatem actualem

acquirere, vel amittere: ergo mutabilitas rei necessario præ se fert actum et potentiam in re.

THESIS 2.ª

Existit in creaturis potentia passiva obedientialis quoad actus naturæ vires excedentes, sive quoad effectus supernaturales.

Prob. 1.° Potentia passiva obedientialis nihil est aliud quam aptitudo seu non repugnantia ad recipiendum aliquem actum seu perfectionem, quæ a causis naturalibus produci nequeat; atqui hujusmodi aptitudo in rebus creatis reperitur: ergo. Prob. min. Deus, utpote potentia infinita præditus, ac vires totius naturæ superans, potest proculdubio producere in substantia creata effectus, ad quos pertingere nequeunt causæ et vires naturæ; atqui potentia ad hos effectus producendos præsupponit necessario *receptivitatem*, sive aptitudinem ad eos recipiendos ex parte subjecti; si enim repugnaret eos recipi in subjecto, repugnaret quoque ipsorum productio: ergo. Maj. ex se patet; nam, ut scite habet D. Thomas (1) «quanto aliqua virtus activa est altior, tanto subjectam sibi potentiam potest perducere ad altiores effectus, ut natura potest ex terra facere aurum, aliis elementis commixtis, quod ars facere non potest. Et inde est, quod res aliqua est in potentia ad diversa, secundum habitudinem ad diversa agentia.»

Prob. 2.° ex factis. Gratia, fides theologica, spes, etc. vires naturæ superant, et tamen in homine recipiuntur ipsumque perficiunt: ergo est in homine aptitudo seu capacitas ad hæc recipienda, quæ est ipsissima potentia

---

(1) *QQ. Disp. De Pot.* q. 6.ª, art. 1.° ad 18.m

passiva obedientialis. Immo etiam, qui hanc potentiam rejiceret, rejiceret ex hoc ipso possibilitatem miraculi; quandocumque etenim miraculum patratur, creatura ita obedit Creatori, ut aliquid recipiat quod naturæ vires in ea nequeunt producere; quod quidem passivam hanc potentiam obedientialem constituit; nam, ut habet D. Thomas, «ista vocatur potentia obedientiæ, secundum quod quælibet creatura Creatori obedit.»

Notandum tamen 1.° rejiciendam esse sententiam eorum, qui, præter passivam, aliam potentiam obedientialem activam in creatura ponunt; quasi hæc nullam formam vel realitatem in se recipiens, sed sola voluntate Dei, possit producere effectum supernaturalem. Quæ sane opinio contradictoria loquitur. Nam creata natura nihil de novo recipiens, sed intra naturæ propriæ fines se continens, nequit profecto producere effectum, naturæ ordinem et vires superantem: secus enim, hic effectus esset simul supernaturalis, ut suponitur; et naturalis, quia procederet ex viribus huic naturæ propriis, quin novas reciperet.

Notandum 2.° præfatam potentiam passivam, universalem quidem esse, at non eo sensu, ut quamlibet perfectionem quævis creatura recipere possit: non enim lapis, ex. c. ad Deum intuendum elevari potest; sed quatenus creatura quævis elevari a Deo potest ad omnia quæ contradictionem non involvunt, seu quæ ejusdem propriam essentiam non tollunt.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. adversus 2.^{am} thesim. Potentia passiva obedientialis esset potentia supernaturalis; atqui nihil supernaturale existit in creaturis, secundum propriam naturam spe-

ctatis: ergo. Prob. maj. Potentia dicitur ad actum, et juxta modum actus est modus potentiæ; sed actus quem respicit potentia obedientialis, est quid supernaturale, ut dictum est: ergo etc.

Resp. Dist. min. Nihil supernaturale *per modum realitatis seu entitatis actualis* existit in creaturis, conc. *per modum puræ capacitatis receptivæ*, seu *per simplicem non repugnantiam ad recipiendum*, neg. Porro, cum adfirmatur inesse creaturis potentiam obedientialem, nulla entitas supernaturalis ipsis conceditur, sed mera receptivitas fundamentalis; quæ quidem ab ipsa natura vel essentia creaturæ realiter non distinguitur, sed est ipsamet substantia naturalis, quatenus connotat ordinem sive respectum transcendentalem ad Deum, ut Causam Primam infinite potentem.

Objic. 2.° Ideo diximus non inesse creaturis potentiam obedientialem activam, quia si inesset, aliquid supernaturale ex propria natura eis inesset; atqui eadem est ratio de potentia passiva, quippe illa non minus quam ista Deo subjicitur: ergo.

Resp. Neg. min. et paritatem. Potentia enim activa jam ipsa est actus, ac realitas vel forma quædam, quæ commensurari debet actui, qui ex illa egreditur veluti a causa efficienti immediata, sicut aqua non potest calefacere, nisi habeat realitatem seu formam caloris, qui est causa immediata et ratio sufficiens calefactionis. Ast potentia passiva, qua talis et ut mera capacitas receptiva, nullam formam seu realitatem exigit, præter naturam ipsam, vel substantiam rei.

§ II.

De essentia et existentia.

Prænotanda:

1.° Diximus supra, ens in communi esse id quod habet vel potest habere esse, ita ut sit veluti concretum quoddam, in quo essentia confuse et indeterminate significata per τὸ *id quod habet esse*, sit veluti subjectum recipiens *esse*, quod se habet per modum formæ in hocce concreto. Ergo essentia, sicut ipsum ens cujus est quasi elementum et principium, per omnia rerum genera vagatur. Quidquid enim esse habet vel habere potest, *aliquid* est seu essentiam aliquam habet. Ex quo ulterius consequitur, essentiam esse primam et universalissimam potentiam respectu entis, cum in omni ente reperiatur; *esse* vero sive existentiam, habere rationem actus respectu ejus. Essentia ergo et existentia sunt prima potentia et primus actus, quibus constat, ut supra diximus, omne ens creatum. (1)

2.° Itaque essentiæ nomine intelligitur: *id quo res est id quod est, et non aliud*, vel aliis terminis: *id quo res constituitur in determinato entis genere*, ut humanitas, est id quo homo est homo et non aliud. Exinde infertur, conceptum essentiæ abstrahere posse a conceptu existentiæ actualis, quo in casu *ens*, si de ea enuncietur, accipitur nominaliter, non tamen ab existentia possi-

---

(1) *Prima*, inquam, potentia et *primus* actus quoad universalitatem, quatenus cuilibet creato enti congruunt; cum alia sint, quæ dici queunt prima potentia et primus actus respectu determinatorum entium, ut materia prima, aut forma substantialis, quoad substantias materiales. Similiter, subsistentia est actus prior existentia, quoad entia substantialia. Ast sola essentia et existentia reperiuntur in quolibet ente creato, sive materiali, sive spirituali, sive substantiali, sive accidentali: atque hoc sensu dicuntur prima potentia et primus actus. Quod adnotatum velim, ne quis morosius cavilletur circa præfatas denominationes.

bili; omnis quippe essentia *potest* existere. Quamvis essentia nequeat proprie definiri propter ipsam simplicitatem et universalitatem quibus donatur, varias tamen subit declarationes, præter allatam, juxta varios respectus, quos in ipsa mens attingit. Sic, per respectum ad existentiam, dicitur: *id cujus actus est esse.* Per respectum ad intellectum: *id sine quo res intelligi nequit,* atque etiam: *id quo respondetur ad quæstionem quid est;* unde et *quidditas* aliquando, apud veteres, nuncupatur. Per respectum ad prædicata, proprietates et accidentia quæ ipsi attribuuntur: *id quod est primum in re, et radix cæterorum quæ rei conveniunt.* Quandoque apellatur *forma*, quatenus est id quo res essentialiter constituitur ac determinatur: quandoque vero *natura*, quatenus est radix et principium operationum et motuum.

3.° Essentia rei, si explicetur aut definiatur per partes ejusdem metaphysicas seu logicas, ut sunt *animal* et *rationale* respectu hominis, dicitur essentia *metaphysica* rei, vel etiam *notionalis.* Si vero per partes physice ac realiter distinctas, ut si homo definiatur per *corpus organicum* et *animam rationalem*, dicitur *physica.* Ubi vides, rem definitam, esse unam et eamdem, totamque differentiam sitam esse in modo; quatenus, nempe, prior procedit per conceptus partiales, quibus non respondet realis distinctio in re, ut animalitas in homine ab ejusdem rationalitate non distinguitur; in posteriori vero, distinctio realis partium respondet partibus definitionis.

4.° In qualibet essentia, præter determinationes, realitates, vel prædicata quæ essentiam constituunt, spectari possunt determinationes seu realitates aliæ, quæ essentiam quidem non ingrediuntur, sed tamen intimum nexum habent cum ipsa, ita ut ex eadem necessario profundi concipiantur, ut capacitas scientiæ, facultas loquendi, ex essentia hominis: hujusmodi vocantur, *attributa, proprietates*, et quandoque apud veteres, *passiones*

entis, vel *essentiæ*. Quidam vocant essentiam *physicam*, eam quæ consideratur cum hisce proprietatibus ac etiam *accidentibus* seu modis, rei inhærentibus, et quibus pro nostra conditione in hac vita utimur, ad rerum essentias venandas. Ex quibus

5.° *Colliges*, nos maxima in ignorantia versari circa rerum essentias, cum ad eas mediate tantum et quasi indirecte perveniamus per rerum proprietates, operationes, et accidentia. Atque, ut bene habet D. Thomas, (1) «quia essentiales rerum differentiæ sunt ignotæ frecuenter et innominatæ, oportet interdum uti accidentalibus differentiis ad substantiales differentias designandas.» Nec tamen idcirco Locke adsentiri oportet, dum absolute docet, substantiarum reales essentias, esse nobis penitus ignotas. ¿Quis enim inficiabitur, nos essentiam trianguli, atque essentiam hominis, saltem incomplete, id est, quoad determinationes aliquas essentiales cognoscere?

6.° Circa rerum creatarum essentiam, duplicem quæstionem vestigare et solvere oportet, quarum prima, ejus immutabilitatem; altera, distinctionem ab existentia in creatis respicit. Pro quarum solutione sit

THESIS 1.ª

Rerum essentiæ immutabiles sunt, si in seipsis vel secundum se spectentur.

Dico *si in seipsis spectentur*, quia si sermo sit de essentia prout actuali existentiæ subest, mutabilis proculdubio est dicenda, quatenus de esse ad non esse transit aut desinit existere.

---

(1) *QQ. Disp. De Potent.* q. 9.ª art. 2.ª ad 5.m

Prob. 1.° Essentia rerum secundum se spectata et prout præscindit ab actuali existentia, nihil est aliud quam consensus vel non repugnantia conceptuum et prædicatorum, quæ ipsam constituunt; atqui ejusmodi consensus ac non repugnantia prædicatorum, semper ac eodem modo se habent, nec a conceptu essentiæ separari possunt: ergo. Prob. min. Si mutarentur vel a conceptu essentiæ sejungerentur, jam non eadem, sed alia essentia exsurgeret. Sic, si ab homine auferatur animalitas, vel rationalitas, jam non homo, sed alia essentia haberetur; immo vero, nec Deus ipse efficere potest, vel proprius loquendo, effici nequit, ut triangulum tribus angulis non constet.

Prob. 2.° Quod est indivisibile, qua tale, est immutabile; atqui rerum essentiæ, qua tales, sunt prorsus indivisibiles: ergo. Min. patet. Quolibet quippe essentiali prædicato, addito, vel sublato, jam non eadem essentia remanebit. Quam ob rem, merito D. Thomas rerum essentias comparat numeris, in quibus minima additio vel subtractio, sufficit ad speciem mutandam. «Si aliquid addatur vel subtrahatur alicui numero, (1) etiamsi sit minimum, non erit idem numerus secundum speciem; minimum enim in numeris est unitas, quæ si addatur ternario, surgit quaternarius, quæ est alia species numeri... Et similiter est in definitionibus, (quæ continent et exprimunt essentias rerum) quia quocumque addito vel ablato, est alia definitio, et alia natura speciei.»

Corollarium.

Colligitur ex dictis, vehementer errare Cartesium, dum a philosophia christiana abhorrens, et novam cudere aggressus, docet rerum essentias metaphysicas, mutabiles esse ac ex Dei voluntate pendere. Quem errorem, ut tueatur, statuit, intellectum nostrum in sua cognitione,

(1) *Metaphys.* lib. 8.°, lect. 3.ª

præsenti rerum statui accommodari, ita ut si Deus rerum essentias mutaret, intellectus noster experiretur mutationem respondentem mutationi essentiarum. Quod sane nihil aliud est, quam veritatem quoque mutabilem facerere, scepticismo viam sternere, ac unum errorem alio majori tueri conari.

THESIS 2.ª

In rebus creatis essentia realiter distinguitur ab existentia.

Hanc thesim Angelicus Doctor habet tanquam veritatem fundamentalem philosophiæ christianæ, eam sexcentis plus minus locis vehementer propugnat, ac ex eadem colligit ac constituit unam e differentiis primariis, quibus Deus a creaturis secernitur. Quoniam vero cuncta ipsius argumenta in rem hanc afferre non licet, seligemus verba, ex opusculo *De Ente et Essentia*, quæ exhibent veluti specimen generale theoriæ ejus circa quæstionem istam.

Postquam itaque edixit, angelos, sive substantias intellectuales a materia penitus separatas, quas D. Thomas sæpe *intelligentias* vocat, compositionem materiæ excludere, subdit: «Hujusmodi ergo substantiæ, quamvis sint formæ sine materia, non tamen in eis est omnimoda simplicitas, nec sunt actus puri, sed habent permixtionem potentiæ: et hoc sic patet. Quidquid enim non est de intellectu essentiæ vel quidditatis, hoc est adveniens extra, et faciens compositionem cum essentia, (sicut albedo vel scientia sunt extra essentiam Petri, ipsique adveniunt per aliquam causam ab essentia distinctam; unde et compositionem involvunt, quatenus Petrus albus vel sapiens, est ens compositum ex hac natura humana et hac albedine vel scientia, quæ ab ipsa essentia Petri realiter distinguitur,) quia nulla essentia,

sine his quæ sunt partes essentiæ, intelligi potest. (Sicut homo intelligi aut concipi nequit sine anima, idque non solum abstracte, sed etiam concrete et in singulari, sicut *hic* homo concipi nequit sine *hac* anima rationali.) Omnis autem essentia vel quidditas, intelligi potest sine hoc quod aliquid intelligatur de esse (existentia *actuali*, quæ semper, apud D. Thomam, per *esse* designatur, nisi aliud ex adjunctis constet) suo facto; possum enim intelligere quid est homo, vel phœnix, et tamen ignorare, an esse habeant in rerum natura: ergo patet quod esse est aliud ab essentia vel quidditate.»

Quæ verba, prout declarata a nobis manent, veram ac veluti primam constituunt thesis nostræ probationem. Subjungit vero D. Thomas, suam theoriam evolvens: «Nisi forte sit aliqua res, cujus quidditas sit suum esse: et hæc res non potest esse nisi una et prima; quia impossibile est ut fiat plurificatio alicujus, nisi per additionem differentiæ, sicut multiplicatur natura generis in speciebus; vel per hoc quod forma recipitur in diversis materiis, (sicut anima bruti in diversis corporibus, quoad formas substantiales; et sicut calor multiplicatur et diversificatur, quatenus recipitur in hac materia, *aqua*, ex. gr. vel in illa, ut in *ligno*, si sermo sit de formis accidentalibus) sicut multiplicatur natura speciei in diversis individuis; (sicut natura humana multiplicatur et diversificatur, prout recipitur vel existit in Petro, Paulo etc.) vel per hoc quod unum est abstractum, (separatum) et aliud in aliquo receptum, sicut si esset quidam color separatus, esset alius a colore non separato, ex ipsa sua separatione. Si autem ponatur aliqua res quæ sit esse tantum, ita ut ipsum esse sit subsistens, (hoc est, si ponatur existentia actualis, ex se et in seipsa solum subsistens) hoc esse, non recipiet additionem differentiæ, quia jam non esset esse tantum, sed esse, et præter hoc, forma (essentia vel natura) aliqua... Unde re-

linquitur quod talis res, quæ sit suum esse, non potest esse nisi una. Unde oportet quod in qualibet alia re, præter eam, sit aliud, esse suum, et aliud, quidditas, vel natura, seu forma sua. Unde in intelligentiis, (angelis) oportet quod sit esse præter formam; (id est, essentiam) et ideo dictum est, quod intelligentia est forma et esse.»

Ex hisce D. Thomæ verbis prob. 2.° thesis. Si esse seu existentia angelorum non recipitur realiter in essentia tanquam in re distincta, sed cum ipsa identificatur, sequeretur: 1.° angelis inesse æqualem simplicitatem ac Deo ipsi: 2.° esse res infinitas et illimitatas: ergo. Prob. ant quoad 1.m Essentiæ angelorum sunt formæ seu realitates simplices et indivisibiles, per respectum et comparationem ad materiam et omnia materialia, quæ substantiis corporeis conveniunt: ergo, vel carent omni compositione *reali*, ac proinde sunt undequaque simplices, sicut Deus; vel includunt compositionem *realem* ex essentia et esse, tanquam ex actu et potentia, quæ est minima compositionum realium, et qua sublata, restat simplicitas absoluta Dei. Ergo, vel dicendum, simplicitatem perfectam excludentem omnem compositionem realem, non esse attributum Dei; vel admittenda in angelis aliqua compositio realis, quæ sane alia nequit esse nisi ex essentia et existentia, cum, apud omnes, angelorum essentia sit penitus simplex.

Prob. quoad 2.m Ideo dicitur esse Dei includere omnes perfectiones possibiles, ac esse infinitum et illimitatum, quia est esse absolute irreceptum, hoc est, quia in se et per se subsistit absque eo quod in *alia re* recipiatur, sed in seipso solum recipitur: ergo si esse angelorum non recipitur in essentia tanquam in *alia re*, sed cum ipsa prorsus identificatur, erit esse irreceptum sicut esse Dei, ac proinde infinitum et illimitatum in linea entis. Sicut enim si supponamus, colorem secundum se, ex. gr. ab omni corpore separatum, in se et per se subsistentem, conti-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

neret in se quidquid ad colorem spectat, essetque proinde infinitus et illimitatus in *linea coloris;* ita si supponamus esse aliquod non receptum in *alia re*, sed in seipso existens, erit infinitum et illimitatum in *linea entis*, ac proinde absolute; ideo namque Deus, infinitus absolute dicitur, quia est infinitus in *linea* seu *ratione entis*. Cæterum, si in angelis essentia et esse realiter distinguuntur, a fortiori id continget, in substantiis inferioribus ac minus simplicibus.

Prosequitur D. Thomas: « Omne autem quod convenit alicui, vel est causatum ex principiis naturæ suæ, ut risibile in homine, vel advenit ab aliquo principio extrinseco, sicut lumen in aere ex influentia solis. Non autem potest esse, quod ipsum esse sit causatum ab ipsa forma (essentia) vel quidditate rei, sicut a causa efficiente; quia sic aliqua res esset causa sui ipsius, et aliqua res seipsam in se produceret, quod est impossibile: ergo oportet, quod omnis talis res, cujus esse est aliud a natura sua, habeat esse ab alio. Et quia omne quod est per aliud, reducitur ad id quod est per se, sicut ad causam primam; ideo oportet quod sit aliqua res, quæ sit causa essendi (existendi) omnibus rebus, eo quod ipsa est esse tantum; alias iretur in infinitum in causis, cum omnis res quæ non est esse tantum, habeat causam sui esse, ut dictum est. Patet ergo quod intelligentia est forma, (seu essentia) et esse, et quod esse habeat a Primo Esse, quod est esse tantum: et hoc est Prima Causa, quæ est Deus.

Omne autem quod recipit aliquid ab alio, est in potentia respectu illius, et hoc quod receptum est in eo, est actus ejus: ergo oportet quod ipsa forma vel quidditas, quæ est intelligentia, (angelus) sit in potentia respectu esse, quod a Deo recipit, et illud esse receptum est per modum actus; et ita invenitur actus et potentia in intelligentia, non tamen forma et materia.» Quæ

D. Thomæ verba duplicem probationem continent. Unde ex eis

Prob. thesis 3.° Habere realitatem aliquam per participationem et recipiendo ab alio tanquam a causa efficienti, est modus habendi prorsus diversus a modo habendi eamdem realitatem per essentiam propriam, tanquam per causam formalem; sed existentia in creaturis habetur a causa efficienti, in Deo autem habetur per essentiam propriam, et propter hoc ipsum identificatur cum ipsa essentia: ergo in creaturis, in quibus existentia non habetur per essentiam, hujusmodi existentia nequit identificari cum essentia.

Prob. 4.° Realitas vel formalitas, quæ de re, etiam singulari, prædicatur ipsique convenit, quia in ea producitur ab aliqua causa efficiente, vel quia, ut ait D. Thomas, *advenit ab aliquo principio extrinseco*, est distincta ab ea realitate, quæ rei convenit per ipsam suam essentiam, ita ut sine ea concipi nequeat. Sed existentia in rebus creatis, ipsis convenit per ordinem ad aliquod agens extrinsecum, nempe, Deum; realitates vero, vel prædicata essentialia, ex ipsa essentia, quæ immutabilis est, qua talis, nec a Dei voluntate pendet, sicut existentia: ergo sicut lumen quod est in *hoc* aere, realiter distinguitur a *corporeitate* ipsius aeris, quia lumen aeri advenit ab agente extrinseco, ratio vero *corporis* ipsi inest per essentiam, ita similiter existentia actualis in *hoc* aere, quæ ipsi advenit per Deum, realiter distinguitur ab ejusdem *corporeitate*, quæ eidem convenit per se et per essentiam, solumque differunt exempla, quatenus lumen separari potest ab aere, ipsique posterius tempore advenit, existentia vero *hujus* hominis, ex. gr. Petri, simul cum essentia adest, nec ab ea unquam separari potest. Paucis verbis: cum dico: *Petrus est rationalis*: essentia Petri est causa formalis et ratio sufficiens quare rationalitas ipsi convenit, ita ut vere dici possit, quod *hæc* rea-

litas, nempe, *hæc* rationalitas, convenit Petro, quia habet *hanc* essentiam humanam. Ast vero, cum dico: *Petrus actu existit:* essentia Petri non est causa formalis aut ratio sufficiens prædicati; non enim vere dicerem, quod *existere actu* convenit Petro, *quia* habet essentiam humanam, sed quia existentiam recipit ab aliqua causa efficiente.

Ex hucusque dictis, jam « patet quomodo essentia invenitur in diversis, concludit D. Thomas. Invenitur enim triplex modus habendi essentiam in substantiis. Aliquid enim est, sicut Deus, cujus essentia est ipsum suum esse; et ideo inveniuntur aliqui philosophi dicentes quod Deus non habet essentiam, quia essentia ejus non est aliud quam esse ejus.....

Secundo modo, invenitur essentia in substantiis creatis intellectualibus, in quibus est aliud esse quam essentia ipsarum, quamvis essentia sit sine materia: unde esse earum, non est absolutum sed receptum; et ideo limitatum et finitum ad capacitatem naturæ recipientis. Sed natura vel quidditas earum, est absoluta, non recepta in aliqua materia; et ideo dicitur in libro *De Causis*, quod intelligentiæ sunt finitæ superius et infinitæ inferius: sunt enim finitæ quantum ad esse suum, quod a superiori recipiunt; non tamen finiuntur inferius, quia earum formæ, (essentiæ) non limitantur ad capacitatem alicujus materiæ recipientis eas.....

Tertio modo, invenitur in substantiis compositis ex materia et forma, in quibus, et esse est receptum et finitum, propter quod et ab alio esse habent; et iterum, natura vel quidditas earum, recepta est in materia signata: et ideo sunt finitæ et superius et inferius.» (1)

---

(1) Ne plus æquo longiores simus in elementario opere, alia argumenta et probationes prætermittimus. Vid. D. Thom. præter loc. cit.,

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Cum P. Cuevas. «Simul ac concipimus rei alicujus essentiam extra nihilum, adeoque extra proprias ejusdem causas poni, quin aliud omnino cogitemus, intelligimus existere essentiam realem ac physicam..... Ergo essentia realis non existit vi alicujus rei a se ipsa realiter distinctæ: ergo nec realiter distinguitur ab existentia.»

Resp. Omitto ant. et neg. cons. Mirum profecto, hominem non mediocris sane ingenii, argumentum hocce tanquam præcipuum pro identitate essentiæ et existentiæ proponere. Equidem, ex eo quod simul ac concipimus essentiam aliquam extra nihilum et causas poni, intelligimus existere essentiam realem ac physicam, bene quidem consequitur, essentiam fieri *existentem quatenus* ponitur extra causas et nihil; sed minime consequitur, hanc essentiam positam extra causas, non distingui ab existentia *qua* ponitur. Ex eo enim quod unum sine alio intelligi nequit, non semper sequitur quod identificentur. Simul ac concipitur motus localis, concipitur etiam spatium in quo fiat; immo vero, localis motus sine spatio nequit intelligi: nec tamen idcirco quis dixerit, spatium a motu non distingui. Similiter ergo, cum concipimus essentiam extra nihilum et causas positam, concipimus eam ut *existentem;* quia eatenus res dicitur *existens,* quatenus extra causas ponitur: at non idcirco necessario concipimus, quod hæc existentia, *qua* res po-

---

Sum. cont. Gent., lib. 1.°, cap. 22 et lib. 2.°, cap. 52.—*QQ. Disp. De Potent.*, quæst. 7, art. 4.—*Sum. Theol.*, 1.ª p., quæst. 3.ª, art. 4.°. Vid. etiam, *Estudios* etc., lib. 2.°, cap. 6 et 7.

nitur extra causas, sit unum et idem cum hac re *quæ* ponitur extra causas.

Instabis cum eodem: Existentia, utpote aliquid reale, habet propriam ac determinatam essentiam; atqui hæc non distinguitur ab existentia: ergo nec in aliis rebus.

Resp. 1.° Existentia per se primo differt et veluti contraponitur essentiæ, ad quam comparatur tanquam actus ad potentiam propriam. Itaque, sicut actus alii, ex. gr. actio intelligendi, per se primo distinguitur a potentia, quam respicit, nec tamen ipse in seipso est potentia sed tantum actus, ita existentia per se primo differt ab essentia, nec tamen essentia dici potest, nisi improprie ac sensu universalissimo, si essentia nominetur *quidquid est reale quovis modo*. Quinimo, id etiam constat ex ipsa definitione essentiæ, dum dicitur: *id quod habet, vel potest habere esse: id cujus actus est esse.*

Resp. 2.° Etiam concesso existentiam gaudere essentia proprie dicta, vim nullam obtinet argumentum. Nam thesis intelligenda venit de essentia completa et perfecta, prout reperitur in substantiis completis et subsistentibus, non vero de essentiis incompletis. Porro, essentia existentiæ, si hæc aliquam habet, proculdubio est incompleta; quandoquidem, existentia sola non substantiam completam, sed ejus partem, vel potius modum, complementum et actum constituit.

Objic. 2.° cum Balmes. Essentia hominis, si abstrahatur ab ejusdem existentia, ad nihilum reducitur: ergo realis distinctio non intercedit inter easdem.

Resp. Dist. ant. Si abstrahatur *abstractione reali* sive *separationis*, conc. *abstractione entitatis* sive *distinctionis*, neg. Æquivocatio ac petitio principii latent in hac objectione. Certum quidem est, essentiam Petri ad nihilum reduci, id est, desinere esse, si existentia ab ea realiter separetur, quia existentia est id *quo* essentia extra

nihilum ponitur: at ex hoc minime sequitur, quod in Petro, dum existit, essentia seu natura humana non sit entitas sui generis, realiter distincta ab existentia, quæ eamdem complet et perficit, sicut actus propriam potentiam subjectivam. Res patebit exemplo: si supponamus Petrum actu moveri, et abstrahamus abstractione reali, hoc est, si separemus substantiam Petri ab ejus motu, hic ad nihilum reducitur ac desinit esse; nec tamen ex hoc legitime infertur, motum actualem Petri identificari cum ejusdem substantia.

Objic. 3.° cum Suarez. Essentia actualis, v. g. Petri, præcisa ab existentia, vel considerata sine existentia, est tantum potentia rei; sed potentia rei est nihil in seipsa, solumque habet realitatem prout est in Deo; ergo.

Resp. Dist. maj. Essentia etc. est tantum potentia *objectiva* rei, neg. potentia *subjectiva*, conc. Argumentum hocce, sicut et alia plurima, quæ adversus thesim adduci solent, fundamentum unice habent in confusione potentiæ objectivæ et subjectivæ. Itaque, essentia quævis spectari potest: 1.° quatenus involvit meram potentiam objectivam, vel quod in idem recidit, quatenus consideratur in statu possibilitatis, antequam creetur et existat; quod non tantum essentiæ, sed ipsi quoque existentiæ tribui potest, cum existentiam cogitare possimus præcise ut possibilem: 2.° quatenus physice existit, hoc est, quatenus habet exercitium existendi per existentiam quam in se recipit: 3.° tandem, quatenus comparatur ad hanc existentiam actualem, qua informatur, tanquam potentia subjectiva ad proprium actum, ab ea quidem inseparabilem dum actu existit, realiter tamen distinctum; sicut dum Petrus movetur, quamvis ejus substantia separari nequeat a motu, ita ut hic permaneat in suo esse, tamen hæc substantia Petri distinguitur a motu, ad quem comparatur tanquam propria, realis et subjectiva poten-

tia ad proprium et realem actum. Cum ergo adfirmatur in thesi posita, essentiam in creatis realiter distingui ab existentia, tanquam potentiam ab actu, intelligendum est de essentia tertio modo considerata, quæ est veluti media inter essentiam mere possibilem, et existentiam actualem, reduplicative ut exercitam in tali essentia. Verbo: inter actum existendi, et nihil entitativum rei possibilis in seipsa, mediat potentia subjectiva, quæ involvit entitatem positivam, quæ quidem entitas, est *res quæ existit*, at non seipsâ, sed *per* existentiam, *ratione cujus* habet actu existere.

§ III.

De supposito et subsistentia.

Prænotanda:

1.° Sicut existentia ens actuat et perficit sub ratione *entis*, ita subsistentia ens perficit in linea *substantiæ;* quapropter subsistentia ens substantiale tantum respicit. Est igitur subsistentia: *modus substantialis, vel actualitas, qua substantia redditur completa, ita ut fiat sui juris quoad esse et operari.* Dicitur modus *substantialis*, quia ad genus substantiæ et non accidentis pertinet, vel directe, si ab ipsa natura realiter non distinguatur, vel reductive, si distinguatur. Dicitur *qua redditur completa;* proprium est namque subsistentiæ complere naturam, idque ita ut natura seipsam plene possidens, non indigeat alteri enti communicari ut existat et operetur; quod exprimitur per verba illa: *ita ut fiat sui juris quoad esse et operari.* Ex qua subsistentiæ notione, notio suppositi facile eruitur.

2.° Siquidem, quævis substantia, individua, completa et alteri incommunicabilis ut sit et operetur, *suppositum* merito vocabitur. Quod si ejusmodi suppositum, rationalis

vel intellectualis sit substantia, *persona* tunc appellatur.

Ergo suppositum est veluti concretum ex natura substantiali et subsistentia, de qua proinde quæri potest, utrum realiter ab ipsa natura distinguatur, ipsique addat veram entitatem, vel tantum negationem unionis naturæ cum alia nobiliore, prout Scotus et alii quidam voluere.

THESIS 1.ª

Subsistentia realiter distinguitur a natura quæ in ea et per eam subsistit.

Prob. 1.° Possumus concipere quidquid pertinet ad naturam substantialem individuam, ex. gr. ad naturam humanam Petri, absque eo quod concipiamus eam seipsam ita possidere, ut possit per se existere et operari; siquidem, etiam postquam concipimus naturam humanam cum prædicatis essentialibus et necessariis, atque etiam ut singularem, adhuc eam concipere possumus ut *communicabilem* alteri rei, in qua et per quam existat et operetur, ac proinde non undequaque perfectam et terminatam. Ergo id quod extra animam respondet conceptui subsistentiæ, est realitas vel perfectio, quæ non includitur necessario in conceptu naturæ substantialis singularis.

Prob. 2.° ex mysterio Incarnationis. Juxta fidem catholicam, Verbum assumpsit naturam humanam, singularem seu individuatam, perfectam et completam in ratione naturæ, et tamen non assumpsit subsistentiam humanam: ergo personalitas, ac proinde subsistentia, realiter distinguitur a natura *personata* aut subsistente. Si enim subsistentia et natura sunt omnino unum et idem secundum rem, qui assumit unum, assumit et aliud secundum rem: ergo si Verbum assumpsit naturam humanam, assumpsit quoque subsistentiam humanam secundum rem.

Nullus itaque philosophus catholicus inficiari potest hujusmodi realem distinctionem inter naturam et subsistentiam. Quod vero attinet ad naturam hujus distinctionis, probabilius habemus subsistentiam ab essentia, non tanquam *res a re*, sed potius tanquam *modus a re* distingui; tum quia, ut diximus, est modus substantialis naturæ; tum quia ex natura substantiali necessario profluit, ita ut ab ea sejungi nequeat nisi per Dei omnipotentiam, idque ejusdem vices supplendo.

THESIS 2.ª

Subsistentia non in mera negatione, sed in entitate vel actualitate positiva consistit.

Prob. Subsistentia, ex dictis, perficit naturam substantialem, eam reddendo undequaque completam, in se sistentem et terminatam, ita ut possit ex se et per se solam existere et operari; atqui hæc omnia exprimunt in suo conceptu realem entitatem ac positivam perfectionem, nisi velimus dicere, quod pura negatio seu nihilum, perficit et complet naturam, eamque reddit independentem et incommunicabilem quoad esse et operari: ergo.

Adde his, hanc thesim haberi posse tanquam corollarium præcedentis. Quandoquidem, si subsistentia consistit in mera negatione seu carentia unionis cum altero ente, jam proprie dici nequit, suppositum seu subsistentiam realiter distingui a natura; quoniam negatio in seipsa nihil est, seu nullam entitatem includit: ergo juxta hanc hypothesim, natura subsistens, *solum* discriminatur a natura non subsistente per *nihilum*, seu per rem quæ in seipsa nihil est: ergo realiter revera non distinguuntur; nulla quippe *realis* differentia adstrui potest inter duas res vel naturas, quarum una nullam realitatem positivam seu perfectionem habet præter aliam. Ergo qui inficiantur subsistentiam esse perfectionem seu

entitatem positivam, inficiari quoque coguntur, subsistentiam a natura realiter distingui, nec facile est videre qua ratione Incarnationem Verbi exponere valeant. Etenim, si subsistentia vel personalitas nullam realitatem positivam affert naturæ, capi vix potest, quid significetur, dum dicitur Verbum assumpsisse naturam humanam singularem et individuam, non tamen personam humanam.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Persona humana idem est ac homo singularis; statim quippe ac concipimus hominem singularem, concipimus personam humanam; atqui homo individuus nullam realitatem positivam addit propriæ naturæ *singularizatæ:* ergo.

Resp. Dist. maj. Persona humana idem est ac homo singularis, si *homo singularis* sumatur pro natura singulari in se ipsa sistente, terminata et ulterius incommunicabili, conc. si sumatur præcise pro natura humana individuata, neg. Hæc vox *homo*, sicut et *Petrus*, concrete significant, ac proinde ex se, non solam naturam individuatam vel singularem, sed naturam *incommunicabilem*, in se sistentem et terminatam ad operandum, proprie significant. Itaque, absolute loquendo, veritatem non continet hæc locutio: *persona humana idem est ac humanitas individuata;* nam in Christo existit humanitas individuata, non tamen persona humana. Solum ergo verificatur hæc locutio, quatenus personalitas humana consequitur ac comitatur naturaliter et necessario, naturam humanam individuatam, ita ut ex vi naturæ, et præcisive ab omnipotentia Dei, ubicumque ac eodem instanti in quo ponatur natura humana individuata, ponatur cum subsistentia vel personalitate, quæ ex natura ipsa necessario pullulat, nisi divinitus impediatur.

Objic. 2.° Subsistentia concipitur advenire naturæ jam existenti simpliciter: ergo si distinguitur realiter ab ipsa natura, erit quid accidentale. Prob. cons. Quidquid simpliciter existenti advenit, accidens est: ergo.

Res. 1.° Non deesse philosophos et theologos asserentes, subsistentiam, naturæ ordine, priorem esse existentia, quæ est ultima rei actualitas naturam completam præsupponens. Quod si objicias, in hac hypothesi explicari non posse quomodo Christus assumpsit naturam singularem ac proinde existentia præditam, absque subsistentia, dicam: 1.° quod Verbum potuit gerere vices personalitatis eamque supplere, simul non supplendo existentiam, nec eam impediendo: 2.° plurimos theologos docere, naturam humanam in Christo existere per existentiam increatam Verbi; cui sane sententiæ aperte etiam favet D. Thomas. Sed

Resp. 2.° Dist. ant. Subsistentia etc. *naturam perficiens ac complens in linea substantiæ*, conc. quasi naturam perficiens *in linea entis*, sicut perficit et complet existentia, neg. Quamtumvis enim natura existens supponatur, ac proinde completa in ratione entis actualis, adhuc tamen incompleta et imperfecta erit qua *substantia*, donec in se sistens, adæquate per se operans, ac incommunicabilis concipiatur; quod quidem ipsi congruit per subsistentiam. Quod si accidens sumatur, non pro physico, sed pro accidente prædicabili seu logico, subsistentia accidens potest appellari, quatenus ipsa, sicut et existentia, principia essentialia naturæ specificæ non ingrediuntur.

Objic. 3.° D. Thomas docet subsistentiam non distingui realiter in angelis a natura, siquidem expresse habet de angelis: (1) «unde in eis non differt supposi-

---

(1) *Sum. Theol.*, 1.ª P., q. 3, art. 3.°

tum et natura;» atqui eadem est ratio de aliis naturis: ergo.

Resp. Neg. maj. Nisi enim apertam contradictionem in eo agnoscamus, fateri oportet, apud D. Thomam, suppositum et naturam in solo Deo identificari, ut pluries expressis terminis docet, ac inter alia, dum scribit: (1) «In Deo est omnino idem suppositum et natura: in angelo autem non est omnino idem, quia aliquid accidit ei præter id quod est de ratione suæ speciei; quia, et ipsum esse angeli est præter ejus essentiam seu naturam, et alia quædam ei accidunt, quæ omnino pertinent ad suppositum, non autem ad naturam.» Itaque in laudato loco, sermonem habet de supposito minus proprie dicto, quod est individuum. Siquidem, juxta theoriam D. Thomæ circa principium individuationis, angeli, utpote formæ simplices et immateriales, individuantur ex seipsis, hoc est, per ipsam suam essentiam immediate; ac proinde in eis, individuum (quod ibi vocat *suppositum*) non distinguitur ab ipsa natura, sicut distinguitur in aliis substantiis, quæ individuantur, non per seipsas immediate, sicut angeli, sed per materiam signatam quantitate. Porro, Doctorem angelicum sermonem illic habere, non de substantia proprie dicta, sed de individuo et individuatione, constat ex verbis ipsis quæ præmittit eis, quæ in argumento citantur, dum ait: «In his, quæ non sunt composita ex materia et forma, in quibus individuatio non est per materiam... sed ipsæ formæ per se individuantur, oportet quod ipsæ formæ sint supposita subsistentia; (quidam probabilius legunt, *suppositæ subsistentiæ*, quod argumentum penitus evacuat) unde in eis non differt suppositum et natura.»

---

(1) *Quodl.* 2.° art. 4.°

SCHOLIUM.

Nota est opinio Locke ajentis, personalitatem humanam in conscientia cogitationis esse repositam, (1) ita ut identitas personæ, ex identitate conscientiæ internæ dependeat. In qua sane refellenda sententia immorati non sumus, quia ex absurdis ipsis, quæ ex eadem consequuntur, satis superque refellitur. Et quidem, ut reliqua prætermittam: 1.° hæc sententia circulo vitioso continetur; eatenus quippe scimus et conscii sumus, præteritos actus et functiones, ad *nosipsos* attinere, quatenus nostram identitatem experimur ope conscientiæ, ita ut *identitas* subjecti cogitantis, necessario præsupponatur *identitati* conscientiæ: 2.° ex ea sententia consequitur: 1.° eos qui delirio aut amentia tenentur, puerosque ante rationis usum, personam amittere, dum amittunt conscientiam præteritorum actuum: deinde, personam imminui et continuo mutari, tum quoad eos qui somno indulgent, tum universim quoad cunctos homines; quandoquidem experimur, conscientiam et memoriam præteritorum actuum, minui, augeri, continuo immutari, ac penitus amitti quoad aliqua. Nisi ergo velimus dicere quod persona in homine minuitur, augetur ac continuo mutatur, opinationem Locke tanquam commentum rejiciemus.

---

(1) «Puisque la conscience accompagne toujours la pensée, et que c'est là ce qui fait que chacun est ce qu'il nomme soimême, et par où il se distingue de toute autre chose pensante, c'est aussi en cela seul que consiste l'identité personnelle, ou ce que fait qu' un etre raisonnable est toujours le même: et aussi loin que cette conscience peut s'etendre sur les actions ou les pensées dejà passées, aussi loin s'etend l'identité de cette personne.» *Essai Phil.* lib. 2.° cap. 27.

ARTICULUS SECUNDUS.

De principiis cognitionis entis.

Diximus in Logica, prima principia cognitionis dici eas propositiones, quarum veritas, perceptis terminis, perspicue percipitur. Et quoniam hujusmodi propositiones plures existunt, quæri solet utrum inter eas aliqua sit primatum tenens. Pro cujus recta intelligentia ac solutione, quædam sunt

Prænotanda:

1.° Propositiones et judicia, vel continent veritatem *singularem*, ut hæc: *nunc pluit;* vel veritatem *universalem analyticam*, dum prædicatum in notione subjecti continetur, ut hæc: *corpus est extensum;* vel *universalem syntheticam*, in qua prædicatum extra notionem subjecti continetur, ut hæc: *quædam corpora sunt fluida*, in qua prædicatum subjecto tribuimus, non ex ipsa analysi subjecti, sed ex experientia.

2.° Dum quæritur num existat aliquod *primum* principium cognitionis, id triplici sensu accipi potest: 1.° *pro principio transcendentali veritatis*, seu pro veritate aliqua, ex qua reliquæ omnes enascantur et profluant, vel etiam sine qua intellecta et admissa, nullam aliam veritatem cognoscere possit homo: 2.° pro veritate seu *principio primo demonstrationis*, ita ut sit aliquod principium, per quod ad veritatem revocari possit directe, vel indirecte, ille qui alias veritates inficiatur: 3.° *pro principio præsuppositionis*, hoc est, pro aliqua veritate, quæ, implicite saltem, includatur in aliis judiciis nostri intellectus, et quæ contineat primum judicium ab intellectu efformatum.

3.° Certum prorsus est apud omnes qui pantheismo

non adhærent, nullum in nobis existere principium *primum* prioris generis; quoniam solus Deus, utpote veritas prima, universalis, et transcendentalis, omnes alias veritates in se continet et exprimit, eo ipso quod continet et exprimit omne ens, cum sit ipsum esse subsistens. Quæstio ergo devolvitur ad determinationem principii, tunc *demonstrationis*, tunc *præsuppositionis*. Qua in re, non uno ore loquuntur philosophi, quibusdam pro principio evidentiæ, aliis pro principio seu effato Cartesii decertantibus. Sed antequam nostram sententiam proferamus, refellere oportet Kant, qui præter judicia a nobis supra memorata, alia commentus est.

4.° Itaque, philosophus iste, præter judicia in quibus prædicatum subjecto tribuitur ratione experientiæ et non quia in ejus notione includatur, quæque apud ipsum judicia synthetica *a posteriori* audiunt, alia admittit *judicia synthetica a priori*, in quibus prædicatum, nec ex notione et analysi subjecti enascitur, nec per experientiam ipsi tribuitur, sed ex ipsa ratione, quæ sponte sua et veluti instinctive fertur ad attribuendum tale prædicatum subjecto, non quod objectivam realitatem hujus convenientiæ pervideat, sed quia ad id fertur ex formis quibusdam ipsi menti inhærentibus. Exemplum facit in principio causalitatis: *quidquid fit causam habet*, quod vocatur *syntheticum*, quia prædicatum in notione subjecti non continetur, juxta ejus sententiam, sed est quid ipsi extraneum; *a priori* tamen, quia convenientia prædicati cum subjecto per experientiam non habetur; quoniam hujus propositionis veritas, necessaria est et universalis omnem excedens experientiam. Quibus prælibatis sit,

THESIS 1.ª

Judicia synthetica a priori, ad sensum Kant, sunt prorsus rejicienda.

Prob. Illa judicia sunt rejicienda, quæ ad scepticismum et idealismum ducunt; atqui sic se habent judicia synthetica a priori, quæ tuetur Kant: ergo. Prob. maj. Judicia in quibus assensus præbetur absque eo quod intellectus motivum objectivum assensus pervideat, ita ut intellectus rei assentiatur, non quia, vel per evidentiam, vel conscientiam, vel experientiam videt, *rem ita se habere*, sed quia ex seipsa inclinatur et fertur ad assensum præstandum, ad scepticismum et idealismum ducunt; atqui sic se habet mens in judiciis sintheticis a priori, ex ipsomet Kant; siquidem, ipse statuit, mentem in hujusmodi judiciis, assentiri, vel dissentiri ex seipsa, quasi necessaria vi tracta, absque eo quod percipiat prædicatum contineri in notione subjecti, aut subjecto tribui propter testimonium cujuscumque experientiæ: ergo.

Et re quidem vera, doctrinam hujusmodi Kant admittere, idem est ac admittere, regulam et mensuram veritatis judiciorum nostrorum esse ipsam nostram mentem, non vero objecta ipsa percepta et cognita; ex quo ulterius necessario consequitur, cognitiones nostras exprimere, non quid *res sint*, sed quid nobis *videantur*, vel potius, mentem nostram esse rationem sufficientem et causam nexus inter prædicatum et subjectum, ac exinde veritatis rerum; quod certe pantheismo quoque viam sternit. (1)

---

(1) Nihil ergo mirum, si Fichte theoriam kantianam evolvens, ad pantheismum idealistam devenerit, dum statuit, omnia quæ sunt, si quæ realiter sunt, ipsumque Deum, cuncta originem ducere ex infinita activitate ipsius mentis nostræ, sive ex τὸ *ego puro*.

THESIS 2.ª

Primum principium, tum demonstrationis, tum præsuppositionis, est principium contradictionis.

Prob. 1.ª pars. Illud est primum principium *demonstrationis*, ex quo, semel admisso, ad veritatem revocari potest, saltem indirecte et mediate, qui alia principia negaverit; atqui sic se habet principium contradictionis: ergo. Prob. min. 1.° experientia ipsa, qua videmus, in omni argumentatione et controversia, ultimum terminum esse ad principium contradictionis; semper enim ac de aliquo disceptatur, si non directe, at saltem indirecte, vel per explicationem terminorum, ultimatè devenire oportet ad principium contradictionis, et donec ad ipsum perveniamus, superest sermoni et controversiæ locus: 2.° quia ipsummet Cartesii effatum, quod ex propria natura, a principio contradictionis maxime distare videtur, indirecta et declarativa ratione ab illo pendet et ad illud revocatur. Si enim supponamus quemquam negare illud effatum, ei dici potest: «dum negas *te cogitare*, simul dicis sive affirmas *te cogitare*, atque idcirco adversaris principio contradictionis quod admittis ut verum; namque ex una parte, negas te cogitare; ex alia parte, adstruis cogitationem in te, dum *dicis*, vel *scis* te non cogitare; siquidem, qui *scit* et affirmat se non cogitare, jam cogitat; quia *dicere*, *scire*, vel *affirmare* aliquid, non fit sine cogitatione: ergo dum inficiaris hoc effatum: *ego cogito*, simul cogitas et non cogitas.» Ergo principium contradictionis, ejus naturæ est, ut si semel ut verum admittatur, cunctæ aliæ veritates per ipsum *demonstrari*, possint, demonstratione, vel directa, vel indirecta, vel perfecta, vel imperfecta.

Prob. 2.ª pars. Illud est primum principium *præsuppositionis*, quod constat ideis seu notionibus universalis-

simis et clarissimis, quæque simul in quavis alia notione necessario imbibuntur ac præsupponuntur; atqui sic se habet principium contradictionis, cujus elementa constituuntur per notionem entis simul cum his quæ ex eadem immediate profluunt. Hæc porro notio, non solum universalissima et omnium clarissima existit, sed aliis conceptibus seu notionibus necessario præsupponitur ac in eis imbibitur: ergo.

Sicut ergo primum quod de re qualibet concipimus est ratio *entis*, nec ullam realitatem determinatam in re apprehendimus, quin præsupponatur in ipsâ notio entis, ita similiter, *primum* quod de re *judicamus*, est quod non possit simul esse, et non esse; quod proinde judicium præsupponitur, et implicite imbibitur et continetur in quovis alio judicio. Aptissime igitur ac scite D. Thomas ait: (1) «Illud quod primo cadit in apprehensione, est ens, cujus intellectus (conceptus) includitur in omnibus quæ quis apprehendit. Et ideo, primum principium indemonstrabile est quod non est simul affirmare et negare, quod fundatur supra rationem entis et non entis; et super hoc principio omnia alia fundantur.» Nempe, quoad ordinem *demonstrationis* et *præsuppositionis*, ita ut principium hocce haberi debeat, tanquam formula universalis et ultima in ordine demonstrativo, et simul tanquam formula universalis et *prima* in ordine judiciorum, quæ humana ratio efformat.

Corollarium.

Ergo nec Cartesii effatum, nec cartesianorum principium vulgatum: «quidquid continetur in idea clara et distincta alicujus rei, potest de illa affirmari,» rationem habent primi principii demonstrationis et præsuppositionis. Siquidem, præter allatas probationes pro contradictionis principio, effatum Cartesii necessario præsupponit notio-

(1) *Sum. Theol.* 1.ª 2.æ q. 94, art. 2.°

nem entis, sine qua, nec cogitatio, nec ejus subjectum concipiuntur; ac proinde, virtualiter saltem et implicite, includit et præsupponit cognitionem et veritatem principii contradictionis. Quod vero attinet ad principium cartesianorum, in primis, eadem argumentatione ac præcedens refellitur: deinde, cum versetur circa ipsam evidentiam *qua* res cognoscimus, per actum reflexum intellectus efformatur, ac proinde, nulla ratione *primum* dici potest; siquidem, judicium reflexum, necessario præsupponit judicium *directum*.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° cum Kant adversus primam thesim. Propositio exprimens principium causalitatis continet judicium syntheticum; atqui non est syntheticum *a posteriori*, quia relatio necessaria inter prædicatum et subjectum non ex sola experientia habetur: ergo. Prob. maj. Judicia analytica ea sunt, in quibus prædicatum continetur in notione subjecti; atqui id locum non habet in principio causalitatis, notio enim *causæ* non continetur in notione effectus: ergo.

Resp. Neg. maj. Ad prob. neg. min. Etenim, eo ipso quod principium causalitatis habet pro subjecto notionem effectus, (1) judicium analyticum evadit; quoniam *effectus*, reduplicative qua effectus, nec concipi potest

---

(1) Sunt qui principium causalitatis: *quidquid fit causam habet*, vel aliis terminis: *non datur effectus sine causa*, confundunt cum principio *rationis sufficientis: quidquid est, rationem sufficientem sui habet.* Sed perperam: non enim omnia quæ *sunt*, etiam *efficiuntur;* Deus enim existit et sibi ipsi est *ratio sufficiens* existendi, sed non efficitur, nec est causa sui ipsius. Unde notio et principium rationis sufficientis, latius patent quam notio et principium causalitatis.

quin simul concipiatur ejus nexus et dependentia a causa, quamvis bene possit concipi in seipso et præcise sub ratione entis. Sic, possum considerare hunc effectum, ex. gr. pomum quod est in hac arbore, quatenus est quoddam ens ab aliis distinctum, nihil cogitando de ejusdem productione et causa, sub quo respectu non includit notionem causæ. Sed tamen, si considero pomum quatenus de novo incipit esse, vel quatenus *fit*, quod est ipsum considerare sub ratione *effectus*, necessarium nexum habet cum notione causæ; ac proinde, in principio causalitatis prædicatum subjecto tribuitur per ejusdem analysim, et non ex synthesi, quasi superaddendo subjecto aliquid ipsi extraneum. Unde distingui etiam potest min. prob. Notio causæ non continetur in notione effectus, *qua effectus*, neg. sub ratione *entis* præcise, conc.

Objic. 2.° et simul instabis: Notio causæ acquiritur et inest nobis ex experientia, qua videmus transitum phænomenorum a non existentia ad existentiam: ergo prædicatum hoc subjecto convenit, non ex analysi, sed potius ex synthesi.

Resp. Omisso ant. neg. cons. Fallax est hujusmodi argumentatio; aliud namque est origo notionis causæ, aliud ejusdem relatio et nexus cum notione effectus. Quamvis enim demus, notionem causæ ex experientia haberi, id tamen nihil obstat, quominus semel acquisita hac notione, necessariam relationem præ se ferat cum notione effectus. Immo, si hæc argumentatio vim haberet, nullum nobis inesset judicium analyticum; cum notiones cunctæ rerum, saltem apud eos qui ideas innatas rejiciunt, ex sensuum experientia aliqua ratione proficiscantur.

Inst. cum Kant. Judicia mathematica, quæ communiter ut analytica habentur, revera sunt synthetica a priori: ergo. Prob. ant. Judicium quod continetur propositione hac: $7 + 5 = 12$, non est syntheticum a posteriori, quia

experientiam necessitate sua absoluta superat; nec etiam analyticum, quia ad dignoscendum duodenarium numerum, ex septenario et quinario coalescere, ad signa externa, v. g. ad digitos, vel puncta, confugere cogimur, atque proinde, non per analysim subjecti, prædicatum in ipso reperimus.

Resp. Neg. ant. Ad prob. neg. min. Siquidem, præfatam propositionem judicium analyticum revera continere et exprimere, ex eo aperte constat, quod prædicatum 12 non solum continetur, sed identificatur cum subjecto 7 + 5. Quod vero ad hoc detegendum, confugimus interdum ad externa signa, hoc minime officit ad hoc quod vere et realiter duodenarius, in septenario et quinario simul sumptis contineatur; quod sane sufficit pro judicio analytico constituendo. Quinimmo, eatenus per signa externa agnoscere possumus nexum prædicati cum subjecto in allato exemplo, quia revera in illo continetur; si enim minime duodenarius numerus in septenario et quinario contineretur, nunquam prædicatum affirmare possemus de subjecto, etiam signa externa adhibendo. (1)

Objic. contra 2.am thesim. Propositio quæ continet principium contradictionis, est negativa: ergo hocce principium nequit esse primum. Prob. cons. Propositio negativa, posterior est affirmativa, quia omnis negatio fundatur in aliqua affirmatione: ergo.

---

(1) Ad rem apposite Rosmini: «Que nous ayons besoin d'un signe exterieur pour obtenir le nombre 12 par la somme de 7 et de 5, celà ne prouve pas que le concept de 12 n'est point compris dans le concept de la somme de ces deux nombres: bien plus, cela prouve qu'il y est certainement compris, car autrement nous ne pourrions le déduire même à l'aide de signes, lesquels n'ajoutent rien au concept, mais nous servent uniquement à reconaitre la même chose sous deux formes ou deux expressions différentes.» *Nouvel Essai sur l'orig. des idées* sect. 4.ª, c. 3.°, art. 22. Vid. quoque Balmes, *Fil. Fund.* lib. 1.°, c. 29.

Resp. Dist. antec. Est negativa *improprie et voce tenus* conc. *perfecte quoad sensum*, neg. Hoc namque principium, si ejus sensus, potius quam verba, inspiciatur, affirmationem negationi quodammodo admixtam continet; facit enim hunc sensum: *Ea quæ sunt, quatenus sunt, non possunt simul non esse.* Unde ejusdem elementum præcipuum est notio positiva entis, cui immediate opponitur notio *non entis*, e quibus immediate exurgit principium contradictionis. Sed

Instabis: Ex concessis, principium contradictionis involvit quamdam negationem, quamvis affirmationi adjunctam: ergo necessario præsupponit aliquam affirmationem priorem.

Resp. Dist. cons. Præsupponit aliquam affirmationem priorem, *sed inclusam in eodem principio contradictionis*, conc. *extra ipsum positam, vel ab ipso distinctam*, neg.

Urgebis: Principium identitatis affirmationem puram includit et exprimit; atqui hoc principium est extra principium contradictionis: ergo.

Resp. 1.° Nego suppositum majoris. Quod namque principium identitatis vocatur, nempe: *quod est, est*, revera et proprie non est principium cognitionis complexum, de quo hic loquimur, sed potius incomplexum; cum nihil aliud contineat aut exprimat, præter simplicem perceptionem identitatis unius et ejusdem rei. Quod si quis acrius contendat, principium hocce verum judicium continere et exprimere.

Resp. 2.° Neg. min. Siquidem, propositio ista, si judicium continet, hoc judicium ejus est naturæ, ut sit quasi conditio generalis afficiens quodlibet judicium analyticum, non vero ita quod ex se constituat principium speciale et ab aliis distinctum; perceptio namque identitatis, quæ hac propositione exprimitur, est conditio, vel modus concomitans omne judicium analyticum.

SCHOLIUM.

Rosmini, qui judicia synthetica a priori Kant refellit, admittit simul judicia quædam, quæ maximam affinitatem cum judiciis kantianis obtinent. Docet quippe ille, esse in nobis quædam judicia *primitiva*, (juxta Rosmini, hujusmodi judicia præcedunt ipsam simplicem perceptionem, qua rerum ideas seu conceptus efformamus,) quibus affirmamus corpora existere: quæ judicia, eatenus efformantur, quatenus mens nostra, corpori, dum sensationem in nobis producit, applicat ideam entis indeterminati sive existentiæ in genere, quam ideam mens in seipsa naturaliter præhabet ipsique est innata. Rosmini ergo admittit judicia, in quibus prædicatum tribuitur subjecto, non per analysim ipsius subjecti, nec per experientiam, sed ex forma ipsi rationi humanæ naturaliter et necessario insita; proindeque ejus theoria in hac parte, vel eadem, vel valde affinis existit theoriæ kantianæ. (1)

(1) Atque ex hac affinitate proculdubio tractus italus philosophus, postquam sudavit et alsit in refellendis judiciis syntheticis a priori, ad sensum Kant, tandem fatetur, judicia *primitiva* ab ipso posita, merito vocari posse *synthetica a priori:* «Les jugements à l'aide desquels nous formons les *concepts* ou les idées des choses, sont donc *primitifs*, parce que ce sont les premiers que nous portons sur ces choses: ils sont *synthetiques*, parce que nous ajoutons au sujet quelque chose qui n'est pas en lui, ou pour mieux dire, parce que alors nous considérons le sujet en rapport avec quelque chose hors de lui, c'est-à-dire, avec une idée de notre entendement. Ces jugements peuvent encore être appelés *a priori* à juste titre; car, malgré la necessité où nous sommes d'en recevoir des sens la *matière*, nous n'en trouvons la *forme* que dans notre entendement.» *Nouvel Essai*, etc. loc. cit., art. 27.

CAPUT SECUNDUM.

DE PROPRIETATIBUS ENTIS.

ARTICULUS PRIMUS.

De proprietatibus entis in genere.

D. Thomas quinque proprietates enti assignat: *res, aliquid, unum, verum, bonum:* quæ quidem *transcendentales* vocantur quia omni enti conveniunt, nec ab eo realiter distinguuntur. Dicuntur vero entis *proprietates*, quia sunt veluti varii aspectus, qui ens quodvis sequi concipiuntur.

Ex quo etiam desumi potest ratio divisionis a D. Thoma assignatæ. Nam si ens aspiciamus in seipso et *absolute*, omne ens dicitur *res*, quatenus habet aliquam essentiam: sicut enim ens quodlibet denominatur *ens* ab esse sive existentia, ita dicitur *res* ab essentia; siquidem, ut bene habet D. Thomas, « ens sumitur ab actu essendi, sed nomen *rei*, exprimit quidditatem sive essentiam entis. Si ipsum ens absolute sumptum, spectemus quatenus continet indivisionem, dicitur *unum*. Si vero ens inspiciamus *relative*, seu, ut habet D. Thomas, *secundum ordinem unius ad alterum*, vocatur *aliquid*, quatenus includit divisionem ab aliis entibus: « dicitur enim *aliquid*, inquit ille, (1) quasi aliud quid; unde sicut ens dicitur unum, in quantum est indivisum in se, ita dicitur *aliquid*, in quantum est ab aliis divisum. »

Denique, ens dicitur *verum*, ex ordine ad intellectum a quo cognoscitur aut cognosci potest: *bonum* vero, quate-

(1) *QQ. Disp. De Verit.* q. 1.ª art. 1.°

nus convenientiam, vel consensum cum appetitu seu voluntate aliqua præ se ferre potest. Ergo proprietates transcendentales entis, nihil realitatis enti addunt; sed sunt ipsum ens, prout variis relationibus rationis, subesse potest.

Porro, cum de essentia jam supra egerimus, et quoniam divisio ab aliis, quæ exprimitur nomine *aliquid*, quodammodo consequitur indivisionem entis in seipso qua *unum* constituitur, superest, ut præter unitatem, sermonem instituamus de veritate et bonitate.

ARTICULUS SECUNDUS.

De unitate, identitate et distinctione.

Brevitati consulentes, ejusmodi notiones metaphysicas, per summa capita, sic exponimus:

1.° Sicut unum est *ens indivisum in se*, ita unitas describi potest: *indivisio entis in plura ejusdem generis*. Ex quo colligitur, quod tam unum, quam unitas, includunt et significant primario aliquid positivum, nempe, ipsam entitatem rei, non tamen nude et absolute sumptam, sed quatenus connotat *negationem* divisionis. Dixi, *in plura ejusdem generis;* quia cum dicitur quod tale ens est indivisum in se ac idcirco *unum*, intelligitur hoc quatenus illud ens non est divisum, neque etiam potest dividi in plura entia ejusdem naturæ, quamvis simul possit dividi in plura diversi generis: sic homo, est ens unum et indivisum, quia nequit dividi in plures homines, quamtumvis possit dividi in *plura* entia alterius generis, vel naturæ, ut in caput, brachia, pedes, etc. aut etiam in corpus et animam.

2.° Ex hac doctrina duo inferre licet: 1.° unitatem transcendentalem, minime pugnare cum compositione

reali entis cui tribuitur ; quamvis namque ens aliquod, ex. gr. *homo*, *arbor*, sit compositum ex *multis* ac *distinctis* partibus, id nihil officit ad hoc ut vere et proprie dicatur *unum* ens, *unus* homo, etc.: 2.° unitatem transcendentalem, identificari cum unitate *numerica;* omne quippe ens, quod est unum unitate transcendentali, eo ipso est unum unitate numerica; eatenus enim dicitur unum numero, quatenus indivisionem in se continens, ab aliis entibus est distinctum seu divisum, quod proprium est unitatis transcendentalis. (1) Hæc unitas vocatur etiam *numerica*, quia plures unitates ejusdem generis vel rationis, constituunt *numerum*, atque sub hoc respectu, *quantitativa* simul nuncupatur. Itaque, idem ens, v. gr. homo, dici potest unus unitate *transcendentali*, quatenus exprimit indivisionem in se: unitate

---

(1) Acriter olim disceptatum fuit in Scholis circa *principium individuationis*, sive originem unitatis pure numericæ. Hanc unitatem, quidam repetebant ex ipsa existentia actuali, ut Henricus Gandavensis: alii, ex ipsa rei essentia: quidam, ut Scotus, ex forma quadam a natura formaliter distincta, quam *hæcceitatem* solebant appellare: alii, a causa efficiente: quidam, eamdem reponebant in collectione seu complexu accidentium quæ subjectum afficiunt: quidam denique, statuunt cum D. Thoma, principium individuationis, quoad substantias, esse *materiam signatam quantitate*, hoc est, materiam quatenus dicit ordinem ad has, vel illas dimensiones; quoad accidentia vero, ajebant, esse ipsum subjectum cui inhærent. Ex qua doctrina legitime infert D. Thomas, in angelis, utpote omnis materiæ expertibus, locum non habere unitatem purè numericam, ita ut in eis unitas et diversitas numerica, comitentur unitatem et diversitatem specificam.

Notandum tamen, rationalem animam unitati et diversitati numericæ subjici in theoria Angelici Doctoris ; quia quamvis sit expers omnis materiæ, est tamen essentialiter forma quæ apta est materiæ uniri, atque proinde numerice multiplicatur per *ordinem* seu coaptationem, et commensurationem ad hanc, vel illam materiam quantitate præditam, cui conjungitur. Hæc sufficiat indicasse; opiniones enim hujusmodi discutere, nec licet, nec libet.

numerica, quatenus ab omnibus aliis entibus distinguitur et dividitur: unitate *quantitativa*, quatenus habet *aptitudinem* ut sit principium et pars *numeri hominum*, seu pars multitudinis *ejusdem generis*, hoc est, hominum.

3.° Præter allatas divisiones, unitas potest esse, vel *simplicitatis*, quæ congruit rei omnino indivisibili, sive in res ejusdem, sive alterius rationis, ut est Deus: vel *compositionis*, quæ reperitur in omni ente composito ex partibus realiter distinctis. Hæc unitas compositionis dici potest *metaphysica*, si entis partes realiter distinguantur, at separari nequeant, ut existentia respectu angelorum: *physica*, si non solum distinctæ sed separabiles sint, ut anima et corpus in homine, brachium et pedes in animali: *moralis*, quæ respicit ens, cujus partes nexu morali, vel civili junguntur, ut *una* familia, *unus* populus: *logica* demum, quæ per solum intellectum, rei formaliter congruit, quamvis fundamentum ejus extra mentem existat, ut unitas specifica et generica.

4.° Sed maximopere notanda divisio unius, in *unum per se*, et *unum per accidens*. Unum per se dicitur illud quod habet *unicam* essentiam vel naturam actualem, sive hæc essentia sit in seipsa simplex, ut angelus, et anima rationalis; sive composita ex elementis essentialiter ordinatis ad unam naturam, vel substantiam constituendam, ut homo, animal, quorum partes, corpus, nempe, et anima seu principium vitale, ita uniuntur et coalescunt, ut *unam* et *unicam* physice substantiam et essentiam constituant. Unum vero per accidens locum habet quando duo ita conjunguntur, ut unam essentiam, vel naturam non constituant, ut *homo medicus*, est ens unum per accidens, quia medicina ita homini conjungitur, ut non concurrat ad constituendam ejus naturam humanam aut substantiam. Ad unitatem *per accidens* reducitur et spectat unitas moralis, de qua supra, idque,

sive multitudo cui tribuitur unitas moralis, sit *ordinata*, ut exercitus, sive *confusa*, ut acervus tritici.

Cum natura unitatis, affinitatem et nexum habent notiones *identitatis*, et *distinctionis*, de quibus ut aliquid breviter attingamus.

5.° Identitas discribi potest: *convenientia rei cum seipsa*, quatenus, nempe, mens nostra, vi abstractionis et reflexionis, rem quasi geminatam considerando attingit; ut dum pronuntiat: Petrus *idem* est sibi ipsi. Identitas porro dispesci potest

a) In *physicam* et *moralem;* quarum prima locum habet, dum substantia rei eadem perseverat secundum physicam realitatem, ut angelus vel anima rationalis: altera vero dicitur, cum res mutationi subest, quoad physicam ejus entitatem, eadem tamen manendo, vel secundum vulgatam existimationem hominum, ut dum domus integra succesive et per partes mutatur; vel secundum dependentiam et subordinationem ad formam seu principia, quæ dant esse specificum rei: sic homo, identitatem retinet ex parte corporis, quamvis hujus partes de novo recedant et accedant; omnes quippe informantur, et esse humanum recipiunt ab *eadem* forma.

b) In *genericam*, *specificam* et *numericam*, quæ satis ex terminis constant, simulque ex prælibatis in Logica.

c) In identitatem *realem* et *rationis*, quam aliqui formalem appellant. Prima adest inter ea, quæ in rerum natura unum et idem sunt, quamvis distinctis conceptibus a nobis concipiantur, ut *animal* identificatur realiter cum *rationali* in homine. Secunda vero intercedit inter ea, quorum unum, neque existere, nec concipi potest sine altero, ut *homo*, idem est re et ratione cum *animali rationali*.

d) In identitatem *adæquatam* et *inadæquatam;* quarum prima habetur inter ea, quæ idem sunt secundum

omnia principia rem constituentia: secunda, dum res identificatur incomplete cum aliquo ex principiis seu realitatibus eam constituentibus, ut contingit in toto respectu partium: sic, ternarius numerus identificatur inadæquate cum unitate, quæ est ejus principium et pars.

6.° *Distinctio* identitati opponitur, sicut multitudo unitati; unde non secus ac identitas dividi potest,

a) In distinctionem *realem* et *rationis:* quarum prima, rebus congruit ante omnem operationem intellectus; altera, per hujus solam considerationem. Realis iterum dispescitur

b) In *substantialem*, quæ inter duas, vel plures substantias intercedit, *completaque* dicitur, si duæ substantiæ completæ, ut Petrus et Paulus, inter se comparentur; si secus, ut corpus et anima, substantialis *incompleta: accidentalem*, quæ habetur, sive inter substantiam et accidens, sive inter duo accidentia: *modalem*, quæ viget inter substantiam et ejus modum; qui modus potest esse, vel accidentalis, ut velocitas respectu motus, vel substantialis, hoc est, ad genus et lineam substantiæ pertinens, ut subsistentia respectu naturæ.

c) Distinctio rationis, si fundamentum habet in re extra animam posita, dicitur *rationis ratiocinatæ*, ut distinctio inter *animal* et *rationale* in homine: si secus, dicitur *rationis ratiocinantis*, et *pure mentalis*, ut distinctio inter *hominem* et *animal rationale*. Harum prima, vocari etiam solet *virtualis*, quatenus res cui tribuitur, quamvis in se et extra mentem sit una et eadem natura, complectitur tamen varios gradus perfectionis: sic, natura Petri continet gradus seu prædicata *substantiæ*, *corporis*, *viventis*, *animalis*, *rationalis*, qui tamen a parte rei constituunt unam et eamdem naturam, absque ulla reali distinctione in Petro. Hæc itaque distinctio, qua *distinctio*, seu quatenus unum secernit ab alio, est dis-

tinctio *solius rationis*, ut inter *substantiam* et *animalitatem* in homine, solumque *realis* dicitur fundamentaliter, quatenus res, eo ipso quod continet varios perfectionis gradus, fundamentum suppeditat rationi ad efformandos distinctos conceptus. (1)

ARTICULUS TERTIUS.

De veritate.

Quoniam de veritate satis diximus in Logica, pro conditione operis elementarii, superest ut hic pauca subjiciamus de vero transcendentali, quod inter proprietates entis annumeratur. Itaque

1.° *Verum transcendentale* seu metaphysicum, est ipsum *ens quatenus dicit ordinem ad intellectum:* ratio quippe formalis veri, ut habet D. Thomas, sita est in adæquatione rei et intellectus. Ex quo infertur, verum transcendentale significare et includere primario ipsam entitatem rei, secundario, ejusdem ordinem ad intellectum, atque proinde omne verum transcendentale converti cum ente; quia ens, eo ipso quod ens est, dicit ordinem, tum ad intellectum divinum, cui actu adæquatur et a quo mensuratur, tum ad intellectum humanum, cui adæquari *potest*, veritatem cognitionis seu formalem

---

(1) Recentiores inepte, ad risum usque, distinctionem hanc *virtualem* interpretati sunt, ut videre fas est in eorumdem operibus sæculo hocce et proxime elapso conscriptis. Ipsemet Guevara, qui ab Scholasticorum philosophia, cæteris minus abhorret, hæc scribit: «Distinctio virtualis, per auctores hujus sententiæ, est virtus distinctionis realis, ad evitanda contradictoria, quæ alioqui talia essent, si talis distinctio non daretur.»

in eodem determinans ac mensurans. Veritas ergo transcendentalis complete sumpta, definiri potest: *entitas rei prout adæquatur actu intellectui divino, et in potentia intellectui humano.*

2.° Quia vero ens, per ipsam suam essentiam vel entitatem adæquatur intellectui divino, et *aptitudinem* habet ut adæquetur intellectui humano; sequitur, veritatem transcendentalem nihil addere enti nisi relationem rationis, ac proinde ens et verum sola ratione distingui. Attamen, secundum concipiendi modum, prius est ens quam verum; quia prius est concipere ens in seipso, quam per comparationem et ordinem ad intellectum aliquem, ratione cujus enti advenit ratio formalis et denominatio *veri.*

3.° Veritas transcendentalis, si spectetur prout refertur ad intellectum humanum, id est, prout *aptitudinem* seu capacitatem obtinet ad hunc sibi adæquandum determinando in ipso veritatem formalem, identificatur et convertitur cum *cognoscibilitate* rei; siquidem, res quælibet in tantum est *cognoscibilis,* in quantum est ens potens adæquare sibi intellectum humanum, ejusque veritatem mensurare. Quod quidem adeo verum est, ut etiam ea quæ in seipsis sunt *non entia,* ut privationes, *cognoscibilia* sint a nobis, per respectum et comparationem ad ens reale.

4.° Si hæc conferas cum his quæ in Logica circa veritatem statuta sunt, sequentia corollaria colliges:

Primum. *Ex veritatibus transcendentalibus, una major alia dici potest, ast veritas formalis seu cognitionis, prorsus est indivisibilis.* Si enim veritas transcendentalis convertitur cum ente, a quo non realiter sed sola ratione differt, quò perfectius ac nobilius sit ens, major ac perfectior erit ejusdem veritas transcendentalis. Ast id locum non habet in veritate cognitionis, quæ tota sita est in conformitate ad rem cognitam, quæ si deficiat,

falsitas exurgit, inter quam et veritatem nihil medium cadit.

Secundum. *Veritas cognitionis nostræ solum subjici potest mutationi, ex mutatione objecti quod respicit.* Cum enim hæc veritas, tota consistat in conformitate cum objecto cognito, deficere aut mutari nequit, nisi quatenus deficit aut mutatur objectum, prout evenire potest in propositionibus contingentibus, ut si dicam: *nunc pluit*, deficiente pluvia, deficit veritas propositionis. Ex quo plane consequitur, eas veritates cognitionis, quæ respiciunt objecta necessaria et immutabilia, aut continent et exprimunt relationes essentiales rerum, esse prorsus et absolute immutabiles, sicut ipsa objecta et relationes objectorum ad quæ ordinem habent; ut si dicam: *Deus existit: peccatum est malum: anima hominis est immortalis.*

Tertium. *Ergo impia simul et absurda existit doctrina Cousin et aliorum asseclarum moderni Ecclectismi circa veritatem.* Docent enim hi, nullam existere veritatem immutabilem et completam, quæ errorem, vel falsitatem excludat: immo vero adfirmant, nullum existere revera errorem, sed omnia esse vera pro diversis rerum adjunctis et temporibus; ita ut error *apparenter* tantum sit error, ac veritatem in se contineat. (1) Itaque

---

(1) Ut ea prætermittam, quæ Jouffroy, Lerminier cum aliis habent, sufficiat pauca ex ipso moderni Ecclectismi parente, desumere: «L' erreur est un des eléments de la pensée pris pour la pensée tout entière, une verité incomplete convertie en une verité complete. Il n' y a guère d'autre erreur possible.» *Introd. à l' hist. de la Phil.*, lect. 7.ª «Toute erreur renferme une verité dont le seul defaut est d' etre incomplete..... il faut se dire que toute erreur n' est qu' une apparence et couvre une verité, et que l' erreur, si on peut s' exprimer ainsi est la forme de la verité dans l' histoire. Toutes ces erreurs, c' est-à-dire toutes ces verités, se succedent; elles commencent et elles finissent.» *Ibid.*, lect. 6.ª

cum aliquis dicit: *Deus non existit: anima hominis est materialis et mortalis: adulterium est bonum: Christus non est verus Deus:* hujusmodi errores apparenter tantum sunt errores, quinimo sunt *veritates* saltem incompletæ. Nihil opus est profecto commemorare quam impia consectaria fluant ex hac veritatis theoria, quæ moralem et Religionem funditus labefactat.

Cæterum, hæc cousiniana theoria veritatis, nihil est aliud quam consequentia legitima et necessaria pantheismi involuti et contenti in Ecclectismo moderno. Semel enim constituto et admisso pantheismo, cujus fundamentale pronuntiatum est identificatio mundi cum substantia divina, statim consequitur cuncta mundi atque humanitatis phænomena et actus, esse manifestationes æque legitimas ac necessarias Divinitatis, quæ sucessive indefinite evolvitur in mundo et homine. Hæ autem Dei evolutiones, utpote necessariæ et divinæ, quamvis invicem oppositæ *apparenter* sint, ut veritas et error, revera tamen non opponuntur, nec se mutuò destruunt, sed unum idemque sunt in seipsis, varietatique solum sunt obnoxiæ, quatenus phases seu aspectus varios nobis offerunt.

Quartum. *Ergo veritas transcendentalis triplici ratione definiri potest.* Nam, ex dictis, hæc veritas: 1.° convertitur seu identificatur cum ente: 2.° includit respectum ad intellectum aliquem: 3.° est causa et mensura veritatis nostri intellectus, vel cognitionis. Unde merito habet D Thomas: «Secundum hoc ergo tripliciter veritas et verum definiri invenitur. Uno modo, secundum id quod præcedit rationem veritatis, et in quo verum fundatur; et sic Augustinus definit in L. *Solil.: verum est id quod est.....* Et alio modo definitur, secundum id quod formaliter rationem veri perficit; et sic dixit Anselmus in L. De verit: *veritas est rectitudo* (conformitas vel adæquatio) *sola mente perceptibilis;* (sensus enim ra-

tionem veritatis non percipiunt) rectitudo enim ista secundum adæquationem quamdam (nempe, ad intellectum) dicitur..... Tertio modo definitur verum, secundum effectum consequentem; et sic..... Augustinus in L. De vera Relig.: *Veritas est qua ostenditur id quod est.*» (1)

ARTICULUS QUARTUS.

De bono et perfecto.

1.° *Bonum.*

Sicut ens dicitur verum quatenus dicit ordinem ad intellectum, ita dicitur *bonum* quatenus dicit ordinem ad appetitum; unde bonitas transcendentalis est: *appetibilitas entis.* Et quia omne ens habere potest convenientiam cum appetitu aliquo, ideo bonum transcendentale convertitur cum ente; atque, ut D. Augustinus ajebat, *in quantum sumus boni sumus.* Itaque, bonum ab ente non distinguitur nisi distinctione rationis; ab ente siquidem, solum *nihilum* realiter distinguitur, quod sane rationem boni non habet.

Bonum porro, appetitum actu non movet nisi actu apprehendatur ut appetitui conveniens, juxta vulgatum axioma: *nihil volitum quin præcognitum.* Ex quo infertur: 1.° bonitatem transcendentalem, esse appetibilitatem rei *fundamentaliter* sumptam, atque proinde, ab appetitione et perceptione independentem, sicut et ipsum ens, cum quo convertitur; bonitatem vero *actualem*, sive *formalem*, præsupponere perceptionem convenientiæ hu-

---

(1) *QQ. Disp. de Verit.* q. 1.ª, art. 1.°

jus entis cum appetitu: 2.° bonitatem istam actualem, congrue dividi in *veram* et *apparentem*, prout res appetita, *vere* congruit appetenti, vel congruere falso et immerito existimatur.

Quod attinet boni partitiones, easdem fere suscipit ac ens, ita ut possit dividi, in *absolutum* et *relativum*, *substantiale* et *accidentale*, *spirituale*, et *materiale*, etc. Ast vero, divisiones ipsi quadammodo propriæ sunt, præter memoratam boni *apparentis* et *veri*, quibus dispescitur: 1.° in *physicum*, quod rem perficit in ordine physico, ut vita, sanitas, robur, etc. et *morale*, quod rem perficit quoad mores, ut justitia, temperantia; quod proinde solum habet locum in entibus ratione et voluntate præditis: 2.° in *honestum*, *utile*, et *delectabile;* quorum primum est illud, quod appetibile est in seipso propter consonantiam cum recta ratione: alterum, quod non ratione sui, sed ratione alterius appetitur: tertium, cujus possesio fruitionem et quietem appetitus affert.

2.° *Perfectum.*

Perfectum, quod non raro cum bono confunditur, ab hoc tamen aliquid differt in rigore philosophico, juxta quem, perfectum dici posset: *ens quod continet summam realitatum quarum est capax ex vi propriæ naturæ.* (1) Sic, *perfectus* dicetur homo, qui præter humanitatem, haberet omnia accidentia, seu physica, seu moralia, per quæ homo perfici potest. Juxta naturam ergo realitatum quæ in ente spectari possunt, exsurgit perfectionis divisio,

---

(1) Si perfectio accipiatur sub ratione appetibilitatis, hoc est, quatenus ens perfectum, qua tale, appetibile existit, tunc recte confunditur cum bono. Quo sensu sumit D. Thomas, dum ait: «Ratio boni in hoc consistit, quod aliquid sit appetibile: manifestum est autem, quod unumquodque est appetibile, secundum quod est perfectum, nam omnia appetunt suam perfectionem. » *Sum. Theol.*, 1.ª P., q. 5, art. 1.°

a) In *essentialem*, quæ consistit in complexu realitatum seu determinationum essentialium; et *accidentalem*, quæ rei essentialiter jam constitutæ advenit, ut scientia. Hæc porro, utpote priorem supponens, *perfectionis* rationem plenius obtinet: unde quæ essentialem tantum perfectionem habent, denominantur *perfecta secundum quid;* quæ vero simul habent accidentatem, *perfecta simpliciter.*

Accidentalis perfectio, si spectetur ex parte virtutis seu virium subjecti ad operandum, dicitur perfectio *virtutis*, ut in medico maxime perito respectu ægritudinis; si vero spectetur prout subjectum adsequitur finem proprium, sive partialem, sive totalem et ultimum, ut homo dum Deo fruitur, dicitur perfectio *finalis.*

b) In *simplicem* et *mixtam*, seu, ut veteres ajebant, in perfectionem *simpliciter simplicem*, et *simplicem secundum quid.* Prima est illa, quæ in suo conceptu nullum defectum seu nullum *non-esse*, sed puram realitatem involvit, ut sapientia, intellectus, voluntas: altera, realitatem simul cum aliquo defectu alterius realitatis in suo conceptu involvit, ut ratiocinatio, sensibilitas.

c) In perfectionem *formalem*, *virtualem* et *eminentem*, Prima est, quæ rei inest secundum propriam rationem formalem et explicitam, ut ratio in homine. Altera, quæ inest rei virtute seu potestate; idque, vel quia potest rem illam producere, quo sensu causa efficiens habet perfectionem sui effectus; vel quia res potest præstare id quod alia res præstat; quo sensu sol, virtute continet perfectionem ignis. Tertia, quæ rei non inest formaliter seu secundum propriam rationem, inest tamen ipsi alia perfectio, quæ perfectiori modo præstat id quod rei convenit ratione alicujus realitatis ipsi formaliter inhærentis, ut intellectio intuitiva Dei, eminenter continet intellectionem discursivam hominis.

Corollarium.

Ergo rejiciendus Locke dum statuit, bonum esse id quod voluptatem producere et augere, doloremve imminuere potest. Etenim, id nihil est aliud quam moralem hominis perfectionem et ultimum finem, in corporis voluptate constituere, ac sensualismum morale prædicare.

ARTICULUS QUINTUS.

De pulchro.

Pulchri notio cum notione boni affinitatem habet maximam. Namque, ut scite et profundissime habet D. Thomas, (1) «pulchrum est idem bono, sola ratione differens. Cum enim bonum sit quod omnia appetunt, de ratione boni est quod in eo quietetur appetitus; sed ad rationem pulchri pertinet, quod in ejus aspectu seu cognitione quietetur appetitus. Unde et illi sensus præcipue respiciunt pulchrum, qui maxime cognoscitivi sunt, scilicet, visus et auditus, rationi deservientes; dicimus enim pulchra visibilia et pulchros sonos: in sensibilibus autem aliorum sensuum, non utimur nomine pulchritudinis; non enim dicimus pulchros sapores aut odores. Et sic patet, quod pulchrum addit supra bonum, quemdam ordinem ad vim cognoscitivam: ita quod bonum dicatur id, quod simpliciter complacet appetitui; pulchrum autem dicatur id, cujus apprehensio placet.»

Si hæc D. Thomæ verba conferantur cum aliis, in quibus de pulchritudine disserit, ejus doctrina æsthetica, ad sequentia capita revocari potest:

1.° Pulchrum generatim sumptum, identificatur cum

(1) *Sum. Theol.* 2.ª 2.æ q. 17, art. 1.°, ad 3.m

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

bono, non quidem *adæquate*, quasi omne bonum sit proprie pulchrum, sed potius inadæquate, quatenus pulchrum præsupponit bonum, in eoque fundatur: malum quippe, pulchrum nunquam esse potest.

2.° Notio pulchri superaddit notioni boni ordinem ad facultatem cognoscitivam, ita ut pulchrum involvat convenientiam seu congruentiam quamdam cum determinata facultate cognoscente, cui veluti coaptatur.

3.° Ratio formalis vel *essentia* pulchri, «in debita proportione consistit,» ut ait D. Thomas, (1) hoc est, in unitate simul cum varietate; proportio enim involvit plura sub unitate quadam ordinata et contenta, ac proinde unitatem cum varietate. Hæc autem varietas sive pluralitas elementorum objecti pulchri, potest esse, vel realis, ut in homine, in imagine picta, in flore; vel tantum virtualis et secundum rationis conceptum, ut in Deo.

4.° Pulchrum, aliud *absolutum* sive *ideale*, aliud *relativum*. Primum est unicum, nempe, Deus, qui «dicitur pulcher, ait D. Thomas, (2) sicut universorum consonantiæ et claritatis causa.» Siquidem, Deus ex una parte, continet absolutam unitatem, quatenus est *esse purum;* ex alia vero, infinitam varietatem, quatenus hoc unum esse, continet omnes possibiles perfectiones. Est etiam pulchrum *ideale*, quatenus est exemplar archetypum omnis pulchritudinis: unde et reliqua omnia quæ pulchra denominantur, *pulchri* rationem plenius obtinent per accesum ad pulchrum hocce *ideale*, quod in Deo continetur et cum ipso identificatur. Atque hoc pulchrum finitum, quod in creaturis existit, et constituitur per accesum et participationem pulchritudinis absolutæ

---

(1) *Sum. Theol.* 1.ª P. q. 5.ª, art. 4.° ad 1.m

(2) *Ibid*, 2.ª 2.æ q. 145, art. 2.°

et idealis, est ipsum quod *relativum* merito vocabitur.

5.° Relativa pulchritudo esse potest, vel *sensibilis* et corporea, rebus, nempe, sensibilibus et materialibus inhærens, ut pulchritudo florum, ædificii, corporis humani, quæ apud D. Thomam, « in hoc consistit, quod homo habeat membra corporis bene proportionata cum quadam debiti coloris claritate: » vel *spiritualis*, quæ « in hoc consistit, (1) quod conversatio hominis, sive actio ejus, sit bene proportionata secundum spiritualem rationis claritatem... et ideo honestum, est idem spirituali decori.» Ex quo licet colligere, pulchritudinem spiritualem in creatis, revocari, tanquam ad præcipuam et nobiliorem speciem, ad pulchritudinem moralem.

6.° Facultas pulchri est complexa, et veluti exurgens ex intellectu et imaginatione: ex *intellectu* quidem, quia solius est intellectus proportionem rerum seu relationem unitatis cum varietate percipere: ex *imaginatione* vero, quia, experientia ipsa teste, determinata conditio et vivacitas imaginationis exquiritur ad pulchritudinem, præsertim creatam, sive percipiendam, sive producendam. Atque ex hac parte, exurgit in homine aptitudo seu facilitas quædam ad pulchrum non percipiendum modo, sed etiam *sentiendum:* hæc facilitas, *sensio pulchri* (sentimiento de lo bello) non immerito appellatur; sicut facultas complexa, ex ratione et imaginatione exurgens pro pulchro percipiendo et dijudicando, *gustus* solet vocari. (2)

---

(1) *Loc cit.*

(2) Vid. Cousin, *Du Vrai, du Beau et du Bien,* lect. 6.ª et 7.ª Reid, *Œuvres compl.* t. 5.° Essai 7.° cap. 1.° et seq. quorum theoria circa pulchrum, affinitatem continet cum theoria D. Thomæ. Atque Reid, de divisione pulchri creati vel relativi, hæc habet inter alia: «Il y a un beau moral comme il y a un beau physique; il y en a du beau dans les objets des sens comme il y en a dans ceux de l'intelligence.» Loc. cit. cap. 1.° Similiter Cousin, non secus ac D. Tho-

Tandem, quando objectum pulchrum facultatem, qua attingitur, vivide percellit propter sui præstantiam, ita ut stuporem contemplationis in eadem ingeneret, *sublime* tunc denominatur, cui proinde opponitur *horribile*, sicut pulchro opponitur *deforme*.

7.° Ergo rejicienda notio pulchri a Gioberti tradita, dum eam constituit in junctione elementi intelligibilis cum elemento sensibili, imaginationis ope peracta. Siquidem, ut alia quæ hujus opinionis falsitatem evincunt omittamus, hæc notio pulchri ad sensualismum vergit, quatenus rationem pulchri aufert a rebus pure spiritualibus, ab ipsoque Deo, quibus nullum inest elementum sensibile.

Atque ex præjactis notionibus, licebit nobis theoriam pulchri universim veluti delibare, seu potius ejus præcipua et generalia lineamenta innuere. Itaque:

a) Essentia seu ratio constitutiva *pulchritudinis*, secundum se spectata et prout abstrahit a determinatis formis, complectitur: 1.° *ideam veri;* nihil enim vere pulchrum esse potest, nisi veritati, saltem metaphysicæ seu transcendentali, quæ identificatur cum realitate objectiva rei, innitatur: 2.° *ideam perfecti*, in qua includitur ac veluti involvitur, tum idea *boni*, sine qua nihil perfectum esse potest; tum idea *infiniti*, nam perfectum, qua tale, excellentiam et præstantiam supra alia includit, simulque carentiam defectus: quæ omnia per se ideam infiniti præ se ferunt vel offerunt: 3.° *ideam or-*

---

mas. Deum agnoscit et prædicat pulchrum *ideale* et causam omnis pulchritudinis: «L'ideal recule sans cesse à mesure qu'on en approche davantage: son dernier terme est dans l'infini, c'est-à-dire, en Dieu; ou pour mieux parler, le vrai et absolu ideal n'est autre que Dieu même. Dieu étant le principe de toutes choses doit être à ce titre celui de la beauté parfaite, et par conséquent de toutes les beautés naturelles qui l'expriment plus ou moins imparfaitement.» Loc. cit. lec. 7.ª pag. 169. Vid. quoque *Estudios sobre la Fil. de Sto. Tom.*, l. 2.° cap. 28.

dinis seu unitatis cum multiplicitate conjunctæ; quoniam, experientia ipsa teste, pulchritudo quævis pluralitatem, aut elementorum, aut perfectionum, prout vel harmoniæ, vel unitati subsunt, complectitur.

b) Ergo pulchritudo congrue posset definiri: *Splendor harmonicus veri et infiniti.* Cujus definitionis rectitudo et veritas ex præcedenti analysi notionis essentialis pulchri exsurgere videtur, simulque empirice seu *a posteriori* demonstrari potest; quoniam cuilibet pulchritudini, quamtumvis inferiori, qualis est pulchritudo sensibilis, accommodatur. Sic, ex. gr. statua Moysis a Michaele Angelo confecta, pulchra existit, quatenus in ea refulget: (splendor) 1.° *veritas*, dum repræsentat Moysem prout revera extitit quoad interna et externa: 2.° *infinitum*, tum objectivum, idque non modo quatenus statua illa, qua statua Moysis, omnem defectum a se excludit, ac proinde illimitatam perfectionem relativam, cujus creatura unicè est capax, continet, sed præsertim quatenus exprimit ideam archetypam Moysis, in mente divina infinita existentem; tum etiam *subjectivum*, quatenus revelat potentiam quodammodo infinitam artificis, qui veluti per intuitionem infiniti absoluti seu Dei, in quo continetur idea archetypa Moysis, vires ad statuam conficiendam accepit: 3.° tandem, plures affectus internos, sub una idea, pluraque lineamenta externa, sub una forma, continet et exprimit.

c) Triplicem, et distinguere, et assignare oportet pulchritudinem, seu potius, triplex pulchritudinis genus existit. *Pulchrum ideale* seu absolutum, quod est Deus, cui definitio pulchri, perfectissima et absoluta ratione competit; quippe qui continet, et summam *veritatem*, et summam rationem *infiniti*, et summam *unitatem*, quatenus simplicissimus quoad substantiam et entitatem est, et summam *pluralitatem*, quatenus ideas archetypas rerum omnium actualium et possibilium, simulque

omnes perfectiones in unitate et sub unitate essentiæ continet. *Pulchrum morale*, quo nomine significatur non sola pulchritudo rerum stricte moralium, sed etiam quarumcumque rerum spiritualium et intelligibilium, quæ ab ideali et absoluta pulchritudine deficiunt; sive res illæ sint pure spirituales, ut intelligentia, ordo moralis, angelus; sive sensibiles reddí queant, ut scientia, virtus, alia hujusmodi. *Pulchrum sensibile*, quod in sensibili materia existit, quodque non solum ratione, sed sensibus et imaginatione simul percipitur, ut pulchritudo corporis, cœli, maris, concentus musici, etc. *Pulchrum ideale*, utpote perfectum et absolutum, habet rationem regulæ, mensuræ et typi respectu duorum aliorum; quæ idcirco pulchri rationem magis aut minus sibi vendicant, secundum quod magis aut minus participant de pulchro illo ideali.

d) Infertur ex his, 1.° omne pulchrum involvere ac continere elementum ideale, vel intrinsece ac per identitatem, ut contingit in Deo, pulchro absoluto; vel saltem extrinsece aut per participationem, secundum quod pulchra moralia et sensibilia, magis aut minus accedunt, tum quoad propriam et subjectivam entitatem, tum quoad ideas et affectus quæ in nobis excitant, ad pulchrum illud ideale et absolutum.

e) Infertur 2.° fundamentum ontologicum, ac rationem primam sufficientem pulchritudinis creatæ, esse Deum, qua pulchrum ideale constituit, hoc est, quatenus in unitate essentiæ et intellectus, continet infinitas ideas archetypas rerum: quæ res, catenus dum existunt pulchræ dicuntur et revera sunt, quatenus respondent et adæquantur ideæ pulchritudinis in mente divina præexistenti. Enimvero, si pulchritudo nihil est aliud quam splendor veri, idem fundamentum ontologicum habeat opus est, ac ipsa veritas. Sicut ergo ratio et mensura veritatis transcendentalis in rebus creatis, de-

sumitur ex rerum adæquatione cum ideis divinis, ita ratio et mensura pulchritudinis creatæ, desumitur ex ejusdem adæquatione cum idea quæ continetur in mente Dei.

f) Infertur 3.° pulchrum ideale discriminari præterea a pulchro morali et sensibili, quia elementum omne sensibile a se excludit: ast duo alia pulchra, duplex elementum, aut continent, aut præsupponunt; ipsa enim intelligentia hominis, a sensibus pendet, ac per sensibilia perficitur et revelatur, ita tamen ut elementum spirituale et intelligibile in pulchritudine *morali*, magis dominetur quam in pulchris sensibilibus.

g) Si spectetur pulchrum quatenus effectus hominis esse potest, tres præsertim conditiones vel perfectiones in artifice præsupponit atque præexigit: quarum prima est, ut pulchri notionem, discrimina et elementa recte percipiat ac dijudicet: secunda, ut proportionem seu relationem elementi sensibilis cum spirituali, quæ operi efficiendo, attenta ejus natura aut conditione, congruit, recte et tuto agnoscat et dijudicare valeat: tertia, ut percipiat ejusdem operis relationem et affinitatem cum pulchro ideali eidem respondente in mente divina, cujus quamdam veluti intuitionem habere debet artifex. Prima perfectio appellari posset, *ratio æsthetica;* altera, *imaginatio æsthetica:* tertia, *intelligentia æsthetica.* Ex tribus simul junctis, exsurgit adæquata *facultas æsthetica* seu *genium* artificis.

h) Scientia quæ circa pulchrum versatur, *æsthetica* solet nuncupari, eaque posset definiri: *Cognitio scientifica pulchri atque formarum seu manifestationum ejus.* Ad hanc porro scientiam spectat: 1.° agere de pulchro secundum se, ejus intimam essentiam, principia, elementa et proprietates, exponendo ac evolvendo: 2.° agere de pulchro quoad duplicem ejusdem manifestationem seu formam fundamentalem extra Deum, nempe: 1.° qua-

tenus existit atque revelatur in operibus naturæ, a procella maris usque ad lilium agri; et 2.° quatenus existit atque revelatur subjective seu causaliter in homine, exponendo conditiones et qualitates, quæ homini inesse debent ad perceptionem, ac effectionem operis pulchri: 3.° tandem agere de pulchro, quatenus existit ac revelatur ope artis architectonicæ, statuariæ, pictoriæ, musicæ, ac poesis, quæ idcirco *pulchræ artes* audiunt.

Atque ad postremam istam æstheticæ partem pertinet, inter alia, conferre artem ethnicam cum arte christiana, animadvertere in quo conveniant aut discriminentur, assignare sufficientem rationem præstantiæ posterioris respectu prioris, utriusque evolutionem et phases exponere et critice dijudicare; quæ omnia æstheticæ peritus minime perficere poterit, nisi *historiam artis* in auxilium advocet.

ARTICULUS SEXTUS.

De Malo.

§ I.

Notio et divisio mali.

Quia bono malum opponitur, breviter hic disserere oportet de malo, quod quidem dupliciter sumi potest: 1.° *concrete* et *adæquate*, pro subjecto simul cum forma, seu pro natura quæ habet malum; quo sensu definiri potest: *natura privata perfectione sibi debita:* 2.° *formaliter*, pro ipsa ratione mali; quo sensu nihil est aliud quam *carentia perfectionis in subjecto cui debetur*.

Ex quo facile colligitur, malum formaliter sumptum, de quo solo nunc loquimur, in seipso esse nihil seu *non-*

ens; ast simul necessario præsupponere *ens aliquod positivum,* cui inest et in quo fundatur: « unde relinquitur, inquit D. Thomas, quod malum, secundum quod est malum, (malum *formale*) non est aliquid in rebus, sed est alicujus particularis boni privatio alicui particulari bono inhærens.» (1)

Pro cujus pleniori intelligentia, sicut et aliarum rerum quæ privationem involvunt, sedulo notare oportet, privationem respicere duo entia; unum, quod totaliter excludit, seu tollit; alterum, quod non excludit, sed e contra necessario supponit: sic *cæcitas,* totaliter excludit *visum,* et simul ponit vel supponit *animal,* in quo carentia visus habet locum. Similiter ergo malum, quod opponitur bono, ac proinde enti, quod cum bono convertitur, ex una parte, involvit carentiam alicujus boni vel entis determinati; et sub hoc respectu potest dici *non-ens:* ex alia vero, necessarium dicit ordinem ad subjectum vel naturam quæ privatur tali bono determinato et particulari ipsi debito; et sub hoc respectu, malum est aliquid positivum et ens reale. Apposite ad rem D. Thomas: (2) « Oportet ergo quod malum, quod naturaliter opponitur bono, opponatur etiam ei quod est esse. Quod autem est oppositum ei quod est *esse,* non potest esse aliquid: unde dico, quod id quod est malum, non est aliquid. Sed id cui accidit esse malum, (natura cui inest malum) est aliquid, in quantum malum privat non nisi aliquod particulare bonum: sicut et hoc ipsum quod est *esse cæcum,* non est aliquid; sed id cui accidit *cæcum esse,* est aliquid.»

Ex hac mali notione, duo merito colligit D. Thomas: 1.m quod *bonum est causa mali:* 2.m quod, malum non habet causam per se.

---

(1) *QQ. Disp. De Malo,* q. 1.ª art. 1.º
(2) *Loc. cit.*

Primum, quantumvis paradoxum prima fronte videatur, facile elucescet ei qui cogitet, naturam *privari* non posse perfectione sibi debita, hoc est, bono particulari quod sibi naturaliter inest et debetur, nisi per influxum alicujus causæ realis; sicut homo, cæcus non evadit, nisi per aliquam causam quæ ejus visum tollat vel destruat; atqui omnis causa realis, est ens reale ac proinde bonum, cum omne ens sit bonum, ut demonstratum est: ergo merito docet D. Thomas, «quod causa mali est bonum.»

Pronuntiatum alterum, his verbis declarat idem Angelicus Doctor: (1) Malum, in quantum hujusmodi, non potest esse intentum, nec aliquo modo volitum vel desideratum: quia omne appetibile habet rationem boni, cui opponitur malum in quantum hujusmodi; (sub ratione mali) unde videmus quod nullus facit aliquod malum nisi intendens aliquod bonum, (verum vel apparens) ut sibi videtur... Unde relinquitur quod malum non habeat causam per se.»

Quod spectat mali divisionem, congrue et adæquate dividitur in *physicum* et *morale*. Etenim malum, vel est privatio perfectionis seu entitatis aptæ naturam perficere in ordine physico, ut visus quo privat cæcitas, hominem in ordine physico perficit; et tunc dicitur *physicum:* vel est privatio perfectionis debitæ actibus in ordine morali, sive conformitatis ad legem regulantem actus naturæ intellectualis; et tunc dicitur *malum morale*, ut adulterium. Rejicienda itaque opinio Leibnitz, adstruentis, malum *metaphysicum*, quod apud ipsum est limitatio creaturarum, seu carentia quarumdam perfectionum in qualibet creatura. Sic planta, ex. c. quamvis possideat quasdam realitates, simul caret aliis, ut intellectu, quæ carentia, ejus malum metaphysicum constituit, apud Leibnitz.

---

(1) *Ibid.* art. 3.°

Ast perperam et immerito malum hocce metaphysicum asseritur: 1.° quia pugnat cum notione propria et formali mali, quod non in mera negatione, sed in privatione perfectionis subjecto ex propria natura debitæ positum est: 2.° quia ex ipso communi hominum sensu, mera negatio, hoc est, carentia perfectionis quæ subjecto non debetur, ejus malum nec est, nec vocatur; nemo enim lapidem concipit ut malum, ex eo quod intellectu careat. Qua in re egregie D. Thomas: «Remotio boni negative accepta, (mera negatio boni seu perfectionis determinatæ) mali rationem non habet; alioquin sequeretur quod ea quæ nullo modo sunt, mala essent; et iterum, quod quælibet res esset mala ex hoc quod non habet bonum alterius rei, utpote quod homo esset malus, quia non habet velocitatem capræ, vel fortitudinem leonis.» (1)

§ II.

Error Manichæorum et Bayle circa originem mali refellitur.

Superest ut Manichæorum errorem, quem Bayle restituere aggresus est (2) sæculo decimo septimo, paucis refellamus. Pro quo sit.

---

(1) *Sum. Theol.* 1.ª P. q. 48, art. 3.°

(2) Equidem, scepticus hic scepticorumque recentiorum parens, fatetur demonstrari posse *a priori*, non existere duo illa prima principia Manichæorum; at simul contendit, horum systema veritatem præ se ferre, vel saltem absurdum demonstrari non posse, si solæ probationes seu momenta *a posteriori* attendantur: ex quo tandem infert, Manichæorum systema circa existentiam principii summe mali, cum existentia principii summe boni, per solam revelationem, ex qua Dei unitas, et hominis originale peccatum constant, refelli posse. Errorem hunc Bayle confutavit præ ceteris Leibnitz in opere, cui titulus: *Essai de Theodic.*

Repugnat dari primum aliquod principium quod sit summe malum.

Prob. 1.° Per primum principium summe malum, vel intelligitur summa carentia boni, ita ut illud principium excludat omne bonum, vel intelligitur ens summam habens propensionem ad malum producendum; atqui utrovis modo accipiatur, absurdum involvit: ergo.

Prob. min. quoad primam partem. Summa carentia boni, includit summam carentiam entis, cum ex dictis, bonum convertatur cum ente, et omne ens, qua ens, boni rationem habeat; atqui summa carentia entis, idem est ac *non-ens* absolutum, seu nihilum: ergo primum principium summe malum, hoc sensu acceptum, identificatur cum nihilo.

Quoad 2.am partem aperte constat: primo, quia revera implicat in terminis hic sensus; quia ex una parte, illud principium esset bonum, eo ipso quod supponitur ens reale; et ex alia parte, nihil haberet boni, eo ipso quod supponitur *summe malum*, utpote summam habens propensionem ad malum, ac proinde a se penitus excludens quodcumque bonum. Secundo, quia illud principium, cum supponatur primum, independens a principio bono, et proinde a se et necessario existens, continere debet omnes perfectiones possibiles, quia nihil est quod eidem limitationem conferre possit; secus enim, jam non primum, nec independens, nec a se existens vere diceretur. Nec alia ratione probamus, Deum cunctas possibiles perfectiones continere, infinitatemque sibi vendicare, nisi quia a se necessario existit, independenter a quovis alio ente: ergo principium illud, si existeret, necessario haberet summam et infinitam bonitatem, ac proinde non solum non summe malum, ad sensum manichæorum, sed nec vel minimum malum appellari potest.

Prob. 2.° Malum ut malum, nullam realitatem seu essentiam ponit, sed tollit et negat, ut cœcitas, quatenus malum hominis et in se spectata, tollit essentiam seu *realitatem visus:* ergo res summe ac proinde essentialiter et omnimode mala, tollit et negat omnem realitatem, atque identificatur cum puro nihilo. Ad rem D. Thomas: «Si aliquid est summe malum, oportet quod per essentiam suam sit malum; sicut summe bonum est quod per suam essentiam bonum est. Hoc autem est impossibile, cum malum non habeat aliquam essentiam: impossibile est igitur ponere summum malum, quod sit malorum principium.» (1)

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Cum Bayle. Facultas seu potentia peccandi quæ inest libero arbitrio hominis, procedere nequit a principio summe bono: ergo derivatur ab aliquo principio summe malo. Prob. cons. Quod est malum, a malo principio tantum oritur; sed præfata facultas liberi arbitrii est mala: ergo.

Resp. 1.° Dist. ant. Facultas, etc. *si sumatur pro ipso libero arbitrio quatenus includit potentiam ad bene, vel male agendum*, neg. *si sumatur hæc facultas pro defectibilitate radicali liberi arbitrii*, conc. Principium summe bonum, sive Deus, est causa liberi arbitrii; quod quidem in seipso perfectio est realis, simul tamen involvens aliquam imperfectionem, sicut contingit in omni re creata. Sicut ergo Deus est causa animalis, quamvis animal

(1) *Sum. cont. Gent.* lib. 3.° cap. 15.

includat carentiam alicujus perfectionis, ex. c. intellectus, ita est causa liberi arbitrii, quamvis hocce liberum arbitrium in homine includat aliquam imperfectionem quam non habet in ipso Deo, nempe, facultatem seu potentiam ad peccandum, quæ eidem inest, eo ipso quod est creatum et ex nihilo eductum. Quapropter, facultas ista peccandi, si sumatur non pro ipso libero arbitrio adæquate, sed cum præcisione pro sola capacitate originaria, seu pro difectibilitate radicali, a Deo non procedit, sed potius ab ipso libero arbitrio prout creatura, ac proinde finita et ex nihilo educta. Porro, ista defectibilitas proprie non est malum, quia est carentia perfectionis, quæ non debetur subjecto creato; ac proinde non est privatio, sed mera negatio.

Resp. 2.° Etiam omisso ant. neg. prob. cons. Nam falsum prorsus est, malum oriri tantum posse a principio malo. Quin potius, ut ex demonstratis patet, malum, præsertim morale, fundatur in bono, et a bono tanquam a causa efficiente procedit; cum enim sit privatio alicujus boni particularis, quod subjecto inesse natum est, necessario exigit actionem et influxum realem alicujus causæ bonum illud impedientis aut destruentis.

Objic. 2.° Bonum summum illud dicitur quod excludit omne malum; aliter enim jam non esset summum; atqui videmus multa mala existere: ergo admittere oportet principium malorum, quod in seipso sit summum, et æque potens ac principium bonum.

Resp. Dist. ant. Summum bonum excludit omne malum *a seipso*, conc. *a suis effectibus*, subd. *si rationem sufficientem non excludendi habeat*, neg. *aliter*, trans. Itaque, quamvis Deus, utpote summum bonum, nullum mali consortium in se pati possit, bene tamen pati potest in effectibus; quibus quidem necessario inest malum radicale, seu possibilitas mali, quamvis defectus, vel mala actualia sint absolute contingentia. Nam, ut merito

habet Leibnitz, (1) « fundamentum mali est necessarium, sed ortus tamen contingens; id est, necessarium est ut mala sint possibilia, sed contingens est ut mala sint actualia.» Sed

Urgebis: Assignari nequit ratio sufficiens transitus malorum e possibilitate ad actum: ergo permanet argumenti vis.

Resp. Irrationabile penitus esse, inficiari aut etiam dubitare, Deum sufficientes rationes habere ad mala actualia producenda aut permittenda, ex eo quod nos rationes hasce assignare non valemus. Si enim præ oculis habeamus ex una parte infinitam Dei sapientiam, bonitatem et justitiam, et ex alia parte, mentis nostræ imbecillitatem, summamque ignorantiam in qua versamur circa ipsa manifestissima et quotidiana naturæ, statim agnoscemus et fatebimur cum D. Augustino, existentiæ malorum actualium, *occultam causam esse posse*, *injustam esse non posse*. Adde his, nos bene posse assignare causas aliquas rationabiles actualium malorum. Ac primo quidem, quia Deus ex malis majora bona elicit; nam ut cum DD. Augustino et Thoma loquamur: «Deus omnipotens, nullo modo sineret malum aliquod esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus, ut bene faceret etiam de malo.» Secundo, quoad mala physica et pœnæ, eis tanquam generalis ratio assignari potest ordo Universi, qui exsurgit ex rerum harmonia et oppositione, successione, motu et varietate, quæ omnia exquirunt defectus, privationes et corruptiones; sicut ignis non existit nisi lignum destruatur, nec *granum frumenti nisi mortuum fuerit* multum fructum affert, nec pluvia agros fœcundat, nisi afferens frigus, aut humiditatem ægro periculosa, aut tempestatem et fulmina. Deus ergo,

(1) *Causa Dei asserta per just.* núm. 69.

ut ait D. Thomas (1) «malum naturalis defectus, vel malum pœnæ, vult volendo aliquod bonum cui conjungitur; sicut volendo justitiam, vult pœnam, et volendo ordinem naturæ servari, vult quædam naturaliter corrumpi.« (2)

Tandem, quoad malum morale, præter hucusque allatas rationes, quæ omnes pro eo etiam militant, speciales præterea assignari possunt. Nec enim incongrue dicitur, permissionem peccati in aliquibus hominibus, ordinari ad exercitium et perfectionem virtutis in aliis; patientia enim martyrum ex persecutione tyrannorum, et Sanctorum sanctitas ex impiorum tentationibus, calumniis et scandalis, aucta et firmata evadit. Maxime quoque hac ratione elucent Dei attributa, misericordia, dum errantes ad viam revocat et suscipit; justitia, dum obstinatos punit, sicque de aliis.

Objic. 3.° Si principium summe bonum unice existeret, explicari non potest congrua ratione origo mali, præsertim moralis: ergo. Prob. ant. Vel principium istud summe bonum mala non tollit quia non potest, quamvis velit, et tunc Deus est imbecillis et finitus; vel quia potest, sed non vult, et tunc erit invidus, quod sane alienum est a Deo: ergo.

Resp. Neg. ant. Ad prob. conc. antec. quoad secundum partem, negatur ejus sequela. Quandoquidem, absurdum est invidiam tribuere Deo, cui, utpote infinito, nihil ăddi aut detrahi potest, quique creaturas ex nihi-

---

(1) *Sum. Theol.* 1.ª P. q. 19 art. 9.°

(2) Id, ut mittam, non pauca ex malis, quæ homini aliisque rebus accidunt, ex hominis voluntate et culpa originem ducere. De qua re apposite et merito Leibnitz: «In hac vita multi queruntur in universum, quod humana natura tot malis exposita est, parum cogitantes, magnam eorum partem ex culpa hominum fluere, et revera non satis grate agnosci in nos divina beneficia, magisque attentionem ad mala quam ad bona nostra verti.» *Loc. cit.* núm. 52.

lo libere ac ex sola bonitate produxit, æquali fælicitate præditus ante et post earumdem productionem. Itaque, ex eo quod Summum Bonum possit et non velit omnia mala tollere, consequitur solummodo ipsum habere in thesauris scientiæ et sapientiæ divinæ, justa motiva congruasque rationes, quamvis sæpe nobis ignotas, ad hujusmodi mala non tollenda. Quod si de malis moralibus speciatim fiat sermo, ipsorum efficiens et sufficiens causa est humana voluntas, quæ ex innata libertate, ab ordine morali recedere potest; minime vero Deus, nam, ut bene habet D. Thomas, «malum culpæ quod privat ordinem ad bonum divinum, Deus nullo modo vult,» quamvis aliquando permittat seu non impediat propter, rationes Dei sapientiæ, justitiæ et providentiæ consentaneas.

CAPUT TERTIUM.

DE CAUSIS ENTIS.

ARTICULUS PRIMUS.

Generalis notio ac divisio causæ.

Quoniam *causæ* nomen et notio, pluribus rerum generibus *causalitatem* includentibus congruit, non ita facile definiri potest, dum generatim accipitur. Describi tamen potest: *Principium continens in se rationem transitus alterius rei de non esse ad esse.* Per priora verba causa convenit cum principio, quod ad ipsam tanquam genus comparatur; principium enim exprimit tantum *id a quo aliquid procedit*, abstrahendo a modo procedendi, qui potest esse cum vel absque reali et physico influxu, atque etiam per realem distinctionem et depen-

dentiam procedentis, vel secus. Dum dicitur *alterius rei de non esse ad esse*, exprimitur id quod causa principio superaddit; quatenus id quod ab alio tanquam a causa procedit, ita procedit ut transeat de non esse ad esse, saltem quoad aliquid et inadæquate, simulque naturam vel essentiam habeat realiter distinctam a natura principii. Posset etiam vocari causa, *id quod concurrit ad effectionem alterius*, sicut *effectus* dicitur id quod exsurgit ex effectione alterius. Ex his colliges sequentia.

1.° Quamvis omnis causa sit principium, non tamen omne principium est causa; quia, ut habet D. Thomas, «hoc nomen *principium*, ordinem quemdam importat: hoc vero nomen *causa*, importat influxum quemdam ad esse causati.» Sic, aurora ex qua incipit dies, hujus principium, non tamen causa, dici potest.

2.° Ad rationem causæ duo præsertim requiruntur: 1.° ut res ex illa procedens transeat de non esse ad esse, vel adæquate, ut dum res creatur, vel saltem inadæquate, ut dum ex materia præexistente, ut ex marmore statua, fit: 2.° ut res causata dependentiam et distinctionem realem habeat ex causa; nam id quod transit de non esse ad esse ex vi et virtute alterius, ab hoc plane dependet quatenus ab eo recipit esse, simulque realiter ab eo distinguitur; causa etenim prior est effectu, nec hujus esse producere potest, nisi quatenus ipsa in se prius esse habet distinctum ab esse effectus, quod adhuc non est. Quapropter merito latini (1) Patres et theologi docent, salvari quidem rationem principii, non vero causæ, in augustissimo Trinitatis mysterio; quia ibi persona procedens, nec incipit de novo esse transiens de non esse ad esse, nec naturam habet, aut

(1) Dico *latini*, quia Orientalis Ecclesiæ Doctores nomen *principii* et *causæ*, dum de Trinitate loquuntur, indifferenter usurpant.

dependentem, aut realiter distinctam a principio a quo procedit.

3.° Quamvis causa prior sit effectu, vel tempore, vel saltem naturæ prioritate, ad quam requiritur distinctio et dependentia naturæ procedentis ab alio, *principium* tamen, solam prioritatem originis exquirit; quæ tunc datur, quando principium naturam *eamdem*, non distinctam aut dependentem communicat principiato. Sic Pater in divinis, non tempore, nec natura, sed origine tantum, prior est Filio.

Causarum genera ad quatuor commode revocari possunt. Siquidem, ad effectum producendum concurrere possunt: 1.° materia vel subjectum ex quo fit: 2.° forma seu realitas, quæ effectus naturam determinat, atque in hac vel illa specie constituit: 3.° agens, quod physice influit et operatur ad formam ponendam in materia: 4.° bonum, quod allicit agens intellectuale ad effectum producendum, vel finis ad quem effectus tendit ex naturæ Auctore et supremo ordinatore. Rex exemplo fiet manifesta: ad conficiendam vel producendam statuam Cæsaris, requiritur marmor ex quo conficiatur, tanquam causa *materialis:* dispositio congrua marmoris pro Cæsare repræsentando, tanquam causa *formalis:* artifex qui marmori hanc dispositionem seu formam determinatam sua actione tribuat, tanquam causa *efficiens:* tandem lucrum, fama, vel bonum aliud, quod artifex obtinere intendit per statuam, quodque eumdem determinavit et allexit ad ipsam conficiendam, tanquam causa *finalis*.

Quidam addunt causam *instrumentalem* et causam *exemplarem*. Sed prima, merito revocatur ad efficientem, quippe ea, si vere causa est et prout a puro *medio* distinguitur, actione sua physica concurrere debet ad productionem effectus, sicut serra *scindendo*, et penicillus colores apte suscipiendo et *distribuendo*, concurrunt ad

confectionem scamni et imaginis. Attamen, hæc activa cooperatio instrumenti, necessario requirit motionem seu influxum actualem causæ principalis, per quam motionem, instrumentum quasi elevatur ad rationem causæ efficientis actualis. Quamvis namque scindere, ex. gr. sit actio propria serræ, at scindere *tali modo* ut scamnum producatur, serræ convenit, non ex seipsa, sed ratione motus et directionis quam recipit ab artifice.

Itaque instrumentum, qua tale, involvit ex una parte, aptitudinem seu virtutem ad aliquam actionem ipsius propriæ naturæ respondentem, ut scindere serræ, contundere malleo, ex propria conditione respondent: ex alia vero parte, motum seu influxum actualem receptum a causa principali, ratione cujus instrumentum elevatur ad productionem effectus, qui excedit ejus propriam vim et conditionem; sicut malleus, ex motu et influxu artificis elevatur ad conficiendam statuam, qui effectus superat conditionem mallei, et actionem contundendi secundum se sumptam. Cæterum, inter hæc duo, postremum est veluti præcipuum et proprium instrumenti; nam primum potius se habet tanquam conditio *sine qua non*, quatenus, ut bene habet D. Thomas, (1) « instrumentum non perficit actionem instrumentalem *nisi* exercendo propriam: » ubi aperte innuitur, actionem propriam instrumenti, qua talis, sive, ut ipsemet ait, *actionem instrumentalem*, præsupponere actionem propriam instrumenti. Unde et ibidem docet, quod «causa instrumentalis non agit per virtutem suæ formæ, (nempe, ad productionem effectus principalis, ut statuæ respectu mallei) sed *solum* per motum quo movetur a principali agente.» Illud ergo quod proprium ac essentiale est instrumento reduplicative ut instrumento, est elevari ad effectum excedentem propriam conditionem per

(1) *Sum. Theol.* 3.ª part. q. 62, art. 1.°

influxum transeuntem sive motum actualem ab agente principali receptum; namque, ut ipsemet D. Thomas ait alibi, (1) «instrumentum numquam adhibetur ad causandum, nisi per viam motus; est ratio instrumenti, ut sit movens motum.» Hæc præ oculis maxime habeantur ab eis qui Theologiæ operam daturi sunt; secus enim in re sacramentaria, et aliis hujus scientiæ capitibus, parum aut nihil proficient.

Causa vero *exemplaris* facile reducitur ad formalem, quatenus *extrinsece* determinat et constituit effectum in determinata specie. Forma enim quam artifex, ex. gr. in marmore ponit, quæque statuam interne constituit, nihil est aliud quam applicatio et imitatio ideæ sive formæ in mente artificis præexistentis: unde determinatio specifica entis, quæ immediate et interne perficitur per causam formalem, mediate et externe efficitur per causam exemplarem. Revocari etiam hæc potest ad causam finalem, quatenus artifex *intendit* ideam typicam, quam mente præhabet, applicare et transferre ad materiam.

Hæc quatuor causarum genera, *si ad invicem* comparentur, ita in creatis ordinantur, ut prior sit causa materialis, quia ex nihilo nihil fit, et omne creatum agens, materiam in qua operetur præexigit: deinde, sit causa finalis, quæ agentem excitat ad operandum: tertio, causa efficiens, quæ formam in materia ponit: quarto, causa formalis, ex cujus productione et unione cum subjecto vel materia exsurgit *effectus*.

Si vero de causis loquamur *prout effectum* respiciunt, ita se habent, ut causa finalis in agente bene ordinato sit nobilior effectu; nam finis, ut finis, præstantior est medio, et effectus productus se habet ut medium ad finem intentum adsequendum. Causa efficiens, si instru-

(1) *Sum. cont. Gent.* l. 2.° cap. 21.

mentalis sit, potest esse imperfectior aut inferior effectu; at si principalis sit, vel nobilior, vel saltem æque nobilis existit cum effectu; nulla res enim dat alteri, quod actu vel virtute non habet. Causæ materialis et formalis, seorsim sumptæ, imperfectiores sunt effectu, qui ex eis veluti partibus coalescit, ut homo ex anima et corpore; at si conjunctim et simul sumantur, æque perfectæ sunt ac ipsarum effectus, quocum identificantur.

ARTICULUS SECUNDUS.

De causa efficiente.

§ I.

De notione et existentia causæ efficientis.

Prænotanda:

1.° Causa efficiens sumitur *materialiter*, quando spectatur quatenus est res quædam habens virtutem ad producendum effectum, quem tamen non producit; quæ dici etiam solet causa *in actu primo*. Sumitur *formaliter*, quando spectatur prout exercet vel exercuit munus causæ per influxum physicum in effectum; sub quo respectu, suscipit etiam denominationem causæ *in actu secundo*.

2.° Relatio quæ intercedit inter efficientem causam et ejus effectum, non est puræ *successionis;* tum quia non repugnat effectus causæ coexistens et simultaneus, ut lux respectu solis; tum quia mera successio dari potest absque efficienti causalitate, sicut contingit dum dies nocti succedit. Unde turpiter erravit Locke, dum notionem causæ in præcedentia relativa et successione phænomenorum constituit. (1)

---

(1) «Après avoir vu que dans la substance que nous appelons cire, la fluidité qui n'y était pas auparavant y est constamment produite par

Nec sufficit ad rationem causæ efficientis *connexio* necessaria; possunt enim duo entia necessario et constanti nexu ligari, quin unum sit causa alterius, prout contingit in causa necessario et naturaliter agente, quæ duos effectus simul producat, ut sol lucem et calorem.

3.° Itaque notio causæ efficientis posita est *in actione physica quæ continet rationem sufficientem transitus rei de non esse ad esse*, ita ut si existat hæc actio, eo ipso existat ratio sufficiens ad existentiam effectus, quamvis hic impediri possit per *accidens*, defectu alicujus conditionis extrinsecæ: sic, posita actione ignis, ponitur ratio sufficiens *combustionis stuppæ*, quamvis combustio de facto non existat, *nisi* stuppa igni admoveatur. Definiri ergo potest causa efficiens: *Principium extrinsecum cujus actio physica continet rationem sufficientem entis de novo existentis*. Dicitur *extrinsecum*, ut distinguatur a causis materiali et formali, quæ sunt principia intrinseca: dicitur *actio physica*, ut excludatur causa finalis, quæ *moraliter* influit ad productionem effectus.

4.° Ex his omnibus colligitur, notionem causæ, sicut et principium causalitatis quo continetur et exprimitur, originem ducere partim *a posteriori*, et partim *a priori*. Oriuntur *a posteriori*, quatenus ex experientia tam externa quam interna, perspicimus rerum mutationes rea-

---

l'application d'un certain degré de chaleur, nous donnons à l'idés simple de chaleur le nom de cause par rapport à la fluidité qui est dane la cire, et celui d'effet à celui de cette fluidité.» *Essai sur l'Ent. hum.* l. 2.° cap. 26. Ex hac theoria lockiana, quæ notionem causæ tribuit sensibus successionem phænomenorum testantibus, legitime collegit Hume, nullam nobis adesse notionem veram et realem causæ efficientis; quia hæc notio, et principium causalitatis quod ex ea pendet, necessitatem, universalitatemque præ se ferunt, quæ sensuum experientiam et phænomenorum sensilium successionem transcendunt. Unde scepticismus Hume hac in parte, nihil est aliud quam evolutio doctrinæ Locke circa notionem causæ efficientis.

les et physicas, ac proinde transitum rei de non esse ad esse. Oriuntur *a priori*, quatenus his semel per experientiam habitis, rationi acquiritur notio rei quæ a non esse ad esse transit, atque proinde *effectus*. Jam vero, in idea ipsa seu notione effectus, continetur essentialiter ejus distinctio et dependentia ab aliquo alio ente, cum nihil sibi dare possit esse; secus enim, res operaretur et esset antequam esset. Itaque principium causalitatis, potest dici empiricum *præsuppositive* et veluti *conditionate*, quatenus exigit præviam observationem et experientiam, qua perspicimus, res aliquas *incipere esse* sive transferri de non existentia ad existentiam. Ast, si spectetur in seipso, est *rationale* et *a priori;* quia exurgit ex evolutione et analysi *effectus*, cujus idea vel notio continetur in præfata experientia. Quod etiam vel ex eo apertè constat, quod etiamsi non possemus assignare causam nullius determinati effectus, sed eas cunctas ignoraremus, sufficeret nobis scire effectum aliquem existere, vel res aliquas incipere esse, ad dignoscendum principium causalitatis, ipsumque ut verum per certitudinem habendum.

Superest nunc ut refellantur *Occasionalismi* sectatores; quorum rigidiores autumant, nulli creaturæ competere rationem causæ efficientis, solumque Deum effectus omnes producere intuitu quarumdam rerum, quæ idcirco *occasiones* vocantur: ex ipsis vero alii mitiores, rationem causæ efficientis spiritualibus substantiis concedunt, minime vero corporibus; quamquam et inter hos quidam, agendi vim in corporibus animatis agnoscunt.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

THESIS 1.ª

Substantiæ spirituales creatæ virtute activa donantur, suntque proinde vere et proprie causæ efficientes.

Prob. 1.° Ex perspicuo et ineluctabili conscientiæ testimonio, quo intime experimur, nos vere agere, intelligere, velle; immo etiam experimur, nos ipsos determinare ad volendum, vel nollendum, ad movendum, vel non movendum brachium: unde non solum experimur et conscii sumus, in nobis esse actiones quæ ex nobis ipsis oriuntur, sed experimur etiam, animam seu voluntatem continere rationem sufficientem quorumdam motuum corporis, ex. gr. determinationem voluntatis, continere rationem sufficientem, esseque proinde causam efficientem motus brachii. Nisi ergo velimus conscientiæ vim omnemque proinde certitudinem funditus evertere, fateamur opus est, animam humanam, et *a fortiori* reliquas substantias spirituales, quæ ipsam perfectione superant, vera activitate donari, verasque esse causas efficientes.

Prob. 2.° ex absurdis quæ ex adversante consequuntur hypothesi. Nam si homo non est vere causa efficiens actionum quæ liberæ appellantur, per easdem non meretur aut demeretur; ¿qua etenim ratione mereri aut demereri possumus per operationes, quæ a nobis vere non oriuntur, nec in nostra sunt potestate et dominio? Præterea, si operationes hominis, a Deo *unice* et *per exclusionem causalitatis* creatæ procedunt et efficiuntur, ipsi imputabitur earum malitia et deformitas moralis; quippe præfatæ operationes a Deo *unice* procedunt, ad easque nihil homo operatur aut influit, sed potius recipit et patitur. Ergo hypothesis rigidioris

Occasionalismi, genuinam notionem humanæ libertatis, moralemque ordinem, qui libertati superstruitur, penitus subvertit.

THESIS 2.ª

Corpora etiam, agendi vi prædita sunt, veramque rationem causæ efficientis obtinent.

Prob. 1.° ex communi hominum sensu quotidiana et perspicua experientia innixo. Uti enim eleganter habet Goudin, corporum activitas constat, « non ex tenebricosa quadam experientia, sed ex publico mundi cursu, et clara nullique non exaudita naturæ voce, quæ nos, cum primum emergente ratione rerum ordinem animadvertere cepimus, admonuit, agendi patiendique vice constare mundi ordinem et rerum commercium: corporibus, ut intereundi necessitatem, ita et gignendi vim inesse: mutationes novas, easque insignes in rebus contingere: illas, ut alicujus corporis passiones, ita et alterius actiones esse: immo, effectuum fontes propalavit, atque in quoque, quæ vis resideret, mille monstravit experientiis; in sole illuminandi, in igne comburendi, in plantis vegetandi, in animalibus sentiendi et movendi, in omnibus, quoad fieri potest, res sibi similes producendi. De hoc naturæ fonte haustæ sunt, *actionis*, *passionis*, *virtutis activæ*, *generationis*, *alterationis*, *effectus*, aliæque voces hujusmodi, eæque non artis regulis, sed naturæ instinctu, suis rebus accommodatæ. Quæ omnia, si quis nunc labefactare velit, negando quidquam de novo produci, aut ullam inesse rebus agendi vim, prius necesse est os ipsum naturæ obstruat, aut certe nobis mentem aliam inserat, vel in alium orbem nos inducat. Quandiu enim in isto vivimus, clara naturæ tuba continuo personat ad aures nostras, et *fieri*, et *facere*, et *agere*, et *pati*, locum habere in rebus.»

Prob. 2.° ex absurdis quæ ex occasionalistarum hypothesi consequuntur. Nam, ut cætera prætermittam, ex hac hypothesi: 1.° subtrahitur Universi ordo, qui maxime consistit atque elucet in physico nexu et dependentia rerum inter se, quæ proculdubio eliminantur, si corpora invicem nihil agunt, nec patiuntur; eatenus quippe alia aliis subjiciuntur, quatenus eorum influxum et actiones recipiunt. 2.° Destruitur sive evacuatur naturalium rerum scientia. Siquidem, rerum, præsertim corporearum, naturam et attributa, non aliter agnoscimus ac dijudicamus, nisi ex earumdem effectibus et operationibus, quæ sensibus et experientia nobis constant, et ex quibus corporum attributa et essentias venamur. Jam vero, si hujusmodi effectus et operationes, non ex ipsis corporibus oriuntur, sed per solum Deum peraguntur, naturam et attributa corporum in quibus locum habent, minime manifestant, nosque perpetuo deludimur errore, dum de corporum natura et proprietatibus pronuntiamus, juxta ipsorum effectus et operationes. (1)

---

(1) Sunt qui Cartesium cartesianosque honorare intendunt Occasionalismi inventione; sed immerito. Nam honor iste, si quis honor adest in erroneis et paradoxis adinveniendis et tuendis, Cartesio et cartesianis obtingere nequit: quandoquidem, D. Thomas, Occasionalismum aperte commemorat, dum scribit: «Simpliciter concedendum est, Deum operari in natura et voluntate operantibus. Sed quidam hoc non intelligentes, in errorem inciderunt, attribuentes Deo hoc modo omnem naturæ operationem, quod res naturalis penitus nihil ageret per virtutem propriam..... unde dicebant, quod ignis non calefacit, sed Deus creat calorem in re calefacta.» *QQ. Disp. De Pot.*, q. 3.ª, art. 7.° Cartesius itaque cum suis cartesianis, nihil aliud hic fecit, sicut sæpe alias, quam vetera paradoxa exsuscitare, ad philosophiam christianam *instaurandam*, si superis placet.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° cum Mallebranche. Tribuere creaturis rationem causæ efficientis, idem est ac divinitatem ipsis tribuere: ergo. Prob. ant. Transferre rem de non esse ad esse, proprius est effectus Dei; sed causæ efficientis nomine id intelligitur, quod actione sua physica rem transfert de non esse ad esse: ergo.

Resp. Neg. ant. Ad prob. dist. maj. Transferre rem de non esse ad esse, *per creationem,* sive *nulla præsupposita materia*, conc. *per solam mutationem materiæ præsuppositæ*, subdist. *per appropriationem*, conc. *per exclusionem alterius causæ*, neg. Equidem, solus Deus potest communicare esse per creationem, *totum* effectum ex nihilo educendo, ad quod sane requiritur virtus infinita et divina. Ast hæc minime exquiritur ad transferendum effectum de non esse ad esse, non quidem totum hoc esse *efficiendo*, sed determinando in materia præsupposita mutationem substantialem, vel accidentalem, ex qua exsurgat nova res a præcedenti distincta; ad quod certe, nulla exigitur vis divina vel infinita. Attamen, hic ipse effectus causæ creatæ, si spectetur præcise quatenus involvit transitum de non esse ad esse, seu novum existere, merito attribuitur et appropriatur Deo, qui, utpote Causa prima et universalissima, operatur simul cum causa secunda ad productionem effectus; qui proinde, quamvis procedat a Deo tanquam a causa prima, et a creatura, tanquam a causa secunda, ratio tamen entis, utpote universalissima, respondet speciali ratione causæ universalissimæ. Ut enim egregie ait D. Thomas, (1) «cum Deus sit ipsum esse, oportet

(1) *Sum. Theol.* 1.ª P., q. 8.ª, art. 1.°

quod esse creatum sit *proprius* ejus effectus: hunc autem effectum causat Deus in rebus, non solum quando primo esse incipiunt, sed quandiù in esse conservantur.»

Objic. 2.° Effectus, eo magis dependet a causa efficienti, quo hæc perfectior existit non utens aliarum ope ad effectum producendum; sed Deus est causa perfectissima: ergo in productione effectuum non utitur aliis causis creatis.

Resp. Omiss. præmiss. Dist. cons. Non utitur aliis causis *quasi eis indigens*, conc. *quasi ejus causalitas creaturæ causalitatem necessario excludat*, neg. Sicut enim Deus creaturis esse communicat, non quod eis indigeat, sed ut sapientiam et bonitatem ostendat, liberrimaque voluntate, non absimiliter vim agendi creaturis communicat, quo ejus sapientia, bonitas et potentia commendantur, non quod eis indigeat ad effectum producendum. Sed

Instabis: Ex dictis, Deus est causa sufficiens et adæquata naturalium effectuum; atqui causa sufficiens et adæquata excludit alias: ergo.

Resp. Dist. min. Excludit alias *ejusdem ordinis*, conc. *alterius ordinis*, neg. Ex instantia tantum colligitur, Deum, utpote causam infinita vi præditam et a se existentem, excludere alias causas *primas* et infinitas, non vero causas *secundas*, quæ, utpote alterius et inferioris ordinis, non operantur nisi cum dependentia a causa prima.

Objic. 3.° Causa efficiens debet esse præsens effectui producto, ac proinde subjecto in quo producitur; atqui corpus nequit esse præsens alteri corpori: ergo. Prob. min. Corpus ratione impenetrabilitatis, in alio corpore esse nequit, sed tantum extra illud: ergo.

Resp. Dist. min. Corpus nequit esse præsens alteri, *præsentia penetrativa*, conc. *contactus*, neg. Itaque, si-

cut non uno et eodem modo in loco existunt substantiæ spirituales et corporeæ, ita nec unum et idem genus præsentiæ obtinent pro effectu producendo. Unde licet corpus agens corpori patienti non illabatur, sicut illabitur Deus, qui omnibus entibus est intime præsens, ipsi tamen præsens fit per contactum, ratione cujus partem corporis contiguam et propinquiorem immutat, atque hac media, alias et alias successive; « quia ut unum corpus, inquit Suarez, (1) agat in aliud, non est necesse ut penetrative sit simul cum illo in eodem loco, sed satis est quod sint sufficienter propinqua, ut ipsa experientia ostendit..... Quocirca, quamvis quantitas (quæ penetrationem corporum impedit) non sit activa, non tamen omnino impedit actionem.»

§ II.

De causalitate causæ efficientis.

Diximus supra, causam efficientem constitui *in actu secundo* per actionem seu actualem operationem; ex quo plane consequitur, causalitatem causæ efficientis prout in *actu secundo*, esse ipsam actionem. Sed cum causalitas *actualis* præsupponat *potentialem*, et actus *secundus* actum *primum*, vestigare nunc oportet principium sive radicem ex qua profluit præfata causalitas efficiens in actu secundo.

Jam vero, principium actus secundi seu operationis causæ efficientis, vel est principium *quod*, hoc est, res illa *quæ* agit, sive suppositum *quod* operatur; vel est principium *quo*, hoc est, realitas illa ratione cujus sup-

(1) *Metaphys. Disp.* 18, sect. 1.

positum operationem potest profundere: illudque dicitur *radicale*, si sit prima radix et origo activitatis quæ supposito convenit; si vero contineat rationem sufficientem immediatam hujus vel illius operationis, dicitur principium *quo proximum*. Sic, ut exemplo rem illustremus, si supponamus hominem actu *intelligere* et *loqui*, quamvis *intellectio* homini adsit per intellectum et ratione intellectus, et similier locutio per os et linguam determinate dispositis, dicimus equidem, quod homo est qui intelligit et loquitur; sed tamen *intellectio* et *locutio* homini congruunt, tum ratione animæ rationalis, tum ratione intellectus et facultatis loquendi, ex quibus et per quæ hujusmodi operationes eliciuntur.

THESIS 1.ª

Principium quo radicale agendi in substantiis corporeis est forma substantialis.

Dico *in substantiis corporeis*, quia in substantiis spiritualibus, utpote simplicibus, essentia vel natura ipsarum, habet rationem principii *quo* respectu operationum.

Prob. thesis 1.° In supposito operante, id quod est ratio sufficiens et principium formale quoad essentiam rei, debet esse etiam ratio sufficiens et principium radicale agendi; operatio enim sequitur essentiam rei ipsique commensuratur, nam videmus et experimur, modum agendi et operationem cujusque rei, respondere et veluti proportionari naturæ vel essentiæ rei operantis. Atqui forma substantialis est ratio sufficiens et principium formale constituens et determinans essentiam rei in substantiis corporeis, ut anima hominis, et bruti, constituunt et determinant naturam specificam eorum: ergo forma substantialis est principium *quo* primum et radicali agendi.

Prob. 2.° Corpora constituuntur ex materia et forma

substantiali, per quam unum corpus essentialiter ab alio distinguitur in ratione substantiæ; atqui materia nequit esse principium aut ratio activitatis, quippe materia ex se iners existit: ergo sola forma potest esse principium substantiale et primum activitatis quæ corpori inest.

THESIS 2.ª

Principium quo proximum vel immediatum actionis in substantiis creatis, non est ipsa essentia, vel substantia, sed potentiæ, seu vires activæ, quæ ab ipsa realiter distinguuntur.

Prob. Operatio in substantiis creatis est aliquid accidentale, a substantia operante realiter distinctum; siquidem, potest adesse, vel abesse, salva rei essentia et substantia, ut deambulare, videre, etc. respectu Petri: ergo potentia ex qua oritur hæc operatio tanquam ex principio proprio et immediato, est etiam aliquid accidentale. Prob. cons. Potentia necessario dicitur ad actum, proindeque necessario ipsi commensuratur, hujus genus et conditionem sequens; ita ut si actus sit substantialis, requirat potentiam substantialem; si sit actus spiritualis, potentiam spiritualem, etc. Sic, quia subsistentia est actus substantialis, respondet potentiæ substantiali, nempe, substantiæ; quia intelligere est actus spiritualis, requirit potentiam spiritualem: ergo si operatio in creatis substantiis est accidens, ipsi respondet, tanquam potentia propria, aliquid accidentale; secus enim actus et potentia non essent in eodem genere, et potentia non diceretur ad actum: ergo hæc operatio non oritur immediate ab ipsa substantia operante, sed mediis viribus seu potentiis ab ipsa realiter distinctis. Ergo, ut veteres Scholastici cum D. Thoma ajebant, *nulla substantia creata est immediate operativa.*

Prob. 2.° ex discrimine quod D. Thomas perpetuo

statuit inter Deum et creaturas. Sicut enim in solo Deo existentia identificatur cum essentia, ita etiam in solo Deo operatio identificatur cum essentia seu substantia, ac proinde in eo solo operatio est substantialis. Contra vero, in creaturis, sicut existentia ipsis non est essentialis, et ab essentia realiter distinguitur, ita operatio nequit esse substantialis: esset vero substantialis, si potentia operativa ex qua immediate proflueret, esset ipsa substantia.

Itaque, dum medicus ex. gr. ægrotum medetur, principium *quod* medetur, est medicus; principium *quo radicale et primum*, est anima rationalis, ratione cujus originaliter fit aptus ad medendum; principium *quo proximum* et *immediatum*, est scientia medicinæ intellectum perficiens. Quod autem in medicina apparet, utpote aperte distincta a substantia hominis et ab ipsa forma substantiali, idem pronuntiare licet de intellectu, de sensibus ac viribus diversis, quæ in substantiis creatis reperiuntur, quæque ut in Psychologia demonstratum est, ab essentia cui insunt realiter distinguuntur.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Ex dictis, accidens immediate operatur: ergo potiori ratione substantia immediate operatur. Prob. cons. Substantia est nobilior accidente, et forma substantialis perfectior accidentali: ergo.

Resp. Neg. cons. Ad prob. dist. ant. Substantia est nobilior accidente *in ratione entis*, conc. *in ratione seu ordine operandi*, subd. *simpliciter*, conc. *secundum quid*, neg. Substantiæ creatæ duplicem ordinem seu genus perfectionis involvunt: ordinem *entitativum*, et ordinem *operativum:* quorum primus, secundum se et ex propria

conditione, est præcipuus et nobilior secundo, tum quia prius est esse quam operari, tum quia modus et perfectio operationis dependent ex natura et perfectione entis quod operatur. Cum ergo ordo operativus, sit posterior et minus nobilis ex se ordine entitativo, ad quem comparatur tanquam aliquid secundarium, ex eo quod accidens immediate operatur, minime colligitur, ipsum, absolute loquendo, perfectius esse quam substantia, sed ad summum, in ordine suo sive in genere operativo: quod certe non impedit, quominus substantia perfectior sit accidente in ordine entitativo, qui ordo, non solum perfectior est ordine operativo, sed hujus perfectionem involvit et præhabet, quatenus ipsæ potentiæ seu vires quæ immediate operantur, ex forma substantiali derivantur, a qua vim agendi, tanquam ex radice et vi primitiva, recipiunt. (1) Verbo: substantia, vel si mavis, forma substantialis, est perfectior forma accidentali quoad ordinem entitativum *absolute et complete;* quoad ordinem operativum, *simpliciter*, quatenus est radix et origo virium agendi, et operationum quæ ex eis procedunt: est tamen imperfectior, quatenus non immediate operatur; ac proinde in isto ordine operativo, forma accidentalis est perfectior sub hoc respectu sive *secundum quid.*

Objic. 2.° Quædam saltem ex viribus seu potentiis

---

(1) Ab hac doctrina, nihil aut parum distare videtur Leibnitz, qui postquam admissit existentiam formarum substantialium, quas nominat etiam *entelechias*, *substantias simplices*, *vires primitivas*, subdit: «Je conçois les qualités ou les forces dérivatives, ou ce qu'on appelle formes accidentelles, comme des modifications de la entelechie primitive; de même que les figures sont des modifications de la matière.» *Essai de Theod.* núm. 396. Ex Leibnitz ergo, sicut figuræ sunt modificationes corporis, a quo realiter distinguuntur, ita etiam qualitates seu *vires derivatæ ab entelechia*, vel vi primitiva, sunt *formæ accidentales*, ac proinde non ipsa substantia.

quæ, juxta thesim, sunt immediatum principium actionis, sunt proprietates substantiæ operantis, ut intellectus et visus respectu hominis; sed proprietates producuntur immediate per ipsam essentiam substantialem: ergo saltem in productione proprietatum substantia immediate operatur.

Resp. Dist. min. Proprietates producuntur, etc. *per actionem substantiæ*, neg. *per resultantiam necessariam*, conc. Cum dicitur proprietates effluere aut dimanare ab essentia, non est intelligendum quod essentia jam existens, ponat, vel exerceat aliquam actionem a se distinctam, qua proprietates producat; eodem namque instanti et eadem actione, quibus producitur essentia, producuntur proprietates ejus, ut eodem instanti quo producitur homo, producuntur simul intellectus, et sensus. Essentia igitur solum dicitur producere proprietates, quatenus habet nexum necessarium cum eis, ita ut sine ipsis nequeat naturaliter produci aut existere; ast hæ, eadem actione, qua essentia, producuntur. Agens enim, dum producit aliquam naturam, simul et eadem actione producit ejus proprietates; producit enim naturam *cum* proprietatibus. Sed quia naturæ ordine, prior est essentia quam proprietates, concipimus illam ut terminum primarium, et proprietates ut terminum secundarium cum primario connexum, et ex ipso resultantem ex vi actionis causæ efficientis. Propter quod dico, proprietates ex essentia fluere, non per veram actionem, sed per naturalem resultantiam.

Objic. 3.° Actio qua producitur nova substantia, debet oriri immediate a substantia producente: ergo saltem in hypothesi generationis substantialis, falsa est thesis. Prob. ant. Potentia, vel virtus accidentalis, nequit producere substantiam, secus enim effectus esset nobilior causa efficienti: ergo.

Resp. Neg. ant. Ad prob. dist. ant. Nequit producere

substantiam, *tanquam causa principalis*, conc. *in ratione causæ instrumentalis*, neg. Quando nova substantia producitur, potentiæ seu vires quæ immediate operantur ad productionem, ut virtus generativa in equo, calor in igne, habent rationem causæ instrumentalis respectu substantiæ productæ; quia quatenus attingunt substantiam ut terminum actionis, agunt in virtute et ex vi formæ substantialis, quæ est principium radicale unde derivantur hujusmodi vires. Vires ergo seu potentiæ, quibus substantia operatur ad producendam novam substantiam, operantur in virtute alterius, hoc est, substantiæ cujus sunt vires, et veluti *connaturalia et conjuncta* instrumenta ad operandum. Sed

Instabis: Instrumentum debet elevari ad operandum, per motum seu influxum actualem a causa principali receptum; sed potentiæ operativæ nullam motionem seu actualem influxum recipiunt a substantia: ergo.

Resp. Dist. Instrumentum *separatum*, aut operans *ut quod*, conc. instrumentum *conjunctum* et ad effectum principalem operans *ut quo*, neg. Dum instrumentum est sejunctum a supposito operante, ut malleus respectu artificis, actio instrumentaria perficitur, ut supra diximus, per motionem causæ principalis: atque hæc sunt quibus ratio instrumenti proprie congruit. Ast vero vires seu potentiæ, de quibus nunc agimus, nec sunt instrumenta *ut quod*, id est, propriam naturam completam, vel subsistentiam habentia, nec ab agente sejuncta, sed naturaliter conjuncta, veluti ejusdem partes seu appendices: unde in eis non salvatur perfecta ratio instrumenti, sed potius *similitudinaria*.

§ III.

De divisione causæ efficientis.

Varia sunt genera causarum efficientium; nam, ut mittantur reliquæ divisiones minus præcipuæ, dividitur:

1.° In causam *per se* et causam *per accidens;* quarum prima habet nexum naturalem cum effectu, ut sol est causa per se lucis: altera est quæ, aut conjungitur accidentaliter causæ per se, ut dum dico: *medicus cantat,* quia medicina accidentaliter jungitur in hoc homine cum musica, quæ est causa per se cantus; aut aliquid producit quod conjungitur contingenter effectui per se intento, ut effossio ad jacienda domus fundamenta, est causa per accidens inventionis thesauri, quatenus hæc inventio accidentaliter jungitur effectui intento nunc per effossionem hujus terræ. Ad causam *per accidens,* reducuntur *casus, fortuna,* et remotiones impedimentorum, dum dicitur aliquid causare tanquam *removens prohibens*, ut qui *removet* columnam, est causa *accidentalis* motus lapidis superpositi.

2.° In causam *principalem* et *instrumentalem*: ex quibus prima ea dicitur, quæ agit virtute sibi propria, et non per modum transeuntis ab alio recepta, ut ignis, dum comburit, homo, dum medetur ex arte medicinæ; quia quamvis hæc scientia homini non sit indita per naturam, eam tamen nunc possidet per modum formæ stabilis et permanentis. Secunda est, quæ e converso agit in virtute alterius, seu per motum et influxum transeuntem ab alio receptum; quod quidem, qua ratione eveniat, jam supra diximus.

3.° Causa principalis, si nec virtutem agendi, nec usum illius virtutis ab alio ente recipiat, merito dicitur

prima, eaque est solus Deus. Si vero, et vim agendi, et exercitium seu applicationem ad actum secundum recipiat ab alio, dicitur *secunda*, prout contingit in cunctis causis creatis, quæ idcirco, respectu Dei, se habent tanquam causæ instrumentales.

4.° Dividitur in causam *universalem*, cujus virtus agendi porrigitur ad plures effectus specie distinctos, ut sol respectu plantarum: et causam *particularem*, quæ unius speciei effectus producit, ut homo hominem. Causa universalis vocatur *æquivoca*, quatenus effectum producit, qui causæ producenti specifice non adsimilatur: ex opposita ratione, causa particularis vocari solet *univoca*.

5.° In causam *adæquatam* seu totalem, quæ sola producit effectum, ut homo qui lapidem projicit, est causa adæquata motus lapidis: et *inadæquatam* seu partialem, quæ effectum producit ex consortio et auxilio alterius, ut dum plures homines trahunt navim vel currum.

6.° In causam *liberam* et *necessariam*. Libera dicitur, quæ operatur ex electione et consilio cum indifferentia seu facultate ad agendum vel non agendum. Necessaria operatur ex impetu naturæ cum determinatione ad unum, absque facultate ad oppositum, ut ignis, qui ex vi naturæ determinatur ad comburendum.

7.° Dividitur in causam *physicam* et *moralem*. Quarum prima, agit ad effectum producendum per motum aut actionem proprie dictam, ut statuarius qui statuam conficit: secunda, agit vel concurrit ad effectum producendum, per influxum moralem; qui quidem influxus motum improprium seu metaphoricum involvit, ut ille qui ad statuam conficiendam, statuarium excitat jubendo, consulendo, promittendo, etc.

ARTICULUS TERTIUS.

De causa finali.

§ I.

De notione et causalitate causæ finalis.

«Sicut influere causæ efficientis est agere, inquit D. Thomas, (1) ita influere causæ finalis est appeti et desiderari.» Quæ Angelici Doctoris verba, pressius quidem pro more, sed plene exprimunt causæ finalis naturam. Ex eis quippe habetur, quod sicut causalitas *secunda* causæ efficientis, tota consistit et constituitur per ipsam actionem, ita causalitas *secunda* causæ finalis, constituitur per appetitionem actualem sive amorem quem res inspirat agenti. Similiter, sicut causalitas efficiens *in actu primo*, posita est in virtute seu vi agendi, qua donatur res quæ denominatur causa efficiens, ita causalitas causæ finalis *in actu primo* spectatæ, est id quo res quæ denominatur finis, vim obtinet ad inspirandum amorem actualem, sive appetitionem sui, nempe, *bonum;* nihil enim appetitur vel amatur ab agente, nisi sub ratione boni. Ergo sic se habet *inspirare sui amorem* respectu causæ finalis, sicut se habet *agere* respectu causæ efficientis; et sic se habet *ratio boni* respectu prioris, sicut se habet *virtus agendi* respectu posterioris.

Ex his facile colligitur, causam finalem habere pro-

---

(1) *QQ. Disp. De Verit.*, quæst. 22, art. 2.°

prie rationem causæ. Vera enim causa ea dicitur, quæ revera influit et agit ad productionem effectus. Causam vero finalem reipsa influere ad productionem effectus, ex eo aperte constat, quod excitat, movet et determinat agens ad effectum producendum; idque eo usque, ut fine sublato, agens non ageret, nec rem produceret: sic ægrotus medicinam non sumeret, nisi bonitatis ratio, quæ in sanitate elucet, ipsum moveret et determinaret.

Experientia teste, finis non movet ad operandum, nisi quatenus ejus bonitas apprehenditur; unde effatum illud: *ignoti nulla cupido.* Attamen, hæc bonitatis apprehensio, se habet solum ut conditio *sine qua non;* quandoquidem, non apprehensio rei, sed bonitas ejus est, quæ munus causæ finalis exercet inspirando sui amorem agenti, ipsumque ad operandum alliciendo et excitando.

Nihilominus tamen, ex diverso modo finem cognoscendi, diversa exurgit ratio agendi propter finem. Sunt enim quædam, quæ dicuntur agere propter finem, quatenus exequuntur motus ad determinatum finem tendentes, qui tamen finis ab eis non cognoscitur, sed eisdem præstituitur et præassignatur ab aliquo intellectuali agente; « Sicut sagitta, ait D. Thomas, tendit ad determinatum finem, ex hoc quod movetur a sagittante, qui suam actionem dirigit in finem:» unde hujusmodi, potius aguntur quam agunt propter finem.

Alia sunt, quæ finem, ad cujus assecutionem tendunt et operantur, cognoscunt, sed admodum imperfecte et quasi materialiter tantum; quia nec rationem formalem finis agnoscunt, nec finis relationem et proportionem cum mediis: sic famelicus canis cui cibus offertur, cognoscit quidem seu apprehendit per sensus cibum, ex qua cognitione exsurgit in eo, ex ipsa vi atque ineluctabili propensione naturæ, appetitus illius simulque motus pro ipso adipiscendo: ast cognitio

illa est imperfecta et materialis; quia nec cognoscit, cibum *habere rationem finis respectu ipsius*, quod est cognoscere finem *materialiter* tantum et non formaliter, nec cognoscit, illum cibum *posse obtineri ab ipso hoc vel illo medio, et hunc medium esse aptius, vel minus aptum alio ad talem finem adsequendum;* quod est cognoscere finem, absque cognitione relationis mediorum cum fine. Quia motus appetitus tendentis ad finem respondet cognitioni præhabitæ hujus finis, ideo quæ finem cognoscunt hoc modo imperfecto, imperfecte etiam propter finem agunt, hoc est, ex impetu et determinatione necessaria naturæ, ac proinde etiam, potius aguntur quam agunt propter finem. Verbo: agentia hujusmodi, operantur *cum* cognitione imperfecta finis, sed non *ex* cognitione formali finis.

Tandem, sunt alia agentia, quæ quia cognoscunt finem, tam secundum bonitatem materialem, quam secundum rationem formalem, simulque ejusdem relationem et proportionem cum mediis, operantur propter finem, seipsa determinando et dirigendo ad finem adsequendum: quod quidem tantum congruit agentibus ratione præditis, quia sola ratio potest unum cum alio conferre, et rationes abstractas et universales, prout est ratio formalis finis, percipere. Et hæc sunt quæ proprie agunt propter finem. Namque, ut merito habet D. Thomas, (1) «proprium est naturæ rationalis, ut tendat in finem, quasi se agens et ducens ad finem; natura vero irrationalis, quasi ab alio acta vel ducta, sive in finem apprehensum, ut bruta animalia, sive in finem non apprehensum, sicut ea quæ omnino cognitione carent.»

---

(1) *Sum. Theol.*, 1.ª, 2.ª, q. 1.ª, art. 2.°

Itaque consentanee ad hanc D. Thomæ doctrinam, quæ experientia et observatione innititur, dicemus, quod agentia naturalia, quæ omni carent cognitione finis, operantur propter finem *executive:* bruta, quæ operantur apprehendendo finem, seu percipiendo bonum per sensus, *apprehensive:* agentia intellectu prædita, quæ rationem formalem finis et relationem ejus cum mediis cognoscunt, operantur *directive.*

Ex hucusque dictis colliges, causam finalem congrue definiri: *id cujus gratia aliquid fit.* Quæ definitio, quamvis in rigore sumpta, solum habeat locum in agentibus ratione præditis, quæ ex apprehensa bonitate finis alliciuntur et seipsa determinant ad operandum, accommodari etiam potest agentibus, quæ effectus producunt propter aliquid consequendum, ac proinde operantur aut moventur gratia alicujus rei, quod pertinet ad rationem finis.

§ II.

De existentia causæ finalis.

Causarum finalium existentiam, præter veteres illos Democritum, Epicurum, Lucretium, qui omnia ad materiam et fortuitum atomorum motum referebant, inficiati sunt, tum Spinoza, qui finales causas ad humana figmenta amandat, tum Robinet cum aliis materialismi aut atheismi sectatoribus, qui, aut Dei intelligentis atque pure spiritualis existentiam, aut eum propter finem agere, minime agnoscunt. His viam paraverat Cartesius, dum scripsit: «nullas unquam rationes circa res naturales, a fine quem Deus aut natura sibi proposuit, desumemus.» Sit itaque:

THESIS 1.ª

Agentia intellectualia operantur propter finem directive, atque Deus ipse in operibus ad extra propter finem agit.

Pars 1.ª facile constat. Nam agere propter finem *directive*, nihil est aliud, ex supra dictis, quam agere ex cognitione formali finis, hujusque relationis cum mediis, seipsum exinde determinando ad hæc, vel illa media adhibenda pro determinato fine adsequendo: atqui id agentibus ratione præditis congruit, et quoad hominem spectat, ex conscientia intima habemus, ipsum propter finem operari hac ratione: ergo.

Altera pars, ex prima necessario fluit. Nam si agere propter finem directive, perfectio est, eaque non minima, ex qua homo agentibus inferioribus supereminet, proculdubio reperitur in Deo, qui agens intellectuale perfectissimum existit.

Nihilominus tamen, duo hic sedulo animadvertantur: 1.° id solum Deo congruere, quoad opera extra ipsum posita, ut innuit thesis. Siquidem, in actionibus quæ *ad intra* terminantur, ut sunt processiones divinarum Personarum, Deus non agit libere, seipsum determinando, sed ex ipsa divina essentia determinatur: 2.° operationem Dei propter finem directive, non assimilari perfecte et omnimode operationi hominis aut cujuscumque creati agentis intellectualis. Enimvero, in operatione hominis, ex. gr. dum ex amore sanitatis se determinat ad medicinam *hanc* sumendam, duo sunt spectanda: 1.ᵐ quod homo perfecte cognoscit bonitatem sanitatis hujusque relationem cum mediis, et simul seipsum determinat libere ad ponendum *hoc* medium propter *hunc* finem, sive ut tale bonum existat;

2.m quod finis ille qui cognoscitur et quæritur per tale medium, quæritur ut perfectio ipsius agentis.

Horum primum, utpote nullam imperfectionem involvens, reperitur in Deo, qui ex cognitione et amore alicujus boni, seipsum libere determinat ad ponendum seu producendum aliud bonum, quo illud primum obtineatur, ut dum plantas et bruta producit propter bonum hominis obtinendum. Alterum vero, minime in Deo reperitur; nam cum sit infinite perfectus, et ipsum esse, omnes essendi perfectiones continens, nec unquam operatur, nec quidquam agit, ut perfectionem aliquam sibi ipsi adipiscatur. Itaque Deus, *ex parte operis*, unum agit propter aliud; sed *ex parte operantis*, omnia operatur propter suam bonitatem, non quidem *obtinendam*, sed *manifestandam* et communicandam. Unde apposite D. Thomas: (1) « Cum omne opus divinum in finem quemdam ordinatum sit, constat, quod ex parte operis, Deus propter finem agit. Sed quia finis operis semper reducitur in finem operantis, ideo oportet, quod etiam ex parte operantis, finis actionis ejus consideretur, qui est bonum ipsius in ipso... Ipse enim bonitatem suam perfecte amat, et ex hoc vult, quod bonitas sua multiplicetur per modum qui possibilis est, ex sui, scilicet, similitudine. » Ex quibus corollaria subjecta colliges:

1.° Omnes res creatas, ad bonitatem Dei comparari tanquam media ad finem, non obtinendum, sed manifestandum.

2.° Deum, res creatas necessario amare, quatenus sunt participationes et similitudines propriæ bonitatis, ac proinde eodem actu et amore, quo seipsum amat.

---

(1) *Sent.*, lib. 2.°, Dist. 1.ª, q. 2.ª, art. 1.°

3.° Hunc amorem, quatenus terminatur ad creaturas, solum dici necessarium *hypothetice*, hoc est, ex hypothesi quod Deus libere voluerit easdem producere; nam absolute loquendo, potest eas non amare, eo ipso quod potest eas non producere; etenim, ut habet D. Thomas, «cum bonitas Dei sit perfecta, et esse possit sine aliis, cum nihil ei perfectionis ex aliis accrescat, sequitur quod alia a se eum velle, non sit necessarium absolute.»

4.° Deum, in hypothesi productionis creaturarum, unam producere propter aliam, ut herbam propter bruta, bruta propter hominem.

THESIS 2.ª

Non solum bruta, sed agentia pure naturalia agunt propter finem, suo quæque modo.

Prob. utraque pars ex perspicua et quotidiana experientia, qua observamus, tam bruta irrationalia, quam agentia reliqua, non temere et casu, sed ordinate et constanter operari, suosque effectus et actus edere eo modo quo expedit, ad bonum et perfectionem obtinenda. Sic, hirundo paleas colligit ad nidum conficiendum, plantæ ex terra et atmosphera aquam et alia congrua atque utilia principia, eliciunt ad se nutriendum, etc. Ergo nisi velimus ordinem Universi et nexum partium ejus, simul cum fulgenti et perspicua experientia rerum inficiari, fateri cogimur, operationes et effectus unius corporis, ordinari ad bonum, vel suipsius, vel alterius; ac proinde determinatum finem habere.

Dixi in thesi, *suo quæque modo;* quia, ut jam supra monui, bruta agunt propter finem, non solum quatenus exequuntur motus ad determinatum finem ordinatos, sed etiam quatenus hunc finem per sensus apprehendunt

seu percipiunt. Ast agentia pure naturalia, quæ omni cognitione destituuntur, eatenus solum dicuntur agere propter finem, quatenus *exequuntur* motus vel effectus, ordinatos quidem ad hunc vel illum finem adsequendum, sed ita ut hæc ordinatio ad finem, constituta et prædeterminata sit ab ipso rerum naturalium Artifice: unde hæc, *executive* propter finem operantur, sicut et bruta, *apprehensive*.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Quæ temere et casu eveniunt, ad finem non ordinantur; atqui plures mundi effectus temere et casu eveniunt, immo, quandoque ita eveniunt, ut opponantur fini qui eisdem assignari solet, ut dum pluvia segetes destruit aut putrescere facit: ergo.

Resp. Dist. min. Temere et casu eveniunt *respectu Dei et totius Universi*, neg. *respectu nostri*, conc. Nos equidem, sicut rerum essentias et causas plurimas ignoramus, ita etiam frequenter ignoramus fines particulares operationum et eventuum, quæ in mundo cernuntur. At respectu Dei, qui Universi et universorum quæ in eo continentur curam gerit, nihil temere et casu evenit, sed omnia ab eo ad finem ordinantur. His adde, quod agentia naturalia habent quidem finem ad quem *ex se*, sed non *indefectibiliter* ordinantur; quia ipsorum operationes et effectus, nexum habent cum aliis agentibus et causis, ex quibus impedimentum, vel modificatio oriri potest.

Instabis: Saltem dum natura producit monstra, propter finem non operatur: ergo.

Resp. Existentiam monstrorum, non solum non excludere, sed potius invicte demonstrare, res naturales agere propter finem. Cum enim monstrum sit effectus

recedens a solito ordine et debita rei dispositione, consequitur, revera existere præfatum ordinem, quo agentia naturalia ad determinatos effectus producendos diriguntur et determinantur. Quod autem *quandoque* ab effectibus ad quos tendunt deficiant, solum ostendit, agentia naturalia esse causas finitas et imperfectas, quarum idcirco actio seu effectus, vel impediri, vel perturbari potest; quod quidem contingere potest, vel propter occursum aliarum causarum, vel propter redundantiam, inopiam vel incongruam dispositionem materiæ.

Obj. 2.° Temeritatem et arrogantiam sapit causas finales rerum a Deo conditarum velle assignare: ergo. Prob. ant. Temeritatem et arrogantiam sapit, motiva voluntatis divinæ velle perscrutari et assignare: ergo.

Resp. Dist. ant. Arrogantiam sapit *omnes* causas finales velle assignare, conc. *aliquas*, neg. Ultro quidem fateor, quasdam inter finales rerum causas nobis latere; sed simul alias quoque agnoscimus ex manifestissima naturæ experientia. Unde oppido falluntur Baco et Cartesius, qui ajunt, vestigationem causarum finalium, atheismo viam aperire; cum potius e converso res se habeat: nam ex causarum finalium existentia, legitime assurgimus ad existentiam alicujus Supremæ Intelligentiæ quæ mundum condidit.

Ad prob. dist. etiam ant. Temeritatem etc. velle perscrutari et assignare *quoad effectus primarios*, trans. *quoad effectus quosdam particulares et determinatos*, neg. Arrogantiam quidem saperet, velle perscrutari et assignare fines et motiva, ex quibus Deus seipsum libere determinavit ad res creandas potius quam non creandas, ad mundum istum et non alium producendum, hoc et non alio tempore producendum, cum aliis hujus generis, respectu quorum homo non alium finem nisi finem universalem et ultimum rerum, nempe, Dei bonitatem ut communicandam, nec aliud motivum nisi ipsam Dei vo-

luntatem potest assignare. (1) Quod tamen nihil obstat, quominus particularium effectuum, ut hominis, bruti, plantæ, solis etc. finales causas et motiva rationalia, quæramus et assignemus.

SCHOLIUM.

De casu, fortuna et fato, de quibus quidam fusius hic disserunt, ut aliquid breviter attingamus, id dicam: *fatum*, si accipiatur ad sensum gentilium et prout Seneca eum definit, pro *necessitate omnium rerum actionumque, quam nulla vis rumpat*, rejiciendum est, quippe quod, tum contingentiam causarum et effectuum naturalium, tum libertatem Dei et hominis, e medio tollat. Quod si ad sensum christianum accipiatur, quatenus, scilicet, cuncta quæ in mundo eveniunt, divinæ ordinationi subjiciuntur, admitti sane potest, ac cum Boetio definiri: *ordo causarum secundarum divinam providentiam exequentium. Casus* et *fortuna* reducuntur ad causas *per accidens;* casualia enim ac fortuita dicuntur ea, quæ præter intentionem causæ particularis, non vero universalis, saltem Dei, eveniunt. Solum differunt, quatenus *fortuna* respicit agentia ratione prædita; *casus* vero, vel utraque indiscriminatim, vel sola agentia irrationalia.

---

(1) Unde jure merito D. Augustinus docet, quod si quis quærat «¿quare fecit Deus cœlum et terram? respondendum est ei: quia voluit. Voluntas enim Dei causa est cœli et terræ, et ideo major est voluntas Dei quam cœlum et terra. Qui autem dicit: ¿quare voluit Deus facere cœlum et terram? majus aliquid quærit, quam est voluntas Dei; nihil autem majus invenire potest. Compescat ergo se humana temeritas, et id quod non est non quærat, ne id quod est non inveniat.» *De Gen. cont. Manich.* lib. 1.° cap. 2.° Hac sane ratione, et non ea quam autumant Baco et Cartesius, vitanda est temeritas et arrogantia in operibus Dei, et ipsorum finibus et motivis vestigandis.

CAPUT QUARTUM.

DE PRÆCIPUIS SPECIEBUS ENTIS.

ARTICULUS PRIMUS.

De ente finito et infinito.

§ I.

Expenduntur notiones entis finiti et infiniti.

1.° Notionem aliquam tam finiti quam infiniti in nobis esse, ex eo aperte constat, quod optime novimus quid sit infinitum, ipsumque non tantum a finito, sed ab indefinito etiam incunctanter secernimus. (1)

2.° *Notio* infiniti, ex tribus exsurgit conceptibus. In-

---

(1) Hinc explodenda sententia P. Buffier, qui adserit, existere quidem infinitum absolutum, nempe, Deum, sed nos ipsum non concipere nisi ut infinitum *in potentia*, cui, nempe, alias et alias perfectiones absque fine addere possumus. «Pour concevoir l'infini absolu, il faudrait que je conçusse toute l'étendue des attributs de Dieu... Or c'est ce que je ne puis faire; car j'éprouve que je puis voir en Dieu des perfections et des degrés de perfections de plus en plus, et que quand j'en aurai conçu le plus grand nombre que je sois capable d'imaginer, ce serait toujours un nombre déterminé.»

Ubi aperte vides, Buffier confundere *conceptum* infiniti cum ejus *imaginatione*, et notionem infiniti cum notione indefiniti: unde si ejusdem sententiæ standum esset, possibilitatem et existentiam entis in actu seu simpliciter infiniti, demonstrare non possemus. ¿Qua namque ratione possemus demonstrare existentiam rei, cujus ideam non habemus?

finitum enim audit *ens sine fine* aut limite, sive *ens negans omnem limitem:* unde involvit conceptus *entis*, *limitis*, et *negationis limitis;* statim enim ac hos conceptus jungimus, notio infiniti exurgit.

3.° *Genesis* seu origo hujus notionis infiniti, etiam absoluti, non ex continua additione finiti ad finitum, ut vult Locke, sed ex absoluta et totali remotione limitum repetenda est. Et re quidem vera: finitum si finito addatur, indefinitum ad summum reddit, si hæc additio, ut possibilis semper ac indeterminate spectetur, numquam vero infinitum actuale absolutum, sicut possibile possibili additum impossibile non constituit, nisi velimus dicere quod una essentia addita alteri in contrariam convertitur; siquidem finitum, *essentialiter* includit limitem, infinitum vero essentialiter eumdem negat et excludit. Notio ergo infiniti nobis acquiritur, dum ex entibus finitis finitudinem seu limites quoscumque removemus, si sermo sit de infinito *simpliciter* et absolute; vel in determinato genere, si sermo sit de infinito *secundum quid*. Ex quibus,

4.° Primum, quod etiam *categorematicum* appellatur, limites quoscumque in omni genere perfectionis excludit, cujus ordinis unicum infinitum extat, nempe, Deus. Dico *in omni genere perfectionis*, quia quoad ea genera quæ imperfectionem ex proprio conceptu includunt, infinitum absolutum, non limites tantum, sed ipsum genus excludit et negat, ut Deus excludit genus accidentis, vel extensionis. Alterum, quod etiam *syncategorematicum* appellatur, excludit limites in aliquo, vel aliquibus tantum generibus entis, ut magnitudo infinita, talis erit in genere extensionis continuæ, sed non in genere substantiæ, vel qualitatis etc. Unde quatenus alii gradus entis ei advenire possunt, dicitur etiam infinitum *in potentia*.

Animadvertendum tamen, *infinitum secundum quid*,

quandoque et apud Scholasticos, distingui *ab infinito syncategorematico* seu in potentia, quatenus primum concipi potest ut res actualis infinita in aliquo determinato ordine; ut si supponatur numerus infinitus, erit infinitus secundum quid, et tamen *categorematicus* in eo ordine, quamvis *syncategorematicus* respectu aliorum generum entis. Secundum vero sive infinitum *syncategorematicum* proprie acceptum, est illud cui sine fine et semper partes *ejusdem generis* addi possunt, ut dum concipiendo numerum actualem, simul concipimus numeros alios ipsi addi posse absque fine.

5.° *Notio finiti* coalescit ex conceptibus *entis* et *limitis* seu termini; finitum enim dicitur ens, quod limitibus circumscribitur seu terminatur. Ex quo facile colligitur, notionem finiti, partim esse positivam, et partim negativam: positivam, quatenus exprimit ens reale; negativam, quatenus includit negationem ulterioris realitatis.

6.° Ergo notio finiti in nobis præcedit notionem infiniti, nec ex hac originem ducit, ut Cartesius et cartesiani autumarunt. Quod quidem evidenter constat: 1.° quia finitum, ex dictis, essentialiter includit conceptum non entis, est enim quasi mixtum ex ente et non ente: atqui idea infiniti essentialiter excludit non ens: ergo ex ea minime erui potest notio finiti: 2.° quia non entia seu privationes entis, percipimus per respectum ad entia positiva quibus insunt, ut carentiam visus vel intellectus in animali, concipimus per respectum ad ipsum animal, quod his realitatibus caret: atqui carentia entitatis seu realitatis, quam finitum significat et exprimit, inest enti finito, et non enti infinito: ergo in illo et non in isto percipimus.

Adde his, ipsam experientiam qua per conscientiam edocemur, nos absque ulla cogitatione infiniti, percipere tam intra quam extra nos, entia quæ carent seu

non habent realitatem et perfectionem, quam observamus in alio ente finito; entia quæ aliis subjiciuntur; entia quæ aliquid de novo acquirunt vel amittunt, quæ omnia, immediate menti suppeditant *ens reale quod excludit aliud ens reale*, quæ est ipsa notio finiti.

§ II.

De possibilitate entis creati infiniti.

Cum existentia entium finitorum per se nota sit, solum superest vestigare possibilitatem infiniti *secundum quid*, nam de infinito simpliciter sive quoad essentiam, sermonem instituemus in theodicea.

THESIS 1.ª

Repugnat ens creatum quod sit infinitum secundum essentiam.

Prob. Res infinita secundum essentiam illa dicitur, quæ includit omnem realitatem entis, omnesve perfectiones, quæ ut possibiles concipiuntur; nam si aliquam perfectionem seu realitatem possibilem non continet, jam erit ens excludens, vel negans aliquem gradum entis, ac proinde finitum. Atqui repugnat creatura, quæ contineat omnes possibiles perfectiones entis: ergo.

Prob. min. 1.° Creatura essentialiter est ens ab alio productum ex nihilo, ac proinde essentialiter includit existentiam et dependentiam ab alio: ergo repugnat creatura quæ contineat omnes perfectiones entis; nam saltem non continebit *existentiam a se* et *independentiam productionis ab alio*, quæ proculdubio sunt maximæ perfectiones. 2.° Creatura, utpote ens a Deo productum, potest esse vel non esse, ac proinde absolute contingentiæ

subjicitur; sed contingentia quoad existentiam, excludit necessitatem absolutam existendi, quæ est maxima perfectio: ergo.

THESIS 2.ª

Repugnat magnitudo seu extensio actu infinita.

Prob. 1.° Magnitudo seu extensio est accidens seu affectio corporis: ergo nequit esse infinita actu. Prob. cons. Infinitum nequit recipi in subjecto finito; secus enim accidens esset extra substantiam et supra substantiam cui inhæret: atqui corpus, cujus extensio est affectio et modus, nequit esse infinitum, cum essentiam non solum determinatam atque finitam, sed imperfectissimam quoque habeat: ergo.

Prob. 2.° Repugnat extensio omnium possibilium maxima; atqui extensio infinita, si daretur, deberet esse omnium possibilium maxima: ergo. Prob. ant. Extensio omnium possibilium maxima, esset simul et non esset maxima: esset enim *maxima*, ut supponitur: deinde, *non maxima*, quia data hac extensione maxima, Deus posset ab illa aliquid subtrahere, v. gr. mensuram pedis, qua in hypothesi, jam non remanet omnium possibilium maxima evaderetque finita: ergo nec antea erat omnium possibilium maxima, nec infinita; quia quantitas finita unius pedis quantitati finitæ addita, nequit infinitam extensionem conficere.

Corollarium.

Ex prima ratione colligitur, repugnare etiam extensionem infinite parvam. Sicut enim corpus, quia habet essentiam determinatam, excludit extensionem infinitam, ita etiam excludit extensionem infinite parvam, ita ut nullum corpus existere possit physice absque determinato extensionis gradu, infra quem ferri non potest.

THESIS 3.ª

Repugnat etiam multitudo actu infinita.

Prob. 1.° Omnis multitudo actu existens, numerum facit; quia numerus nihil est aliud quam multitudo unitatum, ita ut ubicumque detur multitudo unitatum, ibi exurgat numerus. Atqui numerus necessario excludit infinitatem; quandoquidem mensuratur per unum, et ratio mensuræ opponitur rationi infinitatis: ergo.

Prob. 2.° ex absurdis. Ponamus existere multitudinem infinitam hominum. Hæc multitudo erit infinita simul et finita: infinita, ut supponitur; finita, quia necessario præ se ferret multitudinem majorem se, v. gr. multitudinem oculorum, quia quilibet homo hujus multitudinis infinitæ habet duos oculos; ac proinde multitudo oculorum erit duplo major quam multitudo hominum, quæ supponitur infinita.

2.° Data qualibet multitudine infinita in quavis re, etiam simplicissima quæ ultra dividi nequeat, hæc multitudo infinita unitatum æquivalet duplici medietati binarii in eadem contenti, nam binarius æquivalet duabus medietatibus numeri cujus est binarius: ergo multitudo illa infinita coalescit ex duplici medietate binariorum, ac proinde constituitur et exurgit ex additione duplicis multitudinis finitæ, quarum utraque est duplo minor multitudine infinita. Repugnat autem ex unione duarum multitudinum finitarum, exurgere aut coalescere multitudinem absolute infinitam.

Corollarium.

Ex prima thesi infertur, rejiciendum esse optimismum, tam Leibnitz, quam aliorum, qui contendunt, mundum istum sive quemvis alium effectum Dei, esse

omnium possibilium optimum. Cum enim ex una parte quivis mundus vel effectus supponatur, finitus necessario sit, ut demonstratum est in prima thesi; ex alia parte, virtus Dei, utpote infinita, exhauriri non possit per quemcumque effectum finitum, consequitur necessario, Deum posse effectus perfectiores in infinitum producere, quin nunquam deveniat ad effectum omnium possibilium optimum, et ultimum perfectione. Itaque philosophia christiana inter duos scopulos media incedit, rejiciens ex una parte optimismum, qui virtutem infinitam Dei exhaurit productione effectus finiti; et ex altera parte statuens, nullum effectum Dei posse esse infinitum secundum essentiam, non quidem defectu virtutis Dei, sed potius defectu capacitatis seu possibilitatis ex parte creaturæ. Quapropter scite, et apposite habet D. Thomas: (1) «Contra rationem (essentiam) facti est quod sit simpliciter infinitum: sicut ergo Deus, licet habeat potentiam infinitam, non tamen potest facere aliquid non factum, hoc enim esset contradictoria esse simul, ita non potest facere aliquid infinitum simpliciter.» (2)

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. adversus 1.am thesim. Quo major est ac perfectior virtus activa causæ, eo perfectiorem effectum potest producere; atqui virtus activa Dei est infinita: ergo infinitum effectum potest producere.

---

(1) *Sum Theol.* 1.ª P. q. 7, art. 2.º

(2) Circa optimismum vid. *Estudios sobre la Filos. de Sto. Tomás*, l. 3.º cap. 10, 11, 12.

Resp. Dist. maj. Perfectiorem effectum potest producere *intra seriem possibilium*, conc. *extra hanc seriem*, neg. Quia virtus Dei est infinita, exhauriri nequit productione cujusvis effectus finiti, sed quolibet dato, alium perfectiorem potest producere. Nequit tamen effectum actu infinitum in ratione entis producere, non defectu virtutis in Deo, sed quia talis effectus repugnantiam intrinsecam involvit, quia, ut habet D. Thomas, « contra rationem facti est quod sit simpliciter infinitum.»

Instabis: Si Deus finitum tantum effectum potest producere, nihil habet quo a causis creatis distinguatur in ratione causæ infinitæ; nam etiam hæ possunt finitum effectum producere: ergo.

Resp. Neg. ant. Quamvis Deus effectum infinitum producere nequeat, maxime adhuc et infinite distat a causis creatis: 1.° quia hæ nequeunt effectus effectibus perfectiores in infinitum producere, sicut Deus: 2.° quia operantur cum dependentia actuali et necessaria ex causa prima: 3.° et præcipue, quia nulla causa creata effectum ex nihilo potest producere, sicut Deus; quod quidem infinitam virtutem in ipso arguit et ostendit.

Objic. 2.° Possibili posito in actu, nullum sequitur absurdum; atqui creaturæ possibiles sunt infinitæ: ergo si Deus produceret omnes creaturas possibiles, aliquam infinitam produceret.

Resp. Dist. maj. Possibili posito in actu *eo modo quo est possibile*, nullum sequitur absurdum, conc. *alio modo*, neg. Cum dicitur quod creaturæ Deo possibiles, sunt infinitæ, non intelligitur quod aliqua ipsarum sit aut esse possit actu et simpliciter infinita, sed intelligitur quod hujusmodi creaturæ possunt habere majorem perfectionem *sine fine*, ita ut qualibet data, alia perfectior sit adhuc Deo possibilis, cum ejus virtus infinita exhauriri nequeat effectu finito.

Objic. cum Balmes advers. 2.am thesim. Possibile est illud quod non involvit contradictionem; atqui extensio infinita nullam contradictionem involvit: ergo. Prob. min. Extensio infinita includit extensionem cum negatione limitum; sed conceptus negationis limitum non excludit conceptum extensionis: ergo.

Resp. Neg. min. Ad prob. dist. min. Conceptus negationis limitum non excludit conceptum extensionis *indeterminate acceptæ*, conc. *determinate acceptæ*, neg. Aliud est quærere utrum idea extensionis in communi, excludat negationem limitum; aliud quærere utrum possit *existere* extensio, quæ non excludat negationem limitum. Extensio enim, secundum se et indeterminate sumpta, nec includit, nec excludit negationem limitum, sed ab ea potius abstrahit, sicut *animal*, nec excludit, nec includit rationalitatem aut irrationalitatem; atque sub hoc respectu verum est, quod extensio non excludit, nempe, *positive* et *determinate*, conceptum negationis limitum. Ast vero, extensio nequit *realiter existere*, nisi transeundo a statu illo generico et indeterminato ad statum specificum et individualem; quia omne creatum quod existit, necessario ad aliquam determinatam speciem pertinet, simulque individuum aliquod constituit: atque ex hac parte, repugnat extensioni creatæ negatio limitum, quia species extensionis necessario excludit alias species, ut triangularis extensio, circularem, quadrangularem etc. ac proinde infinita esse nequit, quia non includit *omnes* species extensionis: quod idem potiori ratione, extensioni individuatæ, vel singulari congruit. Sicut ergo quamquam conceptus indeterminatus animalis non excludit rationalitatem nec irrationalitatem, si tamen existat realiter, unum ex his duobus necessario excludit ratione speciei in qua collocatur, ita quamvis extensioni in genere et indeterminate sumptæ non repugnet negatio limitum, ei tamen

repugnat si ad speciem contrahatur, prout contrahitur necessario si *existens* supponatur. (1)

Objic. adver. 3.am thesim. Deus potest producere omnia possibilia absolute: ergo potest producere numerum infinitum actu. Prob. cons. Numerus possibilium absolute, est infinitus: ergo.

Resp. Omisso ant. neg. cons. Ad prob. dist. ant. Numerus possibilium absolute, est infinitus *categorematice*, neg. *syncategorematice*, conc. Nimirum, numerus possibilium, eatenus infinitus dicitur, quatenus ad terminum vel finem perduci nequit; quolibet namque entium numero producto, majorem Deus potest producere, quin ejus infinita potentia exhauriatur.

Instabis: Cogitationes Beatorum futuræ per æternitatem sunt infinitæ actu; atqui hujusmodi cogitationes simul omnes existunt præsentes æternitati Dei: ergo datur multitudo actu infinita.

Resp. Dist. maj. Sunt infinitæ *infinitate imperfecta*,

---

(1) Ex hac solutione, funditus eversum habes unicum fundamentum cui Balmes innititur, ad statuendam possibilitatem extensionis infinitæ: siquidem, præter responsionem ad objecta, non aliam probationem affert, nisi conceptum extensionis non excludere negationem limitum: «¿Es posible una extension infinita? no se descubre ninguna repugnancia: *la idea de extension y la de negacion de todo límite, no se excluyen*, por lo menos segun nuestro modo de concebir.» *Filos. Fund.* lib. 8.° cap. 11.°

Cæterum, solutio a nobis data, nihil est aliud quam evolutio solutionis, qua D. Thomas argumentum hocce Balmes jam præoccupaverat, et quam, mirum est hispanum philosophum præ oculis non habuisse. En Angelici Doctoris verba, quibus propositum argumentum solvit: «Ad secundum dicendum, quod licet infinitum non sit contra rationem magnitudinis in communi, est tamen contra rationem cujuslibet speciei ejus, scilicet, contra rationem magnitudinis bicubitæ, vel tricubitæ, sive circularis, vel triangularis et similium. Non autem est possibile in genere esse, quod in nulla specie est: unde non est possibile esse aliquam magnitudinem infinitam, cum nulla species magnitudinis sit infinita.» *Loc. cit.* q. 7.ª art. 3.° ad 2.m

conc. *perfecta et proprie dicta*, neg. Etenim cum Beati cum Universo inceperint existere, cogitationes ipsorum, solum dici queunt æternæ æternitate imperfecta, sive potius duratione sine fine *a parte post*, non vero a parte ante; ac proinde perfectæ æternitati non subjiciuntur.

Resp. 2.° Dist. cons. Datur multitudo infinita, *prout continetur in æternitate Dei*, conc. *prout existens extra Deum*, neg. Nam hæc supposita multitudo, quæ quatenus continetur in Deo et subest ejus æternitati, potest dici infinita, sicut Deus ipse ejusque æternitas, si spectetur per ordinem ad existentiam, quam extra Deum habet, et prout subjicitur durationi ab æternitate divina distinctæ, infinitatem categorematicam minime potest habere.

SCHOLIUM.

Ex tribus thesibus hic propugnatis, prima, ut certa haberi debet; ast duæ posteriores, intra probabilitatis terminos clauduntur; quoniam rationes quibus innituntur, nec perspicue demonstrativæ, nec penitus insolubiles existunt: unde et ipsemet D. Thomas fatetur, quod *adhuc non est demonstratum quod Deus non possit facere ut sint infinita actu.* (1) Nihilominus, argumenta pro eisdem militantia, et probationes ab ipso D. Thoma productæ, tum in *Summa Theologica*, tum in *Summa Contra Gentes*, ejus ponderis sunt, ut si non scientificam proprie ac demonstrativam, ast certe morali æquivalentem certitudinem præ se ferant. Quidquid tamen sit de possibilitate extensionis infinitæ, sive continuæ, sive discretæ, explodenda peni-

(1) *Opusc.* 14, circ. fin.

tus opinio Cartesii, qui huic mundo indefinitam concedit extensionem. Siquidem, gallus philosophus non aliud adfert fundamentum ad stabiliendam extensionem indefinitam, quæ a parte rei in infinitam necessario resolvitur, (1) nisi vim nostræ imaginationis, qua spatium sine termino imaginamur. Sed hoc est indefinitum cum infinito, et imaginationem cum ratione pura confundere; quod equidem principiis sanæ philosophiæ adversatur.

ARTICULUS SECUNDUS.

De ente possibili et impossibili.

Prænotanda:

1.° *Possibile* illud dicitur, quod aptitudinem seu potentiam habet ad existendum, sive hæc aptitudo ad actum secundum reducta sit, prout contingit in omni ente actuali; siquidem, quod actu existit *potest* existere, sub quo conceptu ipsemet Deus ens possibile dici potest, quatenus non repugnat ejus existentia; sive præfata aptitudo accipiatur prout præcisa ab existentia ac-

(1) Dico extensionem indefinitam Cartesii reduci ad infinitam, quia, ut merito observat Balmes: «No hay inconveniente en decir que la extension del mundo es indefinida, si se entiende que nosotros no podemos asignar sus límites; pero en la realidad los límites existirán ó no existirán... Si existen, la extension del mundo es finita; si no existen, es infinita; en todo caso la palabra indefinido no expresa nada.

El argumento de Descartes, si prueba algo, prueba la verdadera infinidad del mundo; pues que si hemos de retirar indefinidamente los límites de este, porque indefinidamente concebimos (melius diceret, *imaginamur*) siempre una extension mas allá de toda otra extension; como por otra parte sabemos que esta série de conceptos no tiene ningun límite, podemos trasladar desde luego la ilimitacion al objeto que corresponde á los conceptos, y afirmar que la extension del mundo es absolutamente infinita.» *Filos. Fund.* lib. 8.° cap. 13.

tuali quam *potest* habere; et hæc est communiter accepta possibilitas, sub qua nec Deus, nec creaturæ actu existentes comprehenduntur.

2.° Cæterum, ut aliquid quod actu non existit, dicatur *possibile perfecte et adæquate*, requiritur ejusdem possibilitas tam *interna* quam *externa*. Harum prima dignoscitur et constituitur per *aptitudinem absolutam ad habendam existentiam*, quatenus attributa seu prædicata rei, mutuo sese non excludunt. Altera constituitur per ordinem ad causam, quæ rem possibilem actu existentem reddere potest: quamtumvis enim concipiamus rem immunem a contradictione quoad prædicata constitutiva, v. gr. hominem, hic homo revera existentiam habere non poterit, ac proinde nec completa et adæquata possibilitate gaudebit, nisi simul concipiamus existere aliquam causam, quæ possit ipsi communicare existentiam realem et physicam quam nondum habet. Ergo possibilitas *adæquata* entis coalescit ex possibilitate interna, quæ etiam *absoluta* dicitur, et ex externa, quæ *relativa* posset dici, tum quia includit ordinem ad causam efficientem, tum quia varia est pro varietate causarum. Siquidem,

3.° Quoniam ex dictis, possibilitas externa respicit vim causæ producentis, hujus naturam et conditionem necessario sequitur, ita ut tot sint genera *possibilitatis externæ*, quot sunt genera seu gradus causarum quæ effectum producere queunt. Atque hinc exurgit triplex genus possibilitatis externæ, nempe; possibilitas *metaphysica*, quæ se extendit ad omnia quæ sunt absolute possibilia, et cui opponitur *metaphysica* impossibilitas: possibilitas *physica*, quæ extenditur ad ea quæ non superant vires naturæ; cui opponitur *physica* impossibilitas, in eo posita, quod aliquid fieri nequeat viribus naturæ et salvis hujus legibus: possibilitas *moralis*, quæ se extendit ad ea quæ fieri possunt, salvis legibus na-

turæ moralis; cui opponitur *impossibilitas moralis*, dum repugnat aliquid fieri attentis naturæ moralis legibus, sive propensionibus naturalibus ac circumstantiis rerum: sic *impossibile* dicimus quod mater filios odio habeat, quatenus id repugnat naturali inclinationi et legibus naturæ humanæ moraliter spectatæ. Ergo id quod est *physice* impossibile, *metaphysice* seu supernaturaliter potest dici possibile; et similiter, quod morali tantum impossibilitati subest, *physice* possibile existit. Ergo sola impossibilitas metaphysica dici potest *absoluta;* reliquæ vero, *hypotheticæ* merito appellantur.

4.° Possibilitas interna et absoluta rerum, nec ex intellectu nostro, nec ex rebus actu existentibus pendet. Quandoquidem, independenter a nostro intellectu et quavis ejus cogitatione, circulus, ex. gr. possibilitatem internam habet, eo ipso quod ejus prædicata et attributa nullam contradictionem involvunt, nec ullam repugnantiam ad existendum. Non absimiliter, antequam res actu existat, veram possibilitatem habet, quippe nihil realem existentiam accipit, *nisi* ens possibile sit: unde possibilitas interna seu absoluta rei, naturæ ordine præcedit ejusdem existentiam actualem. Imo etiam, si fingamus, cuncta entia finita in nihilum redigi, adhuc remaneret ipsorum possibilitas. Ergo ens dicitur possibile absolute et interne, independenter ab intellectu et a rebus actu existentibus.

His prælibatis, superest ut naturam et originem possibilitatis internæ vestigemus. Quocirca: 1.° non defuere qui existimarint, possibilitatem absolutam rerum constitui per divinam omnipotentiam, ita ut res illæ dicantur possibiles, et ideo dicantur possibiles, quæ et quia a Deo fieri possunt: (1) 2.° Cartesius contendit, pos-

(1) Hanc opinionem non semel commemorat et rejicit D. Thomas, ac inter alia hæc habet: «Si autem dicatur, quod Deus sit omnipotens,

sibilitatem rerum ex libera Dei voluntate repetendam esse, ita ut apud hunc philosophiæ christianæ pseudo-reformatorem, « quia voluit (Deus) tres angulos trianguli necessario æquales esse duobus rectis, *idcirco hoc verum est et fieri aliter non potest*, atque ita de reliquis: » 3.° alii e converso, possibilitatem entium a Deo prorsus independentem faciunt: 4.° denique, Scotus possibilitati internæ concedit esse aliquod logicum a Deo distinctum et independens. Ut ergo vera pronuntiata philosophiæ christianæ elucescant, sit,

THESIS 1.ª

Possibilitas interna rerum non pendet ex libera Dei voluntate.

Prob. 1.° Si entium possibilitas interna a libera Dei voluntate penderet, possibilia et impossibilia absoluta, essent mutationi obnoxia; quod enim pendet ex libera voluntate Dei, v. g. *Petrum existere*, potest esse vel non esse: ergo Deus efficere posset, ut ens quod dicimus absolute vel interne impossibile, ex. gr. circulus quadratus, evadat interne possibile. Atqui Deus potest producere quidquid est interne possibile: ergo posset producere circulum quadratum, hominem sine rationalitate, lapidem intelligentem; siquidem, juxta Cartesium, figura quadrata circulo, et intelligentia lapidi solum repugnant, quia Deus voluit repugnare: ergo si Deus voluerit, ipsis non repugnabunt. Ergo poterit Deus

---

quia potest omnia quæ sunt possibilia suæ potentiæ, erit circulatio in manifestatione omnipotentiæ; hoc enim non erit aliud quam dicere, quod Deus est omnipotens quia potest omnia quæ potest... Dicitur autem aliquid possibile vel impossibile absolute, ex habitudine terminorum: possibile quidem, quia prædicatum non repugnat subjecto; impossibile vero absolute, quia prædicatum repugnat subjecto, ut hominem esse asinum.» *Sum. Theol.* 1.ª P. q. 25, art. 3.°

efficere ut contradictoria sint simul, et quod negatio affirmationem non tollat, aut vice versa. (1)

Prob. 2.° Ex communi hominum sensu, et ex ipso Cartesio, actio divina ac proinde voluntas divina, habere nequit pro termino non ens; nihilum enim non est terminus voluntatis nec actionis Dei: atqui in hypothesi cartesiana, non ens posset esse terminus actionis divinæ: ergo. Prob. min. In hypothesi cartesiana, res contradictionem involvens, ut circulus quadratus, posset esse terminus potentiæ et voluntatis Dei; atqui quod contradictionem involvit est non ens seu nihilum, quia quod unum extremum ponit, aliud extremum tollit: sic, circulus quadratus æquivalet nihilo, quia *circulus* destruit et tollit quadratum, et *quadratum* destruit et tollit vicissim circulum: ergo.

THESIS 2.ª

Possibilitas interna rerum fundamentum habet in intellectu Dei ac divina essentia.

Prob. Res quæ dicuntur interne possibiles, et quæ idcirco externam quoque possibilitatem respectu Dei obtinent, eatenus dicuntur possibiles absolute, quatenus exhibent rationem entis; sicut e converso, interne impossibile et respectu ipsius Dei, illud dicitur, quod non habet rationem entis; quia, ut habet D. Thomas, « oportet quod Deus dicatur non posse quidquid est contra rationem entis.» Atqui res interne possibilis ac proinde producibilis per Dei potentiam, eatenus exhibet rationem entis, quatenus continetur in intellectu

---

(1) En inventionem hominis, qui a quibusdam philosophis catholicis, instaurator et *parens* christianæ metaphysicæ vocatur; ex qua principium contradictionis evertitur, et universalis scepticismus inducitur.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

atque essentia Dei: ergo rerum interna possibilitas fundamentum et rationem sufficientem desumit ex intellectu Dei, in quo necessario repræsentatur quidquid potest habere rationem entis. Atque exinde etiam ex essentia divina; tum quia hæc concipitur ut prior et ratio sufficiens intellectus; tum maxime quia ideæ archetypæ, quibus continentur et repræsentantur omnia quibus entis ratio non repugnat, nihil sunt aliud quam ipsa divina essentia, prout est infinite participabilis et imitabilis per creaturas possibiles.

Confirmatur et illustratur hæc ratio. Deus, utpote ens summe intelligens, et suam essentiam perfectissime cognoscit, et non operatur nisi ex præconcepta idea exemplari operis faciendi; hic enim est proprius modus operandi agentis intellectualis, qua talis. Jam vero, quia divina essentia est infinita in suo esse, a Deo cognoscitur, non solum prout in se est absolute, sed etiam prout infinitis modis potest participari et imitari. Porro, essentia divina a Deo sub hac ratione intellecta, evadit idea exemplaris omnium creaturarum possibilium, sive omnium quibus ratio entis non repugnat; quia essentia divina, ratione suæ infinitatis, et quia est ipsum esse purum et subsistens, necessario repræsentat et continet *imitabiliter* quidquid rationem entis habere potest, quod est ipsum possibile internum et absolutum. Ergo interna rerum possibilitas, pendet vel potius identificatur cum ideis divinis, quæ nihil sunt aliud quam ipsa essentia divina, a Deo cognita prout multiformi ratione imitabilis.

Ad rem egregie D. Thomas, inter alia plurima, quæ brevitatis causa prætermittere cogimur: (1) «Ipse (Deus) enim, essentiam suam perfecte cognoscit: unde cog-

(1) *Sum. Theol.* 1.ª P. q. 15, art. 2.°

noscit eam secundum omnem modum quo cognoscibilis est. Potest autem cognosci, non solum secundum quod in se est, sed secundum quod est participabilis secundum aliquem modum similitudinis a creaturis. Unaquæque autem creatura habet propriam speciem, (determinatam essentiam ac proinde rationem entis) secundum quod aliquo modo participat divinæ essentiæ similitudinem. Sic igitur, in quantum Deus cognoscit suam essentiam, ut sic imitabilem a tali creatura, cognoscit eam ut propriam rationem et ideam hujus creaturæ; et similiter de aliis.» Et alibi: «Essentia sua est idea rerum, non quidem ut essentia, sed ut est intellecta: res autem creatæ non perfecte imitantur divinam essentiam; unde essentia non accipitur absolute ab intellectu divino ut idea rerum, sed cum proportione creaturæ fiendæ ad ipsam divinam essentiam. Et ideo ipsa divina essentia, cointellectis diversis proportionibus rerum ad eam, est idea uniuscujusque rei. Unde cum sint diversæ rerum proportiones, necesse est esse plures ideas: et est quidem una (idea) omnium (rerum) ex parte essentiæ (divinæ); sed pluralitas invenitur ex parte diversarum proportionum creaturarum ad ipsam.» (1)

Corollaria:

1.ᵐ Ergo fundamentum primum et remotum entium possibilium, constituendum est in essentia divina, quæ, utpote infinita, continet omnes gradus et perfectiones entis; fundamentum vero proximum seu immediatam rationem sufficientem possibilitatis internæ entium, reponere oportet in intellectu divino, quatenus in eo continentur ideæ seu rationes primitivæ exemplares rerum omnium, quæ rationem entis possunt participare.

---

(1) *QQ. Disp. De Verit.* q. 3.ª art. 2.º

2.m Ergo quamvis entia possibilia, præcise qua possibilia seu formaliter sumpta, nullam realitatem in seipsis habeant; attamen, si ex parte fundamenti spectentur, realitatem supponunt et involvunt. Hinc potest dici quod entia possibilia, fundamentaliter spectata, pendent a Deo, non secus ac ipsa entia existentia. (1)

3.m Ergo veritates illæ quæ continent et exprimunt relationes necessarias entium possibilium, fundamentum reale habent in ipsa essentia divina, vel potius in ideis divinis, quæ se habent ut formæ seu rationes exemplares, æternæ, et immutabiles rerum, quæ vel creantur, vel creari queunt. Atque ex hujusmodi ideis divinis, quæ necessariæ, æternæ et immutabiles existunt, derivantur necessitas, æternitas et immutabilitas, quibus prædictæ veritates donantur. (2)

4.m Ergo rejicienda sententia Storchenau, qui docet possibilitatem internam rerum, a Deo minime pendere. Siquidem, ex hucusque dictis satis constat, in hypothesi non existentiæ Dei, necessario tolli entia possibilia. Cui doctrinæ adstipulatur Leibnitz dum ait: (3) «Ipsa rerum possibilitas, cum actu non existunt, realitatem habet fundatam in divina existentia: nisi enim Deus existeret, nihil possibile foret, et possibilia ab æterno sunt in ideis divini intellectus.»

---

(1) Merito proinde habet Leibnitz: «Dependentia rerum a Deo extenditur, tum ad omnia possibilia, seu quæ non implicant contradictionem; tum etiam ad omnia actualia:» *Causa Dei*, etc. num. 7.°

(2) Naturam et munera idearum divinarum, egregie, pro more, describit D. Augustinus his verbis. «Ideæ sunt principales quædam formæ, vel rationes rerum stabiles atque incommutabiles, quia ipsæ formatæ non sunt, ac per hoc æternæ ac semper eodem modo se habentes, quæ divina intelligentia continentur. Sed cum ipsæ, nec oriantur, nec intereant, secundum eas tamen formari dicitur omne quod oriri vel interire potest.» *Quæst.* 83, q. 46.

(3) *Loc. cit.* num. 8.°

THESIS 3.ª

Res interne possibiles nullum esse in seipsis habent distinctum vel independens ab esse divino.

Hæc thesis nihil est aliud quam applicatio legitima et consectarium præcedentium. Nam si interna possibilitas non pendet ex libera Dei voluntate, et simul constituitur per essentiam divinam, identificaturque cum ideis divini intellectus, pronum est colligere, entia possibilia, præter esse ideale seu objectivum quod habent in nostro intellectu dum percipiuntur, nullum aliud *esse* habere posse, nisi ipsum esse divinum; quod quidem esse divinum, sive Dei essentia, ut diximus, entia omnia possibilia in se continet, quatenus est fundamentum et ratio sufficiens ipsorum. Sicut ergo ideæ intellectus divini non habent aliud esse præter esse essentiæ divinæ, ita nec possibilia quæ continentur ideis divinis, habent aliud esse præter esse idearum divini intellectus, quæ non distinguuntur ab essentia divina, sed cum ipsa identificantur.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Ens omnipotens illud dicitur, quod potest omnia facere; atqui Deus est ens omnipotens: ergo potest omnia facere, ac proinde etiam ut possibilia evadant impossibilia et e converso.

Resp. Dist. maj. Ens omnipotens... potest omnia facere, *quæ contradictionem non includunt*, conc. *secus*, neg. Igitur, Deus dicitur omnipotens, non quod possit producere contradictoria, quippe hoc idem esset ac producere nihilum seu *non-ens*, cum idem sit contradictio-

nem includere, ac excludere rationem entis. Sed omnipotens potius ac directe dicitur, quia potest perducere ad existentiam, omnia illa quibus ratio entis non repugnat. Quapropter ad rem D. Thomas: (1) «Esse divinum, super quod ratio divinæ potentiæ fundatur, est esse infinitum, non limitatum ad aliquod genus entis, sed præhabens in se totius esse perfectionem. Unde quidquid potest habere rationem entis, continetur sub possibilibus absolutis, respectu quorum Deus dicitur omnipotens. Nihil autem opponitur rationi entis, nisi non ens. Hoc igitur repugnat rationi possibilis absoluti, (quod subditur divinæ omnipotentiæ) quod implicat in se esse et non esse simul. Hoc enim omnipotentiæ non subditur, non propter defectum divinæ potentiæ, sed quia non potest habere rationem factibilis neque possibilis. Quæcumque igitur contradictionem non implicant, sub illis possibilibus continentur respectu quorum Deus dicitur omnipotens: ea vero quæ contradictionem implicant, sub divina omnipotentia non continentur, quia non possunt habere possibilium rationem.» Verbo: potentia divina fundatur in essentia divina, cui proinde respondet et commensuratur. Sicut ergo essentia divina dicitur infinite perfecta, non quod contineat in se aliquid de non ente, sed quia continet omne esse, seu, quia est *præhabens in se totius esse perfectionem*, ut habet D. Thomas; ita similiter Dei potentia est infinita et dicitur omnipotentia, quia potest producere quidquid rationem seu gradum entis habere potest.

Objic. 2.° Rerum possibilitas pendet ab eo, quo sublato, tollitur; atqui sublata Dei omnipotentia, tollitur rerum possibilitas: ergo.

Resp. Omisso ant. Dist. min. Tollitur rerum possibilitas *adæquata*, conc. *inadæquata*, subdist. *ex consequenti*,

(1) *Sum. Theol.* 1.ª P., q. 25, art. 3.°

conc. *quia omnipotentia sit ratio efficiens, vel formalis possibilitatis*, neg. Possibilitas adæquata et completa rerum, præter internam, externam quoque possibilitatem includit; quæ quidem sine Dei omnipotentia, quam respicit externa possibilitas, consistere nequit. At si sermo sit de sola interna possibilitate, hæc ab omnipotentia quidem minime pendet, quasi omnipotentia sit ratio sufficiens possibilitatis internæ; quia si per impossibile supponamus, sublata Dei omnipotentia, remanere ejus essentiam cum ideis exemplaribus, prout nunc extant in mente divina, jure merito dici posset, entia quæ repræsentantur præfatis ideis, esse possibilia interne. Cum ergo dicitur, quod sublàta omnipotentia Dei, tollitur possibilitas interna rerum, id solum verificatur ex consequenti, *a posteriori*, et veluti *sensu materiali*, quatenus tolli nequit Dei omnipotentia, quin simul tollatur ejus essentia cum ideis; quibus sublatis, nihilum absolutum inducitur, ac proinde nulla remanere potest entium possibilitas, sive externa, sive interna. Quamvis porro omnipotentia a divina essentia realiter non distinguatur, distinguitur tamen virtualiter, quatenus eam concipimus ut attributum fluens ab essentia divina, ipsaque proinde posterior naturæ ordine et secundum modum nostrum concipiendi.

Inst. Ergo dum res creantur a Deo, non producuntur ex nihilo. Prob. cons. Ex præcedenti solutione, Deus nequit producere rem aliquam, nisi quatenus præcontinetur et repræsentatur in ideis divinis, atque ex ipsis, creatum efficitur interne possibile: ergo cum res a Deo creantur, non ex nihilo, sed ex sui possibilitate producuntur.

Resp. 1.° Dist cons. Non producuntur ex nihilo *absoluto*, conc. ex nihilo *subjecti seu materiæ præexistentis*, neg. Creatio enim, non nihilum absolutum vel universale expostulat, cum potius necessario supponat existen-

tiam entis necessarii et infiniti, sed exigit solum nihilum ex parte subjecti producendi; quatenus, nempe, tota entitas physica rei creatæ, de novo producitur, nullaque realitas seu entitas ejusdem, actionem creatricem præcessit, nec in re creata post creationem remanet, secus ac accidit in productione non creativa, v. gr. in confectione statuæ, ubi et physicum subjectum, ex. gr. marmor, præsupponitur actioni artificis, et illa entitas physica marmoris, remanet in statua jam confecta.

Resp. 2.° Dist. cons. prob. Ex sui possibilitate producuntur, tanquam *concausa*, neg. tanquam *conditione sine qua non*, conc. Cum dicitur quod res ex sui possibilitate educitur aut producitur, hujusmodi possibilitas solum exprimere potest conditionem *sine qua non*, quatenus possibilitas interna rei præsupponitur ejus reali productioni: ast vero minime significat veram causam sive concausam omnipotentiæ; quia nec efficienter influit ad productionem et existentiam realem rei productæ ex. gr. hominis, nec ejus est causa materialis aut formalis. Homo enim productus, non coalescit *ex possibilitate* tanquam aliqua sui parte; imo etiam, eo ipso quod actu existit, eam penitus excludit et rejicit.

Objic. 3.° Si possibilitas interna rerum a Deo penderet, ad sensum expositum, entia creata a Deo non distinguerentur realiter; atqui hoc et absurdum existit, et pantheismum redolet: ergo. Prob. maj. Ex secunda thesi, possibilitas interna rerum identificatur cum ideis divinis; atqui ideæ divinæ ab ipso Deo realiter non distinguuntur: ergo nec entia possibilia. Prob. cons. Entia creata, sunt ipsa entia possibilia, quatenus recipiunt existentiam physicam per quam transeunt a statu possibilitatis ad statum actualitatis: ergo.

Resp. Neg. maj. Ad prob. dist. maj. Possibilitas interna rerum identificatur cum ideis divinis, *formaliter et subjective*, neg. *terminative et objective*, conc. Et simi-

liter ad min. Ideæ divinæ *formaliter et subjective acceptæ*, ab ipso Deo realiter non distinguuntur, conc. *si accipiantur terminative et objective*, neg. Ut solutio plenius faciliusque capiatur, accipiamus in Deo formam exemplarem sive ideam *hominis*. Hæc idea potest spectari: 1.° quatenus est realitas quædam existens in essentia divina: 2.° quatenus respicit naturam humanam et non aliam, atque quatenus exinde *homo* est terminus seu objectum repræsentatum per eam. Aliud est ergo idea divina hominem repræsentans, aliud homo possibilis per eam repræsentatus; sicut aliud est notio, vel idea Petri quam in mente habeo, et aliud Petrus ipse extra me physice existens. Sub primo respectu, idea divina hominis identificatur cum essentia divina, ast minime sub secundo respectu sive ex parte termini; quoniam homo qui *potest* produci, et qui repræsentatur in idea divina, aliquid est ab hac idea distinctum. Etenim, Deus eatenus dicitur rem possibilem producere sive actualem reddere, quatenus efficit ut existentiam et realitatem physicam habeat, id quod antea solum erat in potentia ad existentiam physice habendam, non vero quasi Deus dum rem possibilem producit, vel creat, ipsam ideam exemplarem quam præhabet in sua essentia, actuet per existentiam physicam; hæc quippe existentia, in essentia ex nihilo educta recipitur, et non in idea ipsa exemplari mentis divinæ. Hæc tamen idea divina, merito dicitur fundamentum et ratio possibilitatis illius rei, tum quia antequam producatur res, in illa idea repræsentatur, tum quia dum actu producitur, ad normam et imitationem illius ideæ producitur.

Objic. 4.° Quod concipi potest independenter ab alio, ab ipso non pendet; atqui possumus cogitare et concipere rerum internam possibilitatem, quin de ideis aut essentia divina quidpiam cogitemus: ergo.

Resp. 1.° Neg. maj. Secus enim admittere cogeremur,

mundum mundanaque entia a Deo non pendere, cum de rebus plurimis sigillatim cogitare possimus, quin Deum actu cogitemus. Sed præterea,

Resp. 2.° Dist. min. Possumus etc. *quoad conceptum ejus primarium*, conc. *quoad perfectiorem et adæquatam notionem*, neg. Conceptus primarius possibilitatis internæ habetur dum ejus natura absolute et secundum se spectatur; quæ cum consistat in non repugnantia extremorum, vel prædicatorum rei possibilis, solum exigit collationem horum extremorum, pro qua actualis cogitatio Dei minime requiritur, sicut non requiritur ad percipiendum Petrum esse ens reale, et distinctum a lapide. Ast vero, sicut Petrus cognosci nequit perfecte et adæquate, hoc est, quoad omnia attributa et relationes quæ includit, nisi cognoscatur ejus dependentia a Deo quoad esse et conservari, ita perfecta et adæquata rerum possibilitas non habetur, nisi dum agnoscitur convenientiam prædicatorum, in qua formaliter et immediate consistit possibilitas interna, pendere et oriri ex essentia divina ejusque ideis, tanquam ex fundamento et ratione sufficienti.

Objic. 5.° Si possibilitas interna rerum constituitur per convenientiam notarum seu prædicatorum essentiæ, atque per hujus repræsentationem in ideis divinis, limites apponuntur omnipotentiæ Dei: ergo. Prob. ant. In data hypothesi, actio productiva Dei non posset terminari nisi ad res interne possibiles, et in ideis divinis præcontentas et repræsentatas; atqui hoc est apponere limites omnipotentiæ divinæ, quippe quæ nihil extra enumerata possibilia, posset producere: ergo.

Resp. Neg. ant. Ad prob. neg. min. Quandoquidem, falsum prorsus est limites ullos vere apponi potentiæ divinæ, ex eo quod solum producere possit entia absolute possibilia, quæ divinis ideis continentur. Dicere namque Deum posse producere possibilia interne, idem est ac

dicere eum posse producere omnia quæ possunt habere rationem entis. Quod quidem tantum abest, ut limites omnipotentiæ apponat, ut potius penitus removeat; tum quia ea quæ possunt habere rationem entis sunt infinita, sicut et ideæ divinæ quibus continentur; tum quia hoc ipsum quod Deus nequit entia interne impossibilia producere, minime oritur ex defectu aut limitatione potentiæ, sed ex defectu, vel negatione termini, cum ens interne impossibile convertatur cum *non-ente* seu *nihilo:* quapropter, ut aptissime habet D. Thomas, «convenientius dicitur quod ea non possint fieri, quam quod Deus non possit facere.»

SCHOLIUM.

Doctrina hæc circa entis possibilitatem nexum atque relationem habet cum doctrina theologica circa Dei scientiam *visionis* et *simplicis intelligentiæ*. Atque harum prima, ea dicitur qua Deus cognoscit creaturas, quæ aut fuerunt, aut sunt, aut erunt, quatenus ipsarum existentia physica, præsens existit in Dei æternitate: altera, respicit creaturas pure possibiles, quæ nec fuerunt, nec sunt, nec erunt. Creaturæ actuales, quæ sunt objectum scientiæ *visionis*, respiciunt Deum, non solum ut rationem sufficientem, sed ut causam etiam ex qua et per quam existentiam acceperunt: creaturæ vero pure possibiles, quæ objectum constituunt scientiæ *simplicis intelligentiæ*, respiciunt quidem Deum ut *rationem* sufficientem, non vero ut causam possibilitatis ipsarum. Quamvis enim possimus dicere, ideas divinas continere rationem quare hæc, vel illa res sit possibilis, non possumus tamen dicere, esse proprie causam efficientem possibilitatis ejusdem; cum hæc possibilitas *realiter spectata*, hoc est, quoad reali-

tatem quam includit, sit ipsa idea divina. Ex quibus omnibus, hæc philosophico-theologica colliges:

1.° Scientia visionis, præter notitiam intellectualem objecti, includit determinationem liberam et efficacem voluntatis divinæ ad ejusdem physicam existentiam: at scentia simplicis intelligentiæ solam cognitionem rei involvit, absque ullo decreto voluntatis quoad ejusdem productionem vel existentiam physicam.

2.° Nullus creatus intellectus potest perfecte cognoscere *omnia* entia possibilia; quippe perfecta et adæquata cognitio *omnium* possibilium, secum ferret cognitionem adæquatam idearum divinarum, ipsiusque essentiæ divinæ, cum qua identificantur.

3.° Perfectiones et gradus entium possibilium, respondent necessario perfectioni essentiæ divinæ; unde, cum hæc infinita sit in ratione entis, infiniteque participabilis, infinita quoque sint necesse est, entia possibilia.

4.° Inter creatas mentes, ea perfectius Deum cognoscit, quæ plura possibilia in eo videt aut cognoscit; quo enim plura possibilia in Deo videt, eo magis ejus essentiam, virtutem ac perfectiones penetrat. Unde D. Thomas, nec ipsi intellectui elevato per lumen gloriæ ad visionem Dei, concedit vim pro cognitione omnium possibilium, huicque nostræ doctrinæ adstipulatur dum ait: (1) «Nullus igitur intellectus creatus videndo Deum, potest cognoscere omnia quæ Deus facit vel potest facere: hoc enim esset comprehendere ejus virtutem. Sed horum quæ Deus facit vel facere potest, tanto aliquis intellectus plura cognoscit, quanto perfectius Deum videt.»

---

(1) *Sum. Theol.*, 1.ª P., q. 12, art. 8.°

ARTICULUS TERTIUS.

De ente substantiali et accidentali.

Quia substantia considerari potest, tum in seipsa, tum quatenus subjicitur accidentibus, agemus primo de substantiæ notione et existentia; deinde de accidentium distinctione et separabilitate a substantia.

§ I.

De substantia.

Ne plus æquo longiores simus, vestigationem ontologicam de substantia sequentibus summatim complectemur:

1.° *Substantia*, si vim nominis attendamus, *est id quod aliis substat* vel substernitur. Et quoniam non raro accidit, quod eadem sit origo nominis et notionis rei, non immerito adfirmaremus, notionem primam substantiæ in nobis oriri ex observatione phænomenorum sive accidentium, quæ sibi succedere in re aliqua, eadem in se permanente, conspicimus. Sic observando per conscientiam seu internam experientiam, esse in nobis aliquid quod idem perseverat inter perpetuam sucessionem sensationum, appetitionum, intellectionum, volitionum, etc. in nobis exurgit notio alicujus rei in qua verificantur hujusmodi phænomena seu mutationes, et quæ, dum incipiunt et desinunt esse in ea præfatæ sensationes, volitiones, etc. *eadem* permanet quoad suam entitatem fundamentalem. Similiter, observando phænomena sensibilia et mutationes, quæ in uno et eodem

corpore ab aliis sejuncto, contingunt, concipimus adesse ibi aliquod ens fixum, stabile, et perdurabile, in quo recipiuntur et sibi succedunt phænomena illa et mutationes. Prima ergo et veluti rudimentaria notio substantiæ, tam spiritualis, quam materialis, originem ducit ex observatione phænomenorum, qualitatum, mutationum, quæ per experientiam vel internam, vel externam, in rebus ipsis directe contuemur et experimur.

2.° Dico *prima et veluti rudimentaria notio substantiæ;* quia hujus integra notio non complectitur solam permanentiam inter mutationes accidentales, harumve receptionem, sed his addit aptitudinem seu facultatem existendi in se et per se, quin indigeat in alio subjecto recipi ut existat. Immo etiam, posterior iste conceptus, præcipuus est in notione substantiæ; tum quia hæc catenus potestatem habet recipiendi et sustentandi accidentia, quatenus prius naturæ ordine existit in se; tum etiam quia absolute loquendo, permanere seu perdurare idem inter mutationes sensibiles sibi succedentes, accidentali enti quodammodo competit; siquidem, extensio corporis, eadem manet et perdurat dum fit alba, vel nigra, calida, vel frigida, etc. Quibus si addas, nos optime concipere substantiam quæ nullis accidentibus seu mutationibus subjiciatur, ut de facto contingit in Deo, evidenter elucescit, substantiam per posteriorem potius quam per priorem conceptum esse definiendam. (1)

3.° Itaque, notio integra substantiæ, saltem finitæ,

---

(1) Propter has rationes non approbamus definitionem substantiæ corporeæ, quam tradit noster Balmes, dum scribit: «Si quisiésemos pues definir la sustancia corpórea, deberíamos limitarnos á decir que es *un sér permanente en que se verifican las mudanzas que se nos ofrecen en los fenómenos sensibles.*» *Filos. Fund.* l. 9.° cap. 3.°

ex phænomenis et accidentibus sensibilibus pendet secundum ordinem acquisitionis, et quoad generationem; siquidem, *per* accidentia, et *ratione* accidentium, notionem substantiæ acquirimus. Ast vero, ordine naturæ et logico, substantia prior est accidentibus; quoniam hæc ab ipsa dependent et in ipsa recipiuntur: unde notionem completam, et existentiam accidentium concipere non possumus, nisi præsupponendo substantiam, cui tanquam subjecto inhæreant. Verbo: substantia non pendet ex accidentibus, accidentia vero necessario pendent ex substantia cui inhærent. (1) Cujus rei profundissimam rationem affert D. Thomas, dum statuit, quod «essentia proprie et vere est in substantiis, sed in accidentibus est quodammodo et secundum quid.» Nimirum, tum quia accidentia sunt modi entis potius quam entia, tum maxime quia naturam incompletam sibi ex se vendicant. Cujus signum est, quod nequeunt concipi aut definiri quin definitionem ingrediatur dependentia, vel actualis, vel aptitudinalis a substantia vel subjecto aliquo. Merito igitur subjungit D. Thomas: (2) « Oportet quod (accidentia) eo modo habeant essentiam, quo habent definitionem. Definitionem autem habent incompletam, quia non possunt definiri, nisi ponatur subjectum in eorum definitione: et hoc ideo est, quia non

---

(1) Huic doctrinæ plane adsentitur Cousin, in hæc verba scribens: «Comme le corps, la succesion, le fini, la varieté, présupposent logiquement l'espace, le temps, l'infini, l'unité; de même, dans l'ordre de la raison et de la nature, il est évident que l'attribut et l'accident présupposent le sujet et la substance: mais il n'est pas moins evident que dans l'ordre d'acquisition de nos idées, l'idée d'attribut et de accident est la condition necessaire pour arriver à celle de substance et de sujet, comme dans ce même ordre l'idée de corps, de succesion, de nombre et de varieté, est la condition de l'idée d'espace, de temps, d'infini et d'identité.»

(2) Opusc. *De Ente et Essent*, cap. 7.°

habent in se esse absolutum (hoc est, independens) per se a subjecto.»

4.° Ex hucusque instituta analysi notionis substantiæ, hæc licet colligere:

a) Notio vel idea substantiæ, apud nos, est valde incompleta; quia de substantia in genere accepta nihil aliud scimus, nisi quod est entitas permanens potens recipere varia accidentia seu modificationes, et quod ista entitas seu realitas, non indiget recipi in alio subjecto ut existat.

b) Idea substantiæ in nobis, complectitur quasi duo elementa; quorum unum est positivum, nempe, *entitas realis*, quæ accidentia recipit, et permanet inter mutationes accidentales: alterum negativum, nempe, *existere in se*, quod quidem quamvis voce tenus positivum quid videatur, revera tamen, negationem præ se fert; nam eatenus et ideo dicimus, substantiam esse ens per se, seu existere in se, quia non recipitur in aliquo sive non inhæret subjecto; ut enim merito habet D. Thomas, (1) substantia «dicitur ens per se, ex hoc quod non est in alio, quod est negatio pura.»

c) Secundum ordinem naturæ et logicum, substantiæ notio constituitur primario per entitatem realem, quatenus involvit et dicit negationem existendi in alio, et non quatenus dicit potestatem sustinendi accidentia.

d) Substantia incapax est, apud nos, definitionis proprie dictæ ac perfectæ; tum quia nihil habet supra se nisi notionem communem entis, quæ, ut diximus, genus logicum dici nequit respectu inferiorum; tum quia substantiæ intimam naturam ignoramus, ejusque indeterminatam tantum et incompletam ideam habemus.

---

(1) *Sum. cont. Gent.* l. 1.° cap. 25.

5.° Ex quibus jam colligo, aptiorem definitionem seu descriptionem substantiæ, esse eam qua dicatur: *Ens in se existens*, vel melius et explicatius: *Ens quod non indiget subjecto cui inhæreat ad existendum.* (1) Dico *subjecto cui inhæreat*, quia substantia subjectum *inhæsionis* excludit, ast non subjectum *adhæsionis*, quod locum habet, dum vel substantia incompleta alteri similiter incompletæ *adhæret* vel conjungitur ad completam conficiendam, ut contingit in anima hominis, vel bruti respectu corporis; vel pars substantialis in toto existit, ipsique conjungitur, ut brachium respectu corporis humani. Rejicere itaque oportet, ut minus exactas, tum eas definitiones, quæ substantiam describunt, per potestatem recipiendi et sustentandi accidentia, quoniam hoc conceptum primarium substantiæ non exprimit; tum etiam illas, quæ substantiam describunt per absolutam independentiam ab alio, nihil exprimendo de natura hujusmodi independentiæ. Quod quidem peccatum peccavit Cartesius, dum ait: «Per substantiam nihil aliud intelligere possumus, quam rem quæ ita existit, ut nulla alia re indigeat ad existendum.» Quæ sane definitio, si ad litteram accipiatur, soli substantiæ infinitæ et increatæ convenit, ac proinde pantheismum sapit, præsertim, si præ oculis habeatur, quod Cartesius ibidem subjungit, in hæc verba: «Et quidem, substantia quæ nulla alia re indigeat, unica tantum potest intelligi, nempe, Deus.» (2) Unde nihil mirum, quod non ignobiles scriptores, Spinozæ pan-

---

(1) Hæc definitio traditur a D. Thoma, quamvis utatur verbis paulisper diversis, dum scribit: «Si substantia possit habere definitionem, non obstante quod est genus generalissimum, (supremum dicitur apud logicos) erit ejus definitio, quod substantia est *res, cujus quidditati debetur esse non in aliquo.*» *QQ. Disp. De Pot.* q. 7.ª art. 3.°

(2) *Princip.* 1.ª P. cap. 51.

theismum ex cartesiana definitione substantiæ deductum asserant. (1)

6.° Porro, ex prælibatis aperte liquet, nos et habere veram notionem substantiæ, et hujus non solum realem existentiam, sed distinctionem quoque internoscere; quoniam ex phænomenorum et mutationum sensibilium existentia, distinctione, et successione, existentia et distinctio substantiarum evidentur colliguntur. Penitus proinde explodenda sententia Locke, adserentis, substantiam nihil esse aliud quam *collectionem qualitatum simul existentium, ratione nobis ignota.* Quod profecto nihil est aliud quam ad figmenta et nihilum reducere substantiam objective sumptam. Semel enim ac admittatur, quod substantia non est nisi collectio vel complexus qualitatum, legitima consecutione inferre licebit, res extra nos positas, ut equum, arborem, lapidem, nullam realitatem vel entitatem objectivam habere, præter entitatem accidentium vel qualitatum; quod certe

---

(1) Dixi *si ad litteram accipiatur*, quia si alia loca, et contextus generalis doctrinæ Cartesii inspiciantur, satis perspicue apparet, eum rejicere pantheismum, pluralitatemque substantiarum admisisse.

Ast quod vere peregrinum, ad risum usque existit, est sententia Royer-Collard, rotundo ore affirmantis, hanc definitionem Cartesii ad Scholasticos pertinere, ita ut Cartesius nihil aliud egerit, si fides huic philosopho, quam definire substantiam definitione Scholasticorum: «La seconde remarque, *inquit*, c'est que Descartes définit la substance comme les Scholastiques, *res quæ ita existit ut nulla alia re indigeat ad existendum.*» *Fragments.* apud *Œuvr. de Reid*, t. 4.° pag. 308. Optarem sane scire, apud quem Scholasticorum, hanc substantiæ definitionem detexerit Royer-Collard. Equidem ego Scholasticos aliquos, fortasse plures quam Royer-Collard perlegi, sed Scholasticum hoc modo substantiam definientem, hucusque vidi neminem.

Definitioni cartesianæ affinis est definitio quam de substantia tradit Cousin, dum ait, substantiam esse *ens quod nihil ultra se in ordine ad existendum supponit.* Qua in re, fidelem se exhibet discipulum et asseclam Cartesii, quem ad cœlos usque continuo extollit, et quem unicum veræ philosophiæ magistrum veneratur et colit.

omnibus errorum monstris, ac præsertim scepticismo, nihilismo atque pantheismo viam sternit. *Scepticismo*, quatenus et communi hominum sensui, et conscientiæ ac sensuum testimonio refragratur: *nihilismo*, quatenus entitates substantiales, atque proinde veras et præcipuas mundi realitates e medio tollens, mundum in nihilum fere redigit: *pantheismo* demum, quatenus realem, et existentiam, et pluralitatem substantiarum creatarum evertit. (1) Atque exinde etiam effectum est, ut

---

(1) Lockianum systema circa substantiæ notionem et existentiam perspicue exponit Royer-Collard verbis hisce: «Voici le système de Locke. L'esprit ne perçoit que ses propres idées; elles sont l'unique objet de sa connaissance. Elles lui arrivent par les sens et par la réflexion. Une idée qui serait dans l'esprit, et qui n'y serait pas entrée par l'une ou l'autre voie, serait une contradiction. Il suit de là que si nous n'avons pas l'idée de substance, il n'y a point de substance dans la nature; et que si nous l'avons, elle est une idée de sensation ou de réflexion.

La première question que Locke ait dû se proposer est donc celle-ci: Avons-nous l'idée de substance? Voici comme il y répond: «Il y a une idée qu'il serait avantageux aux hommes d'avoir; je veux parler de l'idée de la substance, que nous *n'avons ni ne pouvons avoir par voie de sensation ou de réflexion.*» *Fragments, Loc. cit.* pag. 309. Ex quibus jure merito, philosophiæ scriptores et critici collegerunt, Locke substantiæ notionem et existentiam denegasse, cum expressis verbis profiteatur, nos ejus ideam acquirere non posse, *nec per sensationis viam, nec reflexionis;* quæ sunt duæ viæ, quibus per Locke, in rerum cognitionem unice devenimus.

Nihilominus verius diceretur, hunc philosophum, in re hac contradictoria scripsisse, prout non infrequentius ipsi contingit. Siquidem, aliis in locis, existentiam et notionem substantiæ, prout ab accidenti distinctæ, admittere videtur: «Toutes les idées que nous avons des différentes espèces de substances, ne sont que des collections de idées simples avec la supposition *d'un sujet auquel elles appartiennent, et dans lequel elles subsistent*, quoique nous n'ayons point d'idée claire et distincte de ce sujet.» *Essai sur l'ent.* etc. l. 2.° cap. 23. Et alibi: «La substance est donc *quelque chose de tres réel*, mais comme elle n'est pas répresentée à l'esprit par une idée claire et distincte, le rapport de la substance aux modes... et ainsi l'esprit, de ces idées simples, s'eleve á l'idée generale et relative de substance, qu'il n'aurait point eue sans elle.» *Lettre prem. à l'eveq. de Worcester.*

hanc Locke doctrinam, quæ optime cohæret cum ejusdem theoria idealogica ad sensismum vergente, amplexati fuerint, præter scepticos et idealistas, rigidiores sensismi adseclæ. (1)

7.° Sunt qui operosius inquirunt, utrum ratio vel notio substantiæ, Deo possit jure tribui. Cui quidem quæstioni facile quis satisfacere potest ex dictis. Nam si substantia sumatur, prout a nobis definita est, quoad conceptum ejus primarium, proculdubio Deus proprie dicitur substantia, cum vere sit *ens in se existens*, sive entitas realis non indigens subjecto ad existendum. Ast vero, si quæstio, non absolute, sed *per comparationem* ad substantias creatas instituatur, tunc bene dici potest, rationem substantiæ Deo non convenire, idque sub duplici respectu: 1.° quia substantia creata, in rigore loquendo, est quidditas determinata vel essentia quæ, si existat, vel dum existit, debet existere in se et per se sine subjecto; quoniam in ea actus existendi distinguitur ab essentia illa substantiali. Contra vero, Deus dicitur substantia, et ens in se existens, non quasi sit essentia vel quidditas cui debeatur existere in se, sed quia est ipsa existentia absoluta et actualis, quæ in eo constituit essentiam ipsam. Quo sensu accipienda sunt verba D. Thomæ, dum ait: (2) «In ratione substantiæ intelligatur, quod habeat quidditatem cui conveniat esse non in alio; hoc autem Deo non convenit, nam non habet quidditatem nisi suum esse.» 2.° Quatenus

---

(1) Ad rem apposite loquitur Royer-Collard: «Cette assertion, (nempe, ideam substantiæ nihil esse aliud quam collectionem idearum simplicium) commandée à Locke par les besoins de son système, Berkeley, Hume, Helvetius, Condillac l'ont répétée... elle a usurpé peu-à-peu, une grande autorité dans la philosophie moderne; on a fini par l'enoncer comme une de ses découvertes les plus evidentes et les plus précieuses.» *Loc. cit.* pag 313.

(2) *Sum. cont. Gent.* l. 1.° cap. 25.

substantia in Deo non est subjectum accidentium vel mutationum, sicut creata substantia. (1) Quod si hæc ipsa quæstio logice proponatur, scilicet, utrum Deus contineatur in prædicamento substantiæ, negative tunc solvenda est, ut in Logica diximus, cum Dei substantia, utpote simplicissima et actualissima, compositionem ex genere et differentia, prorsus excludat.

8.° Illud tandem pro colophone notatum velim, pro his maxime qui, vel scholasticæ theologiæ incumbere, vel Scholasticorum opera perlegere in animum inducant, τὸ *ens per se*, quod, dum de substantia agitur, non veteres modo, sed moderni etiam frequentius usurpant, multiplices eosque non parum diversos excipere sensus et significationes. Sumi enim potest:

a) Pro eo quod unicam essentiam habet, et prout opponitur enti *per accidens*, illud, nempe, quod coalescit ex duabus essentiis in suo genere completis et accidentaliter unitis: sic Petrus, dicitur ens *per se*, quatenus dicit humanitatem; sed *album*, vel *Petrus-albus*, est ens per accidens, quatenus significat humanitatem et albedinem accidentaliter conjunctas in hoc subjecto.

b) Pro eo quod ita est ens *per se*, ut excludat quancumque dependentiam ab alio ente, sive subjecti, sive causæ, sive cujuscumque alterius rationis; quo sane sensu, solus Deus dici potest ens *per se*.

c) Prout excludit existentiam unius rei in alia tanquam in toto: sic compositum substantiale, v. gr. equus, dicitur esse vel existere *per se;* ast ejus partes,

---

(1) Sub hoc secundo sensu, et hac potissimum ratione docet D. Augustinus, Deum *abusive substantiam vocari*. Quandoquidem, postquam statuerat Deum dici essentiam quia est ipsum esse, subjungit: «Sed aliæ quæ dicuntur essentiæ sive substantiæ, capiunt accidentia; quibus in eis fiat, vel magna, vel quantacumque mutatio: Deo autem aliquid ejusmodi accidere non potest, et ideo sola est incommutabilis substantia.» *De Trinit.* l. 5.° cap. 2.°

non solum integrales et minus principales, ut brachium, sed essentialiter componentes, ut corpus, et anima sensitiva, non dicuntur existere vel esse *per se*, sed in composito et per existentiam compositi.

d) Sumi potest prout æquivalet enti completo per subsistentiam; atque hoc sensu, sola suppósita vel personæ, dicuntur *per se* existere, non vero essentiæ vel naturæ, nisi cum subsistentia significentur, sicut homo, dicitur *existere per se*, non vero humanitas, quia hæc significatur per modum formæ existentis in supposito.

e) Demum sumitur *per se*, quatenus excludit inhærentiam in alio tanquam subjecto, quæ propria est accidentium; quo sensu accipiendum est, dum substantia apud quosdam, tam veteres, quam recentiores, definitur *ens per se* subsistens vel existens. Sed ne ulla ansa æquivocationi præbeatur, melius definitur *ens in se existens*, prout nos fecimus.

§ II.

De accidentali ente.

Prænotanda:

1.° Experientia teste, res, eadem manens quoad entitatem substantialem, varias, easque insignes et sensibiles subit mutationes. Illud, quod rationem sufficientem ejusmodi mutationum continet, vel quod realiter substantiam afficit et modificat, tanquam res extra conceptum substantiæ posita, appellatur *accidens* substantiæ, frequentius vero, apud recentiores, *modus:* sic extensio, motus, figura, dicuntur accidentia vel modi hujus corporis.

2.° Accidentia physica, de quibus hic est sermo, non incongrue in absoluta et modalia dividuntur. *Absoluta* ea dicuntur, quæ ex sua natura et conceptu, novam et insigniorem entitatem in subjecto ponunt, ut quantitas, calor, motus, alia hujusmodi. *Modalia* e contra dicuntur, quæ ex propria natura, minimam entitatem præ se ferunt, ac substantiæ in qua existunt, novum *statum* vel modum essendi accidentaliter potius quam novam entitatem afferunt. Verbo, et fortasse melius: Modus est qui immediate afficit accidens absolutum, et per ipsum mediate substantiam. Sic, velocitas ex. c. motum immediate afficit tanquam ipsius modus, atque ratione motus substantiam ipsam mediate afficit.

3.° Extensio vel quantitas, præcipuum ac veluti primarium locum obtinet inter corporum accidentia, idque duplici potissimum ratione: 1.° quia insigniorem entitatem ac veluti perfectiorem realitatem, extra genus vel lineam substantiæ, corpori afferre videtur: 2.° quia et ipsa immediate afficit corpoream substantiam, et ex hoc ipso efficitur quasi fundamentum ac immediatum subjectum aliorum accidentium et modorum, quæ corpus afficiunt media quantitate; ut enim habet D. Thomas, *quantitas est prima post substantiam*, hoc est, prima entitas accidentalis quæ consequitur substantiam corpoream. Unde et reliqua accidentia eamdem veluti immediatum fundamentum vel subjectum præsupponunt, atque ut habet D. Thomas: «Omnia alia accidentia, in quantitate fundantur.» (1) Hinc est, quod quamvis corpora ratione pura concipi queant sine quantitate, minime vero imaginatione. (2)

---

(1) *Sent.* lib. 4.° Dist. 12, q. 1.ª art. 1.°

(2) Atque ex hoc fortasse originem duxit doctrina Kant asserentis, spatium, quod quidem in rerum natura cum quantitate vel extensione corporum identificatur, esse formam subjectivam necessariam intuitionis sensibilis. Quæ quidem doctrina veritatem habet, et D. Tho-

Philosophia christiana per Ecclesiæ Patres præformata, per Scholæ principes evoluta, veritate divina nutrita, ac Dei rationi et revelationi subjecta, constanter docuerat, accidentia non solum a substantia cui inhærent, realiter distingui, sed ipsorum quædam a substantia disjungi ac conservari posse virtute Dei. Contra vero, moderna philosophia, postquam Cartesio magistro, novam scientiam cudere aggressa est, sola ratione naturali et individua duce, non separabilitatem modo, sed ipsam realem distinctionem accidentium a substantia, totis viribus oppugnavit (1). Nos vero, principiis christianæ philosophiæ insistentes, statuimus sequentia:

---

mæ est consentanea, ac fortasse ex ipso deprompta, quatenus docet, nihil sensibus, nec ipsa imaginatione percipi a nobis posse, nisi quantitate donetur. Ast errorem et falsitatem continet, quatenus tollit et inficiatur objectivam realitatem hujusmodi quantitatis, ad formam pure internam sive *subjectivam* spatium redigendo.

(1) Excipiendus tamen Leibnitz, qui ut erat vir boni sensus, veritatem potius quam novitatem, ut plurimum, quærens, realem distinctionem accidentium a substantia tuetur. Ut enim alia omittamus, Petro Bayle cartesianorum doctrinam et argumenta de re hac objicienti, ita respondet: « Il est bon d'ailleurs qu'on prenne garde, qu'en confondant les substances avec les accidents, en ôtant l' action aux substances creés, on ne tombe dans le Spinosisme, qui est un Cartesianisme outré... Si les accidens ne sont point distingués des substances; si la substance créé est un être successif, comme le mouvement; si elle ne dure pas au delà d' un moment, et ne se trouve pas la même, durant quelque partie assignable du temps, non plus que ses accidens... ¿pourquoi ne dira-t-on pas comme Spinosa, que Dieu est la seule substance, et que les creatures ne sont que des accidens ou des modifications? Jusqu'icy on a cru que la substance demeure et que les accidens changent: et je crois qu'on doit se tenir encore à cette ancienne doctrine; les arguments que je me souviens d' avoir lûs ne prouvant point le contraire, et prouvant plus qu'il ne faut. » *Essai de Theod.* P. 3.ª, núm. 393.

THESIS 1.ª

Dantur accidentia, quæ a substantiis creatis quibus insunt, realiter distinguuntur.

Prob. 1.° Ex omnium consensu, et experientia teste, figura rotunda, v. gr. et motus, sunt accidentia respectu lapidis, sensatio et volitio respectu animæ rationalis; quandoquidem possunt esse, vel non esse in lapide, vel anima. Atqui hujusmodi accidentia realiter distinguuntur a substantia cui inhærent: ergo. Prob. min. Hujusmodi accidentia sunt aliquid reale, cum inducant in subjecto mutationes reales; absurdum enim esset dicere, motum lapidis antea immoti, et volitionem, vel appetitionem cibi quem antea nollebam, nihil reale esse in lapide, vel anima: atqui non sunt aliquid reale substantiale, cum substantia eadem sit ante et post motum aut volitionem : ergo sunt aliquid reale accidentale: ergo dantur accidentia, quæ realiter a substantia cui insunt distinguuntur.

Prob. 2.° Accidens, vel addit aliquam realitatem substantiæ cui inhæret, vel non. Si addit aliquam realitatem, jam habemus accidentia realiter distincta a substantia: si nullam realitatem addit substantiæ, accidens idem manebit in substantia, quandiu manet substantia. Atqui hoc falsum est ac experientiæ adversatur, quæ nobis perspicue edicit, manente eadem substantia, non manere idem accidens, ut dum cera quadrata fit rotunda, dum lapis antea immotus nunc movetur: ergo accidens seipsum addendo, vel superveniendo substantiæ, aliquid reale ipsi addit.

Prob. 3.° ex absurdis oppositam sententiam prementibus, quorum, brevitati consulentes, duo tantum innuimús.

1.m Ex doctrina catholica, dum peccator justificatur,

gratiam sanctificantem, ac virtutes infusas, fidem, spem, charitatem recipit a Deo, atque per eas constituitur homo in ordine supernaturali, simulque vim obtinet eliciendi actus supernaturales. Si autem accidentia nihil reale addunt substantiæ: ergo cum dicitur quod *gratia diffunditur in cordibus hominum per Spiritum Sanctum atque illis inhæret*, idem erit ac dicere quod nulla realitas, vel ens non-reale diffunditur in cordibus hominum per Spiritum Sanctum; ac proinde quod anima peccatoris, eodem modo *reali* se habet ante et post susceptam gratiam.

2.m Qui inficiantur realem distinctionem accidentium a substantia, latissimam viam pantheismo sternunt. Nam si entitates reales, omnes sunt entitates substantiales, cum videamus hujusmodi entitates continuis mutationibus obnoxias esse, ac veluti per continuum motum fluere, pronum erit conjicere et inferre, entitates seu realitates quas in mundo cernimus, non esse nisi phænomena, mutationes et phases multiplices unius substantiæ. Et quidem, ut scite ajebat Leibnitz, «si creata substantia, est quoddam ens successivum... et eadem non permanet, sicut non permanent accidentia, ¿quare non dicemus, sicut Spinoza, Deum esse unicam substantiam, ac creaturas non esse nisi accidentia sive modificationes?»

THESIS 2.ª

Non repugnat absolute accidentia quædam existere sine subjecto, ac proinde quod a Deo hac ratione conserventur.

Prob. 1.° Illud dicitur non repugnare absolute, ac proinde effici posse per potentiam Dei, quod non implicat contradictionem; atqui nulla exurgit contradictio ex eo quod aliquod accidens existat quin de facto et actu inhæreat substantiæ: ergo. Prob. min. Nulla apparet contradictio in eo quod duo entia, quorum quodlibet

habet propriam entitatem ab entitate alterius realiter distinctam, existat sine unione actuali cum alio; atqui ex priori thesi, accidentia sunt veræ entitates reales a substantia realiter distinctæ: ergo ipsorum existentia actualis sine substantia, nullam involvit contradictionem. Et re vera quidem, si natura dimensiones et qualitates ex substantiis tollit, eas mutando ac novas substituendo, salva ipsarum substantiarum essentia, poterit Deus, qui sane potentior est natura, efficere ut talis substantia maneat sine dimensionibus aut qualitatibus; et poterit etiam has dimensiones, vel qualitates, «sustentare, re sive essentia sublata,» ut optime argumentatur Leibnitz. Siquidem, ut ipsemet subjungit, «regulariter, quæcumque realiter distincta sunt, separari possunt per potentiam Dei absolutam; et quidem ita ut, vel alterutrum subsistat, altero destructo, vel utrumque, sed separatim... Neque vero in his ulla contradictio intelligi potest, reali discrimine semel admisso: et existentia pariter ac unio substantiæ et accidentium realium, in Dei arbitrio est.» (1)

Prob. 2.° eadem thesis ex doctrina catholica circa mysterium Eucharistiæ. Quamvis enim ultro fateamur, fidei dogmata non lædi dicendo cum cartesianis, per *species panis et vini* quæ remanent post factam conversionem substantiæ panis et vini in corpus et sanguinem Christi, intelligi posse sensationes præfatis accidentibus respondentes, nemo tamen inficiabitur, ejusmodi sententiam minima frui probabilitate, gravissimisque premi difficultatibus.

Et primo quidem, mirandum sane esset, omnes Ecclesiæ Patres et Theologos ante Cartesium natos, in re tam gravi veritatem ignorasse, et cartesianis philosophis detegendam post tot sæcula Deum reliquisse. Quapropter

(1) *Syst. Theol.*, núm. 49.

ipsa sua novitate, cartesianorum commentum convellitur.

Secundo, si species panis et vini, nihil sunt aliud quam sensationes in nobis a Deo productæ; ergo non adsunt dum non sentiuntur: ac proinde, dum sacræ formæ asservantur in tabernaculo, nihil ibi manet visibile aut palpabile.

Tertio, in ea hypothesi, sensus falluntur necessario et inevitabiliter circa objectum proprium et immediatum, seu sensibile per se, prout est color respectu visus, sapor respectu gustus, etc.

Quarto, ea hypothesis indefinite miracula multiplicat, cum ex ea necessario sequatur, Deum cogi operari miraculose toties quoties sacramentum sensibus offertur; immo tot miracula, quot homines sensibiliter percipiunt, et quot sensationes quisque hominum elicit. Contra vero, nostra thesi admissa, nulla adest necessitas ponendi ejusmodi infinita fere miracula. Semel enim ac concedatur, quod quantitas cum reliquis accidentibus quæ, ea media, substantiam afficiunt, sine substantia panis et vini conservetur a Deo, jam nullum aliud exquiritur miraculum ad hoc ut hostiam videre, tangere, sapidam experiri, etc. possimus, sed hæc omnia naturaliter consequuntur ex primo illo ac unico miraculo. Ergo philosopho christiano, si non certum omnino, saltem probabilius est habendum, accidentia aliqua posse existere separata a subjecto per virtutem divinam, atque cum eximio Suarez concludo, quod «supposito mysterio fidei, longe probabilius est, posse etiam qualitates realiter a substantia et quantitate distinctas conservari sine inhærentia actuali. Unde de omnibus accidentibus realiter a substantia et inter se distinctis, pro certo supponimus, actualem inhærentiam non esse essentiam eorum.» (1)

---

(1) *Metaphys.* Disp. 37, sect. 2.ª

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. adversus 1.am thesim Accidentia nequeunt a substantia realiter distingui, nisi ipsorum propria entitas sit alia ab entitate substantiæ; atqui entitas accidentalis alia non est a substantiali: ergo. Prob. min. Si accidentia propriam ac distinctam entitatem habent, accidentia ejusmodi per creationem producerentur, quod est absurdum: ergo. Prob. ant. Produci nequeunt per generationem, quia hæc terminatur ad substantiam: ergo per solam creationem.

Resp. Neg. min. Ad prob. neg. ant. Ad cujus prob. neg. cons. Accidentia enim, neque per generationem, nec per creationem proprie producuntur; quia hujusmodi actiones ad solas substantias per se terminantur, ad accidentia vero, non nisi accidentaliter, vel potius *concomitanter;* quatenus, scilicet, dum creatur, v. gr. homo, non *sine* accidentibus, sed *cum* accidentibus creatur. Ast, dum *sola* accidentia de novo producuntur, ut dum corpus ex quadrato fit rotundum, aut actu movetur, hæc productio fit per actionem sui generis, quam veteres *eductionem ex potentia subjecti*, non incongrue appellabant; cum nihil sit aliud quam actio causæ secundæ, quatenus vim suam applicat et exerit in subjectum determinatum, ipsum realiter immutando per productionem diminutæ entitatis seu modi, non quidem ex nihilo, sed ex ipsomet substantiali subjecto, in quo virtualiter seu potentialiter præcontinebantur. Corpus enim quadratum, ex. gr. ex seipso ac ex propria natura, aptitudinem seu *potentiam* habet ad rotunditatem recipiendam; quæ aptitudo seu potentia, ad actum secundum reducitur per

actionem agentis creatis seu finiti, quin nulla creatione opus sit. (1)

Instabis: Accidentia a substantia realiter distincta, non sunt nec corpora, nec spiritus: ergo nihil sunt in seipsis.

Resp. Neg. cons. Corpus et spiritus, significant genera determinata, vel species substantiæ. Quapropter inferre ex hoc, quod nihil sint, idem est ac si quis diceret: *accidentia non sunt substantiæ: ergo nihil sunt*, quod palmariam continet petitionem principii. Itaque accidentia, *quia* sunt accidentia, non sunt substantiæ, ac proinde nec corpus, nec spiritus, quæ sunt nomina substantiarum. Sunt tamen aliquid reale, seu veræ entitates, quæ dici queunt corporeæ, vel spirituales, juxta naturam subjecti cui inhærent, ita ut accidentia quæ corpora, *corporea*, quæ spiritum afficiunt, *spiritualia* dicantur.

Obj. 2.° adversus alteram thesim. Existere sine subjecto, repugnat essentiæ accidentis: ergo nec virtute divina conservari potest separatum a subjecto. Prob. ant. Esse in subjecto, essentialiter prædicatur de accidente, quippe quod definitur *ens in alio*, atque ut sæpe ait D. Thomas, *accidentis esse est inesse:* atqui in hypothesi thesis, daretur accidens quod non esset in subjecto: ergo.

---

(1) Merito igitur Leibnitz, Bayle argumentum hocce objicienti, respondet: «Pour ce qui est de la création des accidens, ¿qui ne voit, qu'on n'a besoin d' aucune puissance créatrice pour changer de place ou de figure... non plus que pour former une statue, en ôtant quelques morceaux d' un bloc de marbre; ou pour faire quelque figure en relief, en changeant, diminuant ou augmentant un morceau de cire? La production des modifications n'a jamais été appelleé *creation*, et c'est abuser des termes, que d' en épouvanter le monde. Dieu produit des substances de rien, et les substances produisent des accidens par les changements de leurs limites.» *Essai de Theod.* núm. 395.

Res. Neg. ant. Ad prob. dist. maj. Esse in subjecto *per inhærentiam actualem*, essentialiter, etc. neg. *per inhærentiam aptitudinalem*, conc. Cum actualis existentia de nulla re creata essentialiter, sed tantum accidentaliter seu contingenter prædicetur, actus ipse existendi in se, vel in alio, conceptum essentialem, nec substantiæ, nec accidentis constituit. Quin potius ac primario, substantia et accidens in creatis constituuntur et distinguuntur essentialiter, quatenus substantia est quidditas vel natura quæ petit et cui debetur existere in se; accidens e contra, quidditas cui debetur existere in alio. Ex quo merito infert D. Thomas, accidentia eucharistica, ex actuali separatione per virtutem divinam, non amittere rationem accidentium, quia adhuc de eis vere affirmari potest, quod sunt quidditates, vel entia, quibus debetur, et quæ exigunt esse in subjecto. (1) Hæc porro solutio maximam obtinet vim apud eos, qui cum D. Thoma docent, existentiam realiter distingui ab essentia in rebus creatis; quippe hac doctrina semel admissa, facile concipitur, essentiam accidentis minime destrui ex eo quod actu non sit in subjecto: unde vere dici posset, argumentum hocce solum eos premere, qui ab ista D. Thomæ doctrina recedunt.

Instabis: Atqui accidentia concipi nequeunt, nisi cum inhærentia actuali: ergo. Prob. min. Sensationes, volitiones, etc. sunt accidentia; atqui hæc concipi nequeunt

---

(1) En verba angelici Doctoris: «Cum ens non sit genus, hoc ipsum quod est esse (sive existere) non potest esse essentia substantiæ, vel accidentis. Non est ergo definitio substantiæ *ens per se sine subjecto;* nec definitio accidentis, *ens in subjecto:* sed quidditati seu essentiæ substantiæ competit habere esse non in subjecto; quidditati autem sive essentiæ accidentis competit habere esse in subjecto. In hoc autem Sacramento, (Eucharistiæ) non datur accidentibus quod ex vi suæ essentiæ non sint in subjecto, sed ex divina virtute sustentante: et ideo non desinunt esse accidentia.» *Sum. Theol.* 1.ª P. q. 77, art. 1.° ad 2.m

sine actuali inhærentia; absurda quippe existit sensatio sine subjecto sentiente, sicut volitio sine volente: ergo.

Resp. Dist. min. Accidentia *omnia* nequeunt, etc. conc. *aliqua*, neg. Et ad prob. neg. cons. Sicut ex eo quod spiritualis substantia simplicitatem habet, immerito et inepte quis colligeret, lapidem, qui etiam est substantia, simplicitate donari, ita non absimiliter, ineptum prorsus est inferre, cunctis accidentibus essentialem esse inhærentiam actualem, ex eo quod ipsorum quædam sine hac inhærentia esse nequeant. Enimvero, ejusmodi inhærentia actualis necessaria oriri potest, non ex ratione generica accidentis, sed ex conditione specifica, vel ex propria natura hujus aut illius accidentis; sicut simplicitas non congruit substantiæ ex eo præcise quod sit substantia, sed ex eo quod sit talis substantia, v. g. spiritualis. Sensationes ergo et volitiones, similesque actus separari nequeunt a substantia; quia ratione propriæ et specificæ naturæ, exigunt actualem influxum substantiæ a qua oriuntur; quoniam operationes vitales, eo ipso quod sunt *vitales*, necessario exigunt et supponunt vitam. Quod quidem ipsum, de relationibus, ac fortasse quibusdam aliis accidentibus, quorum conditionem et numerum determinare perdifficile existimo, accommodari potest. Quam ob rem thesis ejusque probationes, *aliqua* solum accidentia complectuntur.

Objic. 3.° et simul instabis. Accidentia sunt entia relativa; atqui relativa nec existere, nec concipi possunt sine absoluto, quod est ipsum subjectum quod afficitur et denominatur relatione: ergo nullum accidens sine subjecto existere potest.

Resp. Dist. maj. Accidentia sunt entia relativa, *relatione prædicamentali*, neg. *relatione transcendentali*, conc. Cum dicitur quod accidentia sunt quid relativum, non intelligitur profecto quod sint relationes prædicamenta-

les, sive relationes proprie sumptæ, prout relatio genus speciale accidentis constituit, nisi velimus dicere quod ens dividitur in duo tantum prædicamenta, nempe, substantiam et relationem. Sed accidentia, eatenus relativa entia dicuntur, quatenus involvunt naturalem ordinem ad subjectum, ac dependentiam a substantia. Hic tamen ordo, utpote transcendentalis, nec est aliquid distinctum ab ipso accidenti, nec impedit quominus habeat propriam et absolutam entitatem ab entitate substantiæ distinctam: sicut creatæ substantiæ, quamvis dicant necessarium ordinem ac essentialem dependentiam respectu Dei, idcirco tamen non desinunt esse veræ substantiæ, propriamque entitatem habent ab entitate Dei realiter distinctam.

Objic. 4.° cum Rotenflue. Accidentia, prout a subjecto separata, sunt entia rationis: ergo sine subjecto nulla ratione queunt existere. Prob. ant. «Modi isti in abstracto spectati, uti v. g. rotunditas, cogitatio, dolor, sunt solum, ut vocant, *entia rationis*, quæ prout concipiuntur sine subjecto rotundo, cogitante, vel dolente, existere non possunt:» ergo.

Resp. Neg. ant. Ad prob. dist. ant. Modi isti in abstracto, hoc est, *in universali* spectati sunt entia rationis, trans. si τὸ in abstracto, significet *separationem* accidentis determinati et singularis, a proprio et singulari subjecto cui inhærebat, neg. Equivocatio, vel potius sophisma latet in hocce argumento: etenim non solum accidentia et modi, sed ipsæ substantiæ, si in abstracto sumantur prout subsunt universalitati, sunt entia rationis, quatenus universalitas per intellectum rebus tribuitur. Sed sicut ex hoc non sequitur, substantias singulares non esse aliquid reale, ita nec ex eo quod accidentia in abstracto spectata sint entia rationis, minime sequitur, quod, si spectentur in singulari, a subjecto nequeant separari, dummodo ex illis accidentibus sint quæ enti-

tatem propriam et absolutam obtinent, ut quantitas et qualitatum magna pars. Cæterum, cogitatio et dolor separari nequeunt, quia actiones sunt vitales, ut jam dictum est. De rotunditate, concedimus quod *ipsa sola* separari nequeat a substantia; quia cum figura nihil sit aliud quam terminatio quantitatis, dum in substantia manet quantitas, manet et figura; at si quantitas ipsa separetur, prout contingit in Eucharistia, simul separatur figura, quia hæc immediate afficit quantitatem potius quam substantiam.

LIBER QUINTUS.

METAPHYSICA SPECIALIS.

Postquam de rebus disputavimus per notiones abstractas et universalissimas, superest, ut rectæ synthesis legibus insistentes, ad concretiora et particularia descendamus, eas ipsas notiones universaliores in Ontologia expositas, objectis determinatis applicando. Itaque, post generalem, specialem Metaphysicam aggredimur; quam commode in duas magnas partes seu sectiones dispesco, *Cosmologiam*, nempe, ac *Theodiceam;* quarum in priori, de mundo in genere; in altera, de Deo mundi auctore, agatur. Siquidem, *Psychologiam*, de qua hic plu-

rimi pertractant, nos extra scientias proprie metaphysicas collocamus; tum quia ejus objectum est homo prout coalescit ex anima et corpore, ac proinde prout constituit rem sensibili experientiæ obnoxiam; tum maxime quia abstractioni *a materia singulari*, potius quam abstractioni *a materia sensibili*, quæ ad scientias rigurose metaphysicas spectat, subjicitur.

METAPHYSICÆ SPECIALIS PARS PRIMA.

COSMOLOGIA.

Cosmologia, si vis nominis attendatur, nihil est aliud quam *scientia seu sermo de mundo*, atque hac ex parte definiri merito posset: *scientia mundi universim accepti*. Attamen, si nominis sensus et significatio ex usu inspiciantur, Cosmologia non de cunctis omnino creatis agit, sed de mundo adspectabili, prout collectionem rerum visibilium et corporearum complectitur. Igitur, cosmologicam tractationem quinque capitibus absolvemus, agentes in primo, *de mundo in genere;* in secundo, *de principiis corporum;* in tertio, *de existentia et essentia legum naturæ physicæ;* in quarto, *de præcipuis corporum affectionibus;* in quinto, *de corporibus organicis ac vita præditis.*

CAPUT PRIMUM.

DE MUNDO IN GENERE.

Quoniam mundi realis existentia, et communi hominum sensui, et ineluctabili sensuum testimonio innititur, in eadem adstruenda non immoramur, eo vel maxime quod ejusdem existentia et conditio, satis elucescent ex his quæ circa mundi distinctionem a Deo, originem, perfectionem ac finem disputaturi sumus. Itaque sit

ARTICULUS PRIMUS.

De distinctione mundi a Deo.

§ I.

Notiones prævіæ ac opiniones philosophorum.

Quia congressuri sumus in hoc capite cum pantheismo, qui error teterrimus hac nostra ætate late grassatur ac serpit, pro ejusdem tutiori oppugnatione notiones quasdam generales, ac philosophorum pantheismo adhærentium systemata, summatim oportet exponere; pro quo accipe sequentia:

1.° *Pantheismus*, ex vi nominis idem audit ac *Universum-Deus*, *Totum-Deus*, sive cuncta et universa sunt Deus. Ast vero, quia ad istam affirmationem, scientifice, ut ita dicam, devenitur per negationem distinctionis realis inter substantias, consequentemque affirmationem *unius unicæ substantiæ;* hinc factum est, ut pantheismi nomine intelligatur communiter, systema quod asserit, omnia entia unicam constituere substantiam, seu potius unicum existere ens, cujus reliqua, quæ nobis apparent, sunt vel modi, vel phænomena, vel illusiones, vel manifestationes variæ aut evolutiones.

2.° Origo generalis pantheismi reponenda est in carentia vel perversione conceptus, vel ideæ creationis. Quicumque enim pantheismi naturam et genesim attentius inspiciat, statim agnoscet, sublata creatione substantiali, hoc est, sublata actione qua Deus *novam substantiam* ex nihilo producat, non aliam remanere posse veram substantiam, nisi divinam: ex quo necessario ac immediate consequitur, unicam substantiam existere posse; proindeque cuncta entia, quævis tandem illa sint, identificari realiter cum Dei substantia: ex quo plane exsurgit *Universum-Deus*, *Deus-mundus*, *Totum-Deus*, pantheistarum. Itaque, pantheismus omnis duo hæc complectitur, tanquam fundamentalia et essentialia dogmata: 1.° *unitatem substantiæ:* 2.° *negationem creationis;* (1) siquidem, sub quavis forma pantheismus proponatur, hisce duobus characteribus insignitur.

---

(1) Ad rem Gioberti: «Les caractères essentiels du panthéisme, peuvent donc se réduire à deux: 1.° unité de substance: 2.° exclusion de toute création substantielle... Les émanatistes admettent un simple développement de la substance unique; les idéalistes nient toute production réelle; parmi les réalistes, quelque-uns rejettent également toute production, parce qu'ils considèrent comme éternels les attributs et

3.° Quoniam vero, et communis hominum sensus, et ratio, et experientia, apertissime ac ineluctabili vi, nobis in mundo ostendunt varietatem, multiplicitatem, pluralitatem, ac diversitatem, pantheistæ coacti sunt varias inire vias, pro ejusmodi conciliandis cum unitate reali substantiæ. Et quidam quidem ajunt, materiam, res sensibiles, ac integrum mundum, ex divina substantia per emanationem profluere, ad eum fere modum, quo filamenta ex bombyce, aut telæ ex aranea procedunt. Alii adfirmant, res mundanas realitatem quamdam habere, realiterque a Deo distingui, non tamen tanquam substantia a substantia, sed tanquam modus a substantia, ad eum fere modum, quo figura a corpore figurato distinguitur.

Rigidiores tandem pantheistæ, res mundi mundumque integrum tanquam mera phænomena apparentia seu illusiones habent, omni vera realitate, a realitate Dei distincta, penitus destituta, ita ut unicam, eamque absolutam realitatem admittant, nempe, ens absolutum.

4.° Ergo cuncta pantheistarum systemata vel potius commenta, ad tria revocari possunt. Quandoquidem, vel mundi origo a Deo, exponitur per emanationem transeuntem mundi ac phænomenorum ejus ex divina substantia, ad sensum primo loco expositum; et tunc exurgit *pantheismus emanatista*. Systema hocce, ut plurimum, complectitur etiam *remanationem*, sive regressum ad divinam substantiam, ita ut res quæ primitus ex Dei substantia emanarunt, postea ad eamdem regrediantur, atque eisdem emanationes et remanationes aliæ in infinitum succedant. Quod si mundi origo

---

les modifications du monde; les autres admettent une création, non pas de substances, mais de modes, c'est-à-dire, de simples phénomènes.» *Consider. sur les doctrines de M. Cousin*, pag. 3.

exponatur secundo modo ex supra positis, per emanationem non transeuntem, sed potius *immanentem*, per quam divina substantia seipsam evolvens, producit spiritum et materiam, multiplices cogitationes et res extensas mundi, tanquam tot modificationes seu modos cogitationis et extensionis, quæ sunt attributa immanentia Dei; habetur tunc *pantheismus realista*. Pantheismus dicitur, quia unicam substantiam ponit: *realista* vero, quia entia mundana habet tanquam modificationes *reales* substantiæ divinæ. Denique, si origo mundi, per identitatem realem cum Deo exponatur, ita ut mundus nihil sit aliud quam Deus ipse infinitis modis seipsum ponens ac manifestans, absque ulla realitate, vel potius absque ulla distinctione reali hujusmodi modorum et positionum a substantia divina vel ente absoluto, erit tunc *pantheismus idealista;* qui ut consentaneus sibi ipsi sit, adstruit mundum cunctaque mundana, in seipsis et prout a Deo distincta, esse mera *phœnomena* aut *illusiones*.

Atque tria hæc systemata, sicut inter se omnia conveniunt in adstruenda unitate substantiæ, ita conveniunt in excludenda ac evertenda vera creatione. Nam pantheismi emanatistæ asseclæ, creationi substantiali ex nihilo, substituunt emanationem transeuntem ex divina substantia: pantheismus realista, eidem substituit productionem immanentem modorum vel modificationum substantiæ divinæ: pantheismus tandem idealista, non tantum creationem, sed omnem realem productionem excludit ac negat, nullam aliam realitatem admittens, præter esse absolutum, quod varie se revelat, ponit, et manifestat. Cæterum, quamvis universa pantheistarum systemata ad aliquod ex tribus relatis revocari possit, quatenus in unoquoque aliquod ex præfatis prædominatur, pantheistæ tamen non ita uni adhærent, ut pro variis rerum adjunctis et circumstan-

tiis, cetera non etiam adhibeant ac permixceant, eo vel maxime, quod pantheistis veluti peculiare ac usitatum sit, contradictoria simul amplecti et tueri.

5.° Atque ut divisionem istam ejusque fundamentum historice evolvamus, quamvis brevissime, inter pantheismi emanatistæ adseclas, præter quasdam Indorum sectas, ac præter non paucos e veteribus Gnosticis, qui rerum existentiam, originem, ac distinctionem, explicabant per emanationes succesivas ac decrescentes ex Dei substantia, idque sub nominibus ac formis magis aut minus symbolicis, connumerandi veniunt,

A) *Persæ*, qui symbolicis formis similiter utentes, docebant, res mundi ac entia omnia per *Ormuzd*, principium luminis et bonorum, ac per *Ahriman*, principium tenebrarum et malorum, ex principio primo, vel tempore infinito (*Zeruane Akerene*) universa emanasse.

B) *Stoici*, quorum systema, hac in parte, sequentibus continetur: 1.° Deus est principium activum mundi, non quidem ad modum causæ creantis, sed ad modum quo anima est principium quod vivificat et movet corpus: 2.° proinde mundus habendus est tanquam pars integralis atque substantialis Dei; ita ut Deus sit veluti anima universalis mundi, ipsum undequaque penetrans: 3.° mundus iste adspectabilis cum omnibus ejusdem entibus, viribus ac motibus, a Deo est inseparabilis, ex Deo continuo profluit, ac per Deum status diversos ac mutationes succesivas sortitur: 4.° Deus autem ipse nihil est aliud quam corpus subtilissimum, seu æther, (1) qui innata activitate præditus, dum mate-

---

(1) Cicero, qui proculdubio melius quam nos Stoicorum doctrinam noverat, hæc habet: «Cleanthus autem, qui Zenonem audivit, una cum eo quem proxime nominavi, tum ipsum mundum Deum dicit esse, tum totius naturæ menti atque animo tribuit hoc nomen; tum ultimum, et altissimum, atque undique circumfusum, et extremum

riam primam vel chaoticam evolvit ac explicat, efformat mundum, qui per universalem combustionem peribit, non quidem penitus, ita ut ad nihilum redigatur, sed per involutionem ac replicationem quamdam regrediendo ad illam materiam chaoticam ex qua emanarat. (1)

C) *Neoplatonici*, quorum pantheismus, saltem prout in Plotino continetur, partim *idealista*, partim *emanatista*, existit. Idealista merito dicendus est, quatenus universa revocat ac finaliter reducit ad unitatem et identitatem absolutam, ita ut, apud Plotinum, cognoscens et cognitum, subjectivum et objectivum, unum atque idem sint. Ex quo etiam infert, ultimam et altissimam philosophiæ perfectionem, in eo sitam esse, quod unitas absoluta per intuitionem immediatam percipiatur; (2) qua sane in re, systemati Schelling quodammodo prolusit. Sed tamen pantheismo emanatistæ simul accedit, dum statuit omnia emanare ex prima illa et absoluta unitate, cujus primævæ emanationes

---

omnia cingentem atque complexum ardorem, qui æther nominatur, certissimum Deum judicat.» *De Nat. Deor.* l. 1.° 14.

(1) Circa pantheismum Stoicorum, vid. Tennemann, *Manuel de l' Histoire de la Phil.* t. 1.° pag. 218, et Goschler, *Diction. encyclop. de la Theol. Cathol.* art. *Pantheisme*, ubi inter alia hæc habet: «Cette loi regit tout le développement dans son ascension et son progrés: elle va de l'imparfait au parfait, de la formation des elements à celle des corps inorganiques, de la production des plantes et des bêtes à la manifestation de la nature humaine, jusq'aux ames, qui sont des émanations pures, de purs ecoulements de l'ame divine du monde.»

(2) «Plotin, inquit Tennemann, part de ce principe, qu'il n'y a de philosophie possible qu'autant que la connaissance et la chose connue, le subjectif el l'objectif, sont ramenés à la identité. La fonction de la philosophie est de connaître l'unité, ce qui est le principe et l'essence de toutes choses, et de la connaitre en soi, non par l'entremise de la pensée ou de la reflexion, mais par un moyen bien superieur, par l'intuition immediate... Le but de sa philosophie, selon Porphyre; c'est l'union immediate avec l'être divin.» *Ibid*, pag. 286.

sunt *intelligentia* et *anima*, quæ, cum unitate, triadem plotinianam efformant et constituunt. (1)

D) *Cousin*, qui quidem philosophus, ut Neoplatonicorum doctrinam ecclecticam nostra ætate instauravit, ita etiam hujus systematis principiis insistens, ex parte unitatis substantiæ, quod est primum ex dogmatibus fundamentalibus pantheistarum, accedit ad Spinozismum, seu pantheismum realistam; at ex parte alterius dogmatis fundamentalis, pantheismo emanatistæ potius adhæret. Siquidem, quamvis ab emanationis nomine abstineat, ac mundi productionem ex creatione repetat ore tenus, hæc tamen cousiniana creatio, quoad sensum, vera est emanatio. Ex ejus quippe sententia, Deus, dum mundum creat, mundum non ex nihilo, sed ex seipso educit, ita ut sicut nostra substantia habet rationem materiæ respectu nostrarum actionum, ita Dei substantia habet rationem materiæ ex qua mundus educitur, dum creari dicitur. (2) Ex quo facile colligitur, creationem Cousin, nihil commune habere cum creatione philosophiæ christianæ; namque, ut patet ex dictis, in primis non ad substantiam, sed ad modos

---

(1) «En premier lieu, il en émane (ex unitate, vel uno absoluto) comme la lumière émane du soleil, quelque chose d'éternel qui, selon Plotin, est ce qu'il y a de plus parfait: c'est l'intelligence absolue, qui contemple l'unité, et qui n'a besoin que d'elle seule pour être. De l'intelligence émane à son tour l'ame du monde. Tels sont les trois principes de toute existence réelle, et ils ont eux-mêmes leur principe dans l'unité: c'est la trinité de Plotin.» Tennemann, *Loc. cit.* pag. 288.

(2) En ejus verba ex gallico sermone ad patrium versa: «Nosotros creamos de la nada, en el sentido de que la materia de nuestra accion no está fuera de nosotros; y no creamos de la nada, en cuanto que creamos (al poner alguna accion) con el fondo mismo de nuestro sér... La creacion divina es de la misma naturaleza. Dios, al crear al universo, no lo saca de la nada, que no existe, que no puede existir y que no es mas que una pura palabra: lo saca de sí mismo.» *Indrod. à l'Histoire de la Phil.* lec. 5.ª pag. 101, edit. 4.ª

seu phænomena terminatur: deinde, non est productio ex nihilo, sed ex substantia divina: tertio, non libere, sed necessario a Deo fit, ut mox dicemus.

6.° Inter eos qui pantheismo realistico adhæserunt, merito ac tanquam præcipui nominis numerantur:

A) *Spinoza*, cujus systema sequentibus summatim continetur: 1.° cum nihil existere possit, quod non sit, vel substantia, vel substantiæ modus; cumque modus sine substantia, nec concipi, nec existere queat, ponenda est in rerum natura substantia aliqua necessaria et æterna, quæ existat non solum *in se*, sed *per se*, seu independenter a quovis alio ente: 2.° hujusmodi substantia est omnimode infinita, quia nec a se, nec ab alio, limitari potest, atque proinde complectitur omnes perfectiones, realitates ac modos entium, secus enim non esset omnimode infinita: 3.° hæc porro substantia, utpote infinita et omnes realitates in se continens, unica existit, ac Deus nominatur, cujus essentialia attributa sunt *cogitatio* et *extensio:* 4.° ergo res omnes, quas in mundo cernimus, seu quidquid existit, in Deo existit, extra quem nihil cogitari aut esse potest, non solum propter ejus infinitatem, sed etiam quia repugnat substantiam a substantia produci: 5.° ergo omnia entia finita nihil sunt nisi modi, vel modificationes substantiæ divinæ, ratione duorum attributorum ipsi essentialium: 6.° ergo spiritus seu animæ cum suis cogitationibus, volitionibus, etc. sunt meræ modificationes substantiæ divinæ, quatenus *cogitantis:* corpora vero, sunt modificationes ejusdem quatenus *extensæ:* 7.° ergo Deus et mundus unicam substantiam efficiunt vel constituunt. (1)

---

(1) Ut intuenti facile patet, Spinozæ theoria, tota quanta est, innititur præposteræ notioni substantiæ, quam ex Cartesio hausit; atque hinc non immerito affirmarunt quidam, Spinozæ pantheismum ex car-

B) *Cousin*, qui, ut supra jam innuimus, sicut ex parte modi, quo mundus producitur ad pantheismum emanationis accedit, ita ex parte primi dogmatis fundamentalis pantheismi, sive unitatis substantiæ, pantheismo realistæ adhæret, Spinozæ vestigiis insistens. Ejus porro theoria in hac parte, hisce continetur: 1.° substantia est illud quod nihil extra se supponit relate ad existentiam: (1) 2.° hæc igitur substantia non potest esse nisi

---

tesianismo profluxisse. Audiatur hac in re Goschler: «On a dit que Descartes est le père de la philosophie moderne. Si celle-ci est pantheiste, il faut que le pantheisme ressorte des principes cartesiens. Non pas que Descartes voulut ou previt les fruits que porterait sa doctrine: mais ayant posé les principes, n' est-il pas responsable des consequences logiques qui s'en deduisent rigoureusement? Descartes trouva, dans le pays même où furent écrits et repandus d' abord ses ouvrages, un disciple hardi et consequent, qui voulut et sut imperturbablement tirer des données du maître le système qu'elles renfermaient. On sait que Spinoza commença sa carrière philosophique par l' exposition de la doctrine cartesienne: il en adopta la méthode, les principes, le langage, la demonstration mathématique; il acheva l' œuvre commencée...

»Le moi, substance pensante, tel fut le principe de la philosophie cartesienne. Ce fut aussi celui du spinosisme. Partant tous deux de la subjectivité de l' être pensant, qui n' admet comme certain que ce qui est evident à la raison, juge souverain et infaillible de la verité, tous deux partent de la même definition de la substance, ou plutot Spinoza s'empare de la definition de Descartes, en logicien sévère, digne du maître. Celui-ci avait dit: *La substance est ce qui n'a besoin que de soi-même pour exister*. Celui-là conclut: Donc tout ce qui n'est pas de soi et par soi, n'est pas substance; donc tous les êtres finis, ayant besoin de l'Etre createur pour exister, ne peuvent être conçus que comme de simples attributs de la substance unique ou de l'Etre divin, qui seul existe independamment de toute autre chose. Le maître avait dit: Les seules idées ou categories sous lesquelles nous pouvons concevoir les existences sont la *pensée* et l' *etendue*. Donc, conclut le disciple, les seules modifications possibles de la substance son la pensée et l'etendue.» *Loc. supra cit.*

(1) «La sustancia es aquello que no supone nada fuera de si relativamente á la existencia.» *Fragments philos.* t. 1.°, pág. 312, edit. 3.ª Ubi vides, Cousin ad pantheismum construendum procedere ex definitione substantiæ, ex Spinoza et Cartesio, quem ducem ac magistrum sæpesæpius prædicat, desumpta.

unica, infinita, et absoluta, nempe, Deus; ac proinde substantiæ finitæ potius sunt phænomena ac entia relativa, quam veræ substantiæ: (1) 3.° ergo Deus est ens unicum et absolutum, et simul substantia universalis continens in se *ego* et *non ego*, hoc est, hominem et mundum, spiritum et materiam; ac proinde est unum quoad substantiam, et plura seu multiplex quoad phænomena: (2) 4.° ergo Deus sive substantia divina, utpote unica vera substantia, est simul infinitus et finitus, unus et plura, æternitas et tempus; uno verbo: Deus, vel est nihil, vel est omnia quoad substantiam. (3) Itaque pantheismus Cousin, hac ex parte, a pantheismo Spinozæ, quoad verba solum differt, quatenus, nempe, id quod Spinoza nominat *cogitationem* et *extensionem*, Cousin nominat, *ego* et *non ego*, et quandoque *humanitatem* et *naturam*.

7.° Pantheismum idealistam professi sunt quædam Indorum sectæ philosophicæ, inter quas eminet

A) *Bouddhistarum* schola, quæ, si fides Tholuck in opere quod inscribitur *Sufismus*, docebat: 1.° solum Brahma, vel Deum vere existere, ita ut mundus mundanaque omnia, seu potius ea quæ in mundo esse nobis

---

(1) « No puede haber mas que una sustancia.» «Una sustancia absoluta, debe ser única para ser absoluta... Las sustancias relativas destruyen la idea misma de sustancia; y sustancias finitas que suponen fuera de ellas otra sustancia con la cual se ligan, se parecen mucho á fenómenos.» « El círculo es infinito; ó no hay sustancia ó no hay mas que una.» *Ibid.* pág. 63 et 312.

(2) « Dios es el sér único y universal.» «Dios es la sustancia universal.» « El ser absoluto, conteniendo en su seno el *yo* y el *no yo* finito, y formando, por decirlo así, el fondo idéntico de todas las cosas, uno y muchos á la vez; uno por la sustancia, muchos por los fenómenos, se aparece á sí mismo en la conciencia humana.» *Cours de* 1818, pág. 55, 274 et 390.

(3) «Es un Dios... uno y muchos, eternidad y tiempo... infinito y finito al mismo tiempo, triple, en fin, es decir, á un mismo tiempo Dios, naturaleza y humanidad. En efecto, si Dios no es todo, es nada.» *Fragments phil.* loc. cit. pag. 76.

videtur, nihil esse in seipsis, nisi puras illusiones: 2.° ex quo colligebant, omnia esse unum unitate adeo perfecta et absoluta, ut nullum detur discrimen nec etiam inter cognoscens et cognitum, nulla demum, vel minima dualitas realis. (1)

B) *Plotinus*, qui ad pantheismum idealistam proculdubio satis accedit, dum docet, τὸ *Unum* sive Deum, quod bonum ac perfectionem absolutam in se continet, ita esse perfecte unum, ut nullum accidens nec modificationem contineat, nullam qualitatem, vel quantitatem; et tamen simul sit infinite magnum, et infinite parvum. Ex quo conjicere licet, Plotinum rejecisse non modo pluralitatem substantiarum, quod commune est cuilibet pantheismo, sed pluralitatem ac realitatem quoque accidentium seu modificationum, quod proprium est pantheismi idealistæ. (2)

C) *Fichte*, qui idealismum transcendentalem Kant evolvens, in pantheismum subjectivum transformavit,

---

(1) «His remotis impedimentis, id, quod summum est perficias... Tum, mihi crede, dignaberis appulsu divino, et omne tolletur cognitum inter et cognoscentem discrimen.» *Toluck, opere cit.* pag. 141 et seqq. Ubi etiam subjungitur: «Noscat cujus animus dubitationibus excruciatur, essentiam non esse nisi unicam; nam Deus solus, qui occultus occultans simul atque præsens est, ille solus egoitate dignus, cujus ad latus dualitas nulla; nec ego, nec tu, nec nos existit; siquidem cum in unitate distinctio nulla præbeatur, ego, nos, tu et ille, idem sunt.»

(2) Plotini mentem de re hac sic exponit Tennemann: «L'unité primitive n'est point une chose, mais le principe de toutes choses, le bien et la perfection absolue... elle n'a ni quantité, ni qualité, ni raison ni âme; elle n'est ni en mouvement ni en repos, ni dans l'espace ni dans le temps... c'est l'être pur sans aucun accident, dont on peut concevoir l'idée en songeant qu'il se suffit constamment à lui-même... l'infiniment petit, et en même temps, par sa puissance, l'infiniment grand, le centre comun de toutes choses, le *Bien, Dieu.*

L'unité est aussi représentée (apud Plotinum) comme la lumière primitive, la lumière pure, de laquelle découle incessamment un cercle lumineux: elle possède la vision et la science de soi-même, mais sans dualité de termes; elle est à la fois la pure virtualité et l'essence de tout ce qui est.» *Manuel cit.* t. 1.° pag. 287.

qui ad sequentia capita summatim revocari potest: 1.° principium absolutum et primum scientiæ est judicium illud: $A=A$, cui subrogari potest, *ego=ego:* 2.° quia vero judicare est agere, τὸ *ego*, dum hoc principium affirmat, *ponit* seipsum modo absoluto per actum spontaneitatis primitivæ et sibi essentialis: 3.° postquam vero *ego purum* seipsum ponit absolute, acquirit conscientiam sui *per reflexionem*, fitque vel ponit se tanquam *subjectum*, ac deinde tanquam *objectum* seu tanquam *non-ego:* 4.° ex quo infertur, quod tam *ego-subjectum*, hoc est, anima, vel cogitatio hujus hominis, quam *ego-objectum* sive *non-ego*, hoc est, id quod mundum vocamus, nihil sunt aliud quam variæ manifestationes τὸ *ego puri:* 5.° ergo *ego purum* est unica, vera, et absoluta realitas; reliqua vero omnia nullam habent realitatem, nisi quatenus cognoscuntur et affirmantur a τὸ *ego puro*, cum quo proinde cuncta realiter identificantur.

D) *Schelling:* sicut Fichte unicam et absolutam realitatem constituit in *ego puro*, ex cujus sinu profunditur mundus, tam quoad cognitionem, quam quoad realitatem, ita ut mundus non aliam realitatem habeat præter eam quam accipit dum per τὸ ego cognoscitur, ita Schelling unicam et absolutam realitatem constituere voluit in re aliqua superiori, tam respectu *ego*, vel subjecti cogitantis, quam respectu mundi, vel objecti cogitati. Itaque, apud Schelling: 1.° Deus seu potius ens absolutum, est realitas continens ac identificans omnia in se: 2.° quapropter *Absolutum* excludit omnem oppositionem, differentiam aut diversitatem, ita ut sit simul spiritus et materia, subjectivum et objectivum, esse et cognoscere, finitum et infinitum: (1) 3.° unde ordo realis et idea-

(1) Tennemann, qui dubio procul Schelling mentem melius aliis poterat dignoscere et assequi, utpote ipsi patria cognatus, ac coævus, systema schellingianum sic describit: « L' absolu n'est ni infini, ni fini,

lis, unum et plura, mundus et ego, universa confunduntur et identificantur in *Absoluto:* imo etiam, solum hoc absolutum vere ac realiter existit; nam entia quæ finita vocamus, extra absolutum hocce realitatem nullam obtinent, ac nihil sunt in seipsis (1).

E) *Hegel*, qui initio Schelling insistens vestigiis, ea quæ magister *Absoluto* tribuit, ad *Ideam* transtulit; postea vero, subtilissima ratione dialectica seu potius sophistica utens, pantheismum idealistam ita evolvit, ut eum perduxerit ad ultimum gradum, externamque perfectionem, si ita loqui fas est, ut mox dicemus.

8.° Corollaria præcipua ac veluti universalia pantheismi, sunt: 1.° negatio distinctionis essentialis inter bonum et malum morale: 2.° negatio libertatis humanæ, seu potius fatalismus universalis. Et quidem, semel constituta, tanquam principio, et admissa identitate substantiali Dei et mundi, actiones omnes et effectiones quæ in mundo peraguntur, divinæ necessario existunt, ac proinde bonæ, eo vel maxime, quod ejusmodi actiones et affectiones, apud pantheistas, non libere, sed motu spontaneo et necessario emanant ex substantia divina; illud autem quod ex substantia Dei profluit, proculdubio bonum est ac legitimum, utpote Divinitati consentaneum, nec ex hominis voluntate ac

---

ni être, ni connaître, ni sujet, ni objet: c'est ce en quoi se confondent et disparaissent toute opposition, toute diversité, toute séparation, comme celle de sujet et d' objet, de savoir et d'être, d'esprit et de nature, d' ideal et de réel... C'est l'absolue identité de l' ideal et du réel, l' absolue indifference, du different, de l' unité et de la pluralité; c'est *l'un* qui est en même temps le tout. *Manuel cit.* t. 2.°, pag. 290.

(1) «L' absolue identité est, et hors d' elle il n'est réellement rien; par consequent, rien de fini n'existe en soi. Tout ce qui est est l'identité absolue et son développement... Il n' existe qu'un seul être identique... Le fini, produit d' une reflexion toute relative par sa nature, n'a qu'une realité apparente.» *Ibid.* pag. 291 et 92.

potestate pendet. Cuncta ergo quæ in mundo et homine eveniunt, et eveniunt independenter ab hominis voluntate et potestate, et universa æque bona ac legitima existunt; sunt enim, vel modi, vel mere manifestationes seu evolutiones necessariæ Dei. Atque huic rei adstipulatur etiam ipsa philosophiæ historia, quæ testatur, pantheismi scholas præcipuas, præfatos errores satis aperte docuisse. (1)

---

(1) Qua in re, ut Stoicos prætermittamus, qui cuncta *fato* subjicientes, proclamarunt *fatalem vim et necessitatem rerum futurarum*, ut habet Cicero, commemorare sufficiat brevitatis gratia :

1.° *Pantheismum Indorum :* «Nulla actio e nobis venit : ¿quid igitur malum, quid bonum ? Deus est bonum et malum, complectitur contraria omnia. Apud sapientes, qui unitatem suam cum Deo cognoverunt, malum et bonum Deus fit. » Jasche, *Le Pantheisme dans ses form. princ.*, etc., t. 2.°, pag. 333. Nempe, præfata verba desumumtur apud Jasche ex libris Indorum.

2.° *Pantheismus Neoplatonicorum vel Plotini :* «Dans le monde, tout est nécessaire, tout est l' œuvre d' une production nécessaire, et d' un principe qui n' est séparé d' aucun de ses produits. Toutes les choses dépendent les unes des autres par un commun enchaînement, (déterminisme universel, dont l' unité est la seule excepcion, plus apparente encore que réelle.) De cette liaison des choses se tire la magie naturelle et la divination... Cela le conduit à un optimisme et un fatalisme contraires à la moralité.» Tennemann, *Manuel de l' Histoir. de la Phil.*, t. 1.°, pag. 294.

3.° *Pantheismus Spinozæ :* Ipsemet enim scribit, «a summa Dei potentia sive infinita natura, infinita infinitis modis, hoc est, omnia, necessario effluxisse, vel semper eadem necessitate sequi.» *Ethices*, p. 53, edit. Jen. Et postea subjungit : «Sicuti ex necessitate divinæ naturæ sequitur, ut Deus infinita infinitis modis agat.» *Ibid.*, p. 79. El alibi: «Bonum et malum quod attinet, nihil etiam positivum in rebus, in se, scilicet, consideratis, indicant, nec aliud sunt quam cogitandi modus seu notiones.»

4.° *Pantheismus Fichte :* Etenim Fichte, utpote rigidiori pantheismo idealistæ insistens, nullam realitatem præter esse divinum agnoscit, sed mundum universum reducit, ut ait Tennemann, ad puram illusionem phænomenalem, (un enchainement de pures illusions phénomènales) ex quo proculdubio necessario disparet quævis realis distinctio inter bonum et malum. Immo etiam, hæc ipsæ illusiones phænomenales, ne-

§ II.

De pantheismo hegeliano.

Diximus supra, Hegel perfecta adeo ratione dialectica pantheismum idealistam evolvisse, ut eum quodammodo perduxerit ad ultimum gradum ultimamque perfectionem; unde Hegelianismus, non immerito habetur tanquam universi pantheismi apogæum, ultra quem progredi nequeat humana ratio, dum pantheistice procedit. Quamobrem, systema hocce aliquantulum fusius ac speciatim oportet exponere; tum quia coævi pantheistæ nihil aliud sunt quam plagiarii magis aut minus larvati pantheismi hegeliani; tum quia systema hocce nobis aperte revelat paradoxa et absurda quæ in sinu pantheismi latent; tum maxime quia melior, aptior ac vehementior pantheismi cujuslibet confutatio, est ob

---

cessario ac indefinite emergunt ex activitate infinita et essentiali, qua donatur *ego* absolutum seu purum. «Le *moi* absolu est essentiellement et infiniment actif: cette activité n' est qu' unt perpétuel besoin, *le moi*, se lance dans un mouvement illimité.» Tennemann, *Ibid.*, t. 2.°, pag. 271.

5.° *Pantheismus Schelling:* «L' histoire, dans sa totalité, est (juxta systema schellingianum) une révelation de Dieu qui se développe sans cesse progresisivement... En effet, ce qui domine dans ce système, c' est une destinée aveugle, une nécessité de nature; il faut que Dieu se revèle; l' histoire tout entière, tous les changements qui s' opèrent dans le monde, ne sont que les modifications de son être.» Tennemann. *Ibid.*, pag. 295 et 297.

Nihil hic dicimus de pantheismo Hegel, de quo postea speciatim agemus.

oculos ponere paradoxa et impia, quæ ex eo necessario colliguntur et derivantur, dum ad severioris Logicæ regulas evolvitur, atque ad ultima consectaria perducitur. Hegelianum porro systema hisce summatim continetur:

a) Scientia transcendentalis posita est in cognitione *Ideæ*, in qua continetur realitas absoluta et infinita, et quæ proinde cum Deo realiter identificatur.

b) Quoniam vero ad Logicam spectat ideam cognoscere, colligitur exinde *Logicam* constituere scientiam absolutam et transcendentalem; cogitando enim sive cognoscendo *Ideam*, omnia et omnibus modis quibus sunt, cognoscimus, ac proinde ad scientiam transcendentalem pervenimus.

c) In hujusmodi *Logica* seu scientia transcendentali *tria momenta* assignare oportet: 1.° *momentum abstractum*, in quo cogitatio vel mens percipit et affirmat existentias reales, quatenus distinctas, minime percipiendo earum identitatem: 2.° *momentum dialecticum*, in quo cogitatio percipit et affirmat existentias vel res quas in priori momento ut positivas et distinctas percepit, esse negationes ejus quod antea perceperat, hoc est, revera nihil esse in seipsis, sive æquivalere suis oppositis: (1) 3.° *momentum speculativum*, in quo percipimus et affirmamus, existentias reales et positivas identificari cum suis oppositis sive cum nihilo, in unitate primitiva et absoluta. (2)

---

(1) «Le degré *dialectique*, au contraire, consiste à enlever toutes ces déterminations finies et à les transformer en leur contraires.» Hegel, *opp.*, t. 6.°, pag. 151 cit. et trad. apud Gratry, *Logique*, t. 1.°, pag. 205.

« La dialectique ou raison négative, subdit Hegel, est ce moment de la pensée qui montre chaque détermination finie comme étant ce qu' elle est en effet, c' est-à-dire sa propre négation. » *Ibid.*, pag. 152.

(2) « En fin le troisième moment, *moment spéculatif ou positivement*

d) Ergo cogitatio scientiam transcendentalem seu veritatem absolutam adipiscitur, progrediendo per tres gradus succesivos, qui respondent tribus momentis præfatis, et ex quibus exurgit veluti triplex Logica, scilicet: 1.° Logica *intellectus*, quæ respondet momento *abstracto*, et cujus propria formula est ista: *ens existit, et nihilum non existit:* 2.° Logica *rationis negativæ*, quæ respondet momento *dialectico*, et cujus hæc habetur formula: *ens non existit, et nihilum existit:* 3.° Logica *rationis positivæ*, quæ respondet momento *speculativo*, et cujus hæc est propria formula: *ens est et non est... nihilum non est et simul est.* Aliis verbis: cogitatio in primo momento, procedit per *synthesim primitivam*, videndo identitatem: in secundo, per *analysim* synthesis primitivæ, videndo non identitatem entis identici prius percepti: in tertio, per *synthesim* scientificam ac consequentem post analysim, videndo identitatem realem et originariam identici et non identici, hoc est, entis et nihili, affirmationis et negationis.

e) Itaque, Logica seu vera scientia transcendentalis tunc habetur, quando quis cognoscit et affirmat, ens vel *Ideam*, esse identitatem omnium rerum, ita ut una et eadem res sint lumen et tenebræ, (1) res et ejus oppositum sive affirmatio et negatio, (2) Deus et homo, (3)

---

rationnel, est celui qui saisit l'unité des déterminations et de leurs contraires.» *Opp. cit.*, t. 6.°, pag. 157. Et alibi subjungit: «La plus haute forme de la pensée platonicienne, c'est l'identité de l'être et du non être.» *Ibid.*, t. 14.°, pag. 212.

(1) «La lumière pure, c'est la nuit pure.» *Opp. cit.*, t. 6.°, p. 76.

(2) «Les contraires coexistent en soi. Dans le fait, il n'y a jamais de *oui* ou *non* si absolu, comme le soutient la raison vulgaire.» *Ibid.*, pag. 242.

(3) Dieu n'est Dieu qu'en tant qu'il se connait; la connaissance qu'il a de lui-même, c'est la conscience qu'il a de lui dans l'homme.» *Ibid.*, t. 7.°, pag. 448.

positivum et negativum, error et veritas, (1) ideale et reale, finitum et infinitum, anima et corpus; (2) uno verbo: ens et non ens, ac proinde identitas contradictionis: apud Hegel enim, ens et nihilum, sunt una et eadem res. (3)

f) Deus non est concipiendus, tanquam ens purum et absolutum, nec tanquam suprema realitas omnem limitationem et negationem excludens, prout theologi et methaphysici hucusque existimarunt, sed potius concipiendus est tanquam *pura abstractio* et *absolutum negativum*, cujus completa ac vera definitio est quod com-

---

(1) «On croit qu' il y a une difference absolue entre le positif et le négatif. Non, les deux sont en eux-mêmes la même chose, et l' on pourrait nommer positif le négatif, et reciproquement.» *Ibid.*, t. 6.°, pag. 240. «L' ideé, en se développant, pose en face d' elle-même son contraire, une illusion, et son activité consiste à enlever cette illusion. La verité ne peut sortir que de cette erreur... L' erreur, en tant qu' absorbé, est un moment nécessaire de la verité.» *Ibid.*, pag. 384.

Atque hic obiter nota, in hac doctrina hegeliana, reperiri fundamentum theoriæ illius ab Ecclectismo moderno excogitatæ circa veritatem, juxta quam error nihil est aliud quam veritatis aspectus quidam, sive veritas incompleta.

(2) «Car l' ideé est l' unité de l' ideal et du réel, du fini, et de l' infini, de l' âme et du corps.» *Ibid.*, 388.

(3) Quod si quis existimet, nos exaggerationi indulgere, dum affirmamus, contradictionis extrema sive ens et nihilum identificari, apud Hegel, sciat, ipsum non semel expressis verbis dicere *ens et nihilum eamdem rem esse*, ut ostendit citatus Gratry, ipsius verbis ad litteram productis. Nobis sufficiat in medium proferre verba hæc Hegel: « Le Néant, en tant que Néant, en tant que semblable a lui-même, est précisément la même chose que l' Etre.» *Opp. cit.*, t. 6.°, pág. 171. Hoc est: «nihilum, quatenus nihilum, quatenus sibi ipsi simile, est præcise eadem res ac ens.» En doctrinam certe *novam*, quam detegere et adinvenire reservatum fuit post tot sæcula, Hegel, qui nihilominus, vel potius *idcirco*, magnus philosophus nuncupatur, tum ab his qui ad absurda veluti nati, paradoxa solum amant, tum ab aliis quibusdam, qui hegelianam *Ideam* non sine strepitu proclamant et docere conantur, dum fortasse nesciunt quid sit et quo ducat ejusmodi *Idea*.

plectatur, sive *includat in se simul ens et nihilum.* (1)

g) Deus ergo est quidem ens absolutum, ac unica existentia realis et substantialis; attamen ejus esse non est esse fixum, definitum, aut immutabile, (n'est rien de fixe ni de définitif), sed continuo veluti transformatur ac progreditur, induendo et exuendo varias formas et manifestationes.

h) Unde vita Dei, constituitur et exsurgit ex motu dialectico sive evolutione logica *Ideæ;* quæ quidem vitalis et logica Dei evolutio, tribus præcipuis *momentis* continetur. Horum in primo, Deus existit quodammodo in se involutus ac implicitus, tanquam unitas et identitas absoluta omnium, sed absque ulla suipsius *objectivatione* (venia sit verbo) et conscientia: in altero, Deus seipsum objectivando, transit ad mundum et fit natura: in tertio demum, ad seipsum veluti regrediendo ex natura, seipsum cognoscens ac conscientiam sui acquirens in homine, pervenit ad perfectam divinitatem, fitque

---

(1) «Cette theologie rationnelle de la vieille methaphysique ne se meut que dans les déterminations abstraites de la pensée. En effet, elle conçoit Dieu comme l'abstrait, composé de toute realité et de toute positivité, à l'exclusion de toute négation, et elle définit Dieu comme l'être totalment, souverainement réel... Ce qui revient à cette definition, que Dieu est la plenitude de toute réalité: conception qu'on obtient en ôtant les limites que renferme toute réalité, et l'on en abstrait Dieu, en disant qu'il est, le réel ou toute réalité, la souveraine réalité. Or, cette conception est de toutes la plus naïve, la plus abstraite, la plus pauvre... C'est l'enfance de la logique, pour qui l'être c'est l'absolu...

La vérité est au contraire, qu l'être en tant que tel n'est rien de fixe ni de définitif, mais un terme que la dialectique pousse à son contraire, lequel, consideré dans sa nature immédiate, est le néant.»

«L'être pur est une pure abstraction, c'est l'absolu négatif, qui, consideré dans sa nature immediate, est le néant... La concrete et la vrai (definition) est celle qui renferme les deux, être et néant.» *Ibid.*, t. 6.°, pag. 75, 166, 168, 169 et 170.

Deus complete seu proprie. (1) Atque hinc facile agnoscitur et dijudicatur sensus verbi illius hegeliani, pleni impietatis: *Deus est in fieri.*

i) Ergo: 1.° creatio nihil est aliud quam evolutio necessaria Dei in mundo et humanitate: 2.° mundi et humanitatis evolutiones, constituunt ipsam vitam Dei: 3.° existentiæ finitæ et individuales nullam realitatem habent in seipsis, sed sunt meri aspectus, phænomena, formæ vel modificationes Dei.

In hujuscemodi pantheismo confutando et evellendo non immorabimur, tum quia puderet tempus et operam insumere in oppugnandis absurdis, quæ non tantum cum sensu christiano, sed cum communi hominum sensu aperte pugnant; tum quia horum errorum expositio, est melior et aptior eorumdem confutatio.

Cæterum, pro pleniori ac veluti universali hujus systematis confutatione, duo animadvertere sufficiat.

Primo. Systema hegelianum, non tantum pantheismum, ut per se patet, sed universalem scepticismum ac absolutum nihilismum involvit. Universalem quidem *scepticismum*, quatenus concedit ac expressis verbis profitetur, contradictoria, ut lucem et tenebras, finitum et infinitum, positivum et negativum; uno verbo: ens et non ens seu nihilum, reipsa identificari. (2) Si autem contradictoria sese non excludunt; si ens et nihilum inter se identificantur, corruit principium contradictionis, atque cum eo corruit non modo omnis scientia, sed ipsa possibilitas scientiæ. *Nihilismum* quoque, nam si *nihilum, quatenus nihilum, est eadem res ac ens;* ergo omnia

---

(1) Dieu n'est Dieu qu'en tant qu'il se connait; la connaissance qu'il a de lui-même c'est la conscience qu'il a de lui dans l'homme.» *Opp. cit.* t. 7.° pag. 448.

(2) «L'Etre et le Néant sont même chose.» «Le Néant, en tant que Néant... est précisément la même chose que l'Etre.» *Loc. supra cit.*

entia revera sunt nihil, ac idem erit affirmare existentiam cujuscumque entis, sive finiti sive infiniti, ac affirmare existentiam nihili.

Secundo. Ordinem practicum seu moralem penitus ac funditus subvertit: 1.° quia ordo moralis ullus subsistere nequit cum universali scepticismo et nihilismo absoluto, ut ex terminis patet: 2.° quia theoria hegeliana e medio tollit libertatem humanam, ac ipsam distinctionem inter bonum et malum, sine quibus moralis ordo, nec existere, nec concipi quidem potest. Siquidem, nec libertas hominis, nec distinctio boni et mali moralis, consistere aut conciliari possunt cum *Idea* vel ente absoluto et unico, seipsum necessario ac spontaneo motu, ex æternitate ad æternitatem evolvente, et cujus ultima ac perfectissima manifestatio divina est homo, qui non secus ac reliqua entia, est revelatio, vel forma quædam substantiæ divinæ: ast revelationes vel formæ Dei, si quid sunt, profecto bonæ sunt, utpote omnes æque necessariæ ac legitimæ: (1) 3.° fata-

---

(1) Cæterum, Hegel minime abhorret ab his illationibus, quas potius expresse profiteri non veretur. «L'esprit, inquit ille, dans sa nécessité est libre, et c'est dans sa nécessité seule qu'il trouve la liberté.» *Opp. cit.* t. 13.° pag. 39. Et alibi, postquam iterum docuit libertatem et necessitatem, eamdem rem esse, subdit: «Il en est de même de l'opposition du *bien* et du *mal*, cette grande antinomie du monde moderne enfoncé en lui même.» *Ibid.* t. 6.° pag. 73.

¿Sed quid plura? Ipsemet Hegel fatetur id necessario inferri ex suo illo fundamentali principio: *ens et nihilum sunt eadem res.* «Cette formule: *L'être et le néant sont même chose*, parait un paradoxe, et on a peine à la prendre au serieux; et en effet, c'est une proposition des plus dures et de plus hardies... On soutiendra, par exemple, qu'en consequence de ce principe, c'est même chose que mon bien, ma maison l'air qu'on respire, la patrie, le soleil, la justice, l'âme, Dieu même... Dans le fait cependant, la philosophie est la doctrine qui apprend à l'homme a se délivrer d'une infinité de buts et de points de vue particuliers, et qui le rend indépendant de tout, de telle sorte qu'il lui soit absolument indifférent que ces choses soient ou ne soient pas.» *Ibid.*

lismum historicum inducit; quandoquidem, cum humanitas nihil sit aliud quam manifestatio necessaria et veluti incarnatio quædam Dei, facta cuncta hominis, non solum omnia divina ac proinde bona ac æque legitima sunt, sed necessario eveniunt, utpote phases et manifestationes Dei, seipsum evolventis evolutione æterna, spontanea et necessaria: 4.° denique, involvit ac perficit rehabilitationem materiæ, ac legitimationem carnis et concupiscentiarum ejus; semel enim admissa hegeliana theoria, materia æqualia jura cum spiritu possidet, et carnis passiones omnes sunt legitimæ, utpote æquales et necessariæ manifestationes Dei.

Itaque, Hegelianismus funditus subvertit, non solum christiana dogmata, (1) sed ipsam naturalem moralita-

---

pag. 172. Quibus si addas ea quæ alibi subjungit: «Le mal comme réflexion profonde de la subjectivilé en elle-même, opposée à l'être objectif et universel, qui pour elle n'est qu'apparent, est la même chose que la bonne intention du bien abstrait,» facile perspicies, apud Hegel, veram philosophiam docere: 1.° hominem, domum, patriam, justitiam, Deum, solem etc. esse unam et eamdem rem, ac absolute indifferentia: 2.° ens objectivum, hoc est, entia quæ naturam constituunt, *esse quid pure apparens*: 3.° *malum*, esse bonam intentionem boni.

(1) Philosophos et non theologos agentes, immorari non licet in exponenda et oppugnanda theoria hegeliana, quatenus præsumit exponere dogmata Religionis christianæ, immo etiam ipsorum rationem sufficientem reddere. Hegel etenim suadere conatur, suam philosophiam, quippe quæ contineat et complectatur veritatem absolutam, continere etiam veritatem christianam, fideique doctrinis apprime consentire, hac sola differentia inter religionem christianam et philosophiam hegelianam constituta, quod id quod prima docet ac proponit per imagines sensibiles ac sub formis symbolicis, altera docet ac exponit prout revera est, ac sub forma ideali et intelligibili.

Sic, exempli causa, Trinitas christiana, aliud revera non est nisi *Idea* vel ens absolutum, quatenus spectatur secundum tria illa *momenta* præcipua evolutionis divinæ, de quibus supra, ita ut *Pater* respondeat primo momento, in quo Deus seipsum adhuc non manifestat nec revelat per mundum: *Filius*, respondeat secundo momento, in quo Deus seipsum quodammodo objectivat ac revelat in natura et per naturam: *Spiri-*

tem, ita ut si ad praxim deducerentur ipsius doctrinæ, periret omnis morum honestas, subverteretur ordo ipse socialis. Et re vera quidem, scimus, eos qui pantheismum hegelianum undequaque per Europam propagare conantur, teterrima consectaria, tum moralia, tum socialia, quæ ex ipso legitima consecutione emanant, rotundo jam ore proclamare, atque ad praxim reducere conari tam verbis quam factis. Ex hac infecta Hegelianismi radice pullulavit, ac pullulat, tum auri, divitiarum ac voluptatum fames late serpens; tum immanis turba hominum, qui sub specie reformandi humanam societatem ac instaurandi æqualitatem et libertatem inter homines, societatem ipsam funditus subvertere pertentant, christianam Religionem, quæ ipsorum conatibus obstat, acri odio prosequuntur, ac denique, hominis divinitatem proclamantes, divinitatem simul proclamant materiæ, carnis, et passionum ejus. (1)

---

tus Sanctus respondeat tertio momento, in quo Deus conscientiam explicitam suipsius acquirens in spiritu humano, ad seipsum veluti regreditur, agnoscens identitatem sui cum *Idea* sive cogitatione logica pura, vel si mavis, identitatem absolutam omnium.

Ast quantum ejusmodi deliramenta hegeliana dissentiant et abhorreant ab augustissimo mysterio Trinitatis catholicæ Religionis, facile quis videt si solum animadvertat hæc.

1.° In Trinitate hegeliana unica datur non tantum substantia seu essentia, sed etiam unica persona.

2.° Ejusmodi substantia vel essentia realiter non distinguitur a substantia mundi.

3.° Trinitas hegeliana non constat tribus personis viventibus; in ea enim, vel nulla datur persona, vel solum existit in tertio momento, dum conscientiam sui Deus acquirit; quia, apud Hegel, tunc solum Deus proprie ac perfecte *Deus* fit et evadit, cum seipsum cognoscit, seu conscientiam sui acquirit in homine. Statuit enim, quod «Deus non est, nisi quatenus seipsum cognoscit; cognitio autem quam de se habet, est ipsa conscientia quam de se habet in homine.» Hæc sufficiat indicasse pro his præsertim, qui theologiæ operam daturi sunt; etenim, extra consilium instituti operis esset, longius orationem de re hac protrahere.

(1) Quod si quis agnoscere velit, quo tandem ducat Hegelianismus, aut quænam sint conclusiones ad quas logice perducit pantheismus

Porro, quamvis pantheistarum errores ac deliramenta satis superque refellantur ex ipso communi sensu, præsertim dum ea semel exposita sunt, ut nos hic ac in superiori paragrapho fecimus, abs re tamen non erit pantheismi pronuntiatis, pronuntiata philosophiæ christianæ opponere quod quidem partim postea, dum de creatione agetur, partim vero nunc perficiemus. Itaque sit,

---

hegelianus, consulat unum e præcipuis ejus organis ac propagatoribus, ephemeridem, nempe, cui titulus, *Revue de Deus Mondes*, ubi præfatæ doctrinæ frecuenter et aperte evolvuntur ac prædicantur. Audiatur etiam, speciminis loco, quidam ex ejusdem discipulis: «Dios es idéntico con el mundo: se manifiesta en las plantas, que sin conciencia de sí mismas, viven con una vida cosmomagnética; se manifiesta en los animales, los cuales, en el sueño de su vida sensitiva, experimentan una vida mas ó menos sorda... En el hombre, la Divinidad llega á la conciencia de sí misma, y revela esta conciencia de nuevo por medio del hombre. Empero esto no se verifica en los hombres y por los hombres considerados aisladamente, sino mas bien por el conjunto de la humanidad, de manera que cada hombre solo encierra y representa una partícula del *Dios-mundo*, pero todos los hombres juntos encierran y representan en la idea y en la realidad todo el *Dios-mundo*. Cada pueblo tiene á lo mas, la mision de reconocer y manifestar una parte de este Dios-mundo... La historia no es mas que el pensamiento eterno de Dios, su accion eterna, su palabra, sus hechos, pudiendo decirse con razon de la humanidad entera que es una encarnacion de Dios... De aquí es tambien que el objeto de todas nuestras instituciones modernas es la rehabilitacion de la materia, su reintegracion en todos sus derechos, su restauracion religiosa, su santificacion moral... Nosotros marchamos en pos del bienestar material; porque sabemos que la divinidad del hombre se manifiesta igualmente en su forma corporal; fundamos una democracia de dioses terrestres iguales en felicidad y santidad... queremos el nectar y la ambrosía, mantos de púrpura, la voluptuosidad de los perfumes, de las danzas, ninfas, músicas y comedias.» Heine, *De la Allémagne dep. Luther.*

En fructus, qui in ordine morali ac etiam sociali, prodeunt ex arbore pantheismi hegeliani.

§ III.

De Pantheismo quoad identificationem substantiæ divinæ et mundanæ.

Ex prælibatis in superiori utroque paragrapho, satis jam constat virus pantheismi, hujusque veluti principium fundamentale consistere in confusione seu identificatione substantiali Dei et mundi. Quapropter, ut funditus convellatur, sit,

THESIS 1.ª

Absurda est identitas substantialis Dei et mundi, quam tueri solet pantheismus.

Prob. Mundus realiter et substantialiter a Deo distinguitur, si ejus attributa sint non solum diversa, sed etiam opposita attributis naturæ divinæ; per attributa enim et proprietates, quæ ex substantia derivantur ac ipsi conveniunt, in ejusdem cognitionem devenimus, cum substantiarum immediatam intuitionem non habeamus. Ex alia parte, substantiæ vel essentiæ quibus insunt opposita attributa, nequeunt non esse realiter distinctæ; atqui attributa quæ mundo conveniunt, sunt prorsus diversa, imo et opposita attributis Dei: ergo. Prob. min. Deus, vel non existit, vel est ens necessarium, ens a se et ex se existens, ens immutabile, ens per essentiam, ens infinitum; omnes quippe qui Deum nominant et sciunt, id nomine Dei intelligunt, atque si prædictorum aliquid ei deesset, jam non esset Deus, nec ens infinitum: atqui mundus est ens contingens, ens

ab alio et per alium existens, ens mutabile, ens participatum, ens finitum: ergo. Min. prob. per singulas partes. Mundus est

a) *Ens contingens:* Quod constat, 1.° quia non existentia mundi, nullam terminorum contradictionem seu repugnantiam involvit; optime enim concipimus, mundum istum posse in nihilum per Dei potentiam redigi, vel potuisse non produci, quin nulla exinde exurgat contradictio, sicut nulla exurgit ex eo quod mundi alii possibiles, ad actualem et physicam existentiam non perducantur. Deinde, quia ratio et experientia simul testantur, quamlibet mundi hujus partem contingentiæ subesse, ac proinde mundum quoque ex eis conflatum; etenim, si omnes et singulæ mundi partes possunt esse et non esse, etiam mundus ex singulis coalescens potest esse et non esse, quin ulla offendatur contradictio.

b) *Ens ab alio:* quia ens contingens, eatenus dicitur contingens, quatenus potest esse et non esse; unde ens contingens, qua tale et ex se, indifferens est ad existendum vel non existendum: ergo si revera existit, existit quia esse recipit ab alio: ergo mundus, eo ipso quod est contingens, est ens ab alio, sive rationem sufficientem existentiæ habens in alio. Ex quo necessario consequitur, mundum esse

c) *Ens mutabile:* Nam quod ab alio pendet et esse recipit, ejus potentiæ et actioni subjicitur, per quas non solum accidentales mutationes, sed essentiales etiam suscipere potest. Siquidem, potentia efficax ad esse tribuendum, efficaciam quoque habet ad esse ejusdem rei destruendum, ac multo magis ad eamdem rem immutandam, aliquam realitatem ipsi communicando vel ab ipsa auferendo. Sed præterea, id constat apertissima experientia, qua sensibus ipsis quotidie observamus, mundum ejusque partes etiam nobiliores,

ut est anima rationalis, perpetuis ac multiplicis generis mutationibus, obnoxia esse.

d) *Ens participatum:* quia ex dictis, esse ipsum, ac proinde perfectiones seu gradus realitatis, quibus donatur, ab alio, non a se obtinet.

e) *Ens finitum:* Quod ostenditur: 1.° quia mundi finitudo est corollarium necessarium ejus contingentiæ; quod enim potest esse et non esse, neque actu existit nisi quia existentiam recepit ab alio, proculdubio finitum est, cum ei deficiant saltem, independentia, et existentia a se: 2.° Experientia ipsa teste, singula entia mundi sunt finita, utpote ad certum genus et speciem determinata, aliquasque perfectiones, nec formaliter, nec eminenter continentia, ut lapis, nec formaliter, nec eminenter continet perfectiones animalis vel hominis; atqui ex entibus finitis nequit coalescere ens infinitum, quia finitum finito additum, nonnisi finitum efficere potest: ergo mundus, eo ipso quod coalescit ex entibus contingentibus et finitis, infinitus esse nulla ratione potest.

Adde his, mundum esse compositum, cum complectatur *plures substantias*, ut lapides, plantas, homines; plures *partes* extensionis atque integrales, ut brachia, pedes et caput in animali; *plura* accidentia, non solum invicem distincta, sed separata, ut motum, cogitationem, figuram, volitionem, duritiem, colores, scientiam. ¿Quis porro affirmare audeat, simplicitatem divinam compati ejusmodi pluralitates, aut Deo inesse motum localem, figuram, duritiem aliaque ejusmodi, quæ in mundo quotidie cernimus?

Prob. 2.° ex absurdis ad quæ pantheismus ducit: 1.° Si unica existit substantia, ita ut Deus et mundus sint una et eadem res, omnia quæ in mundo contingunt aut perficiuntur, erunt totidem modificationes et affectiones hujusmodi unius substantiæ: ergo opposita

et sese mutuo excludentia, eidem substantiæ simul inhærebunt. Nam plantæ sunt corporeæ, animæ hominum sunt incorporeæ: inter homines ipsos, quidam odio habent quod alii amant; quidam affirmant quod alii negant, sciunt quod alii ignorant, dum quidam bene valent, alii simul ægrotant: ergo si unica existit substantia, hæc erit simul corporea et incorporea, volens et nollens eamdem rem, infirma et sana, sciens et ignorans, affirmans et negans eamdem rem. Ergo ex principio fundamentali pantheismi consequitur, quod opposita possunt simul eidem subjecto inesse, et quod contradictoria simul esse possunt; contradictorium quippe est, quod eadem substantia eodem tempore velit et nolit eamdem rem. Ergo pantheismus evertit principium contradictionis, ac proinde universalem scepticismum necessario inducit. Hinc, qui pantheismum usque ad ultimas deductiones logicas perduxerunt, identitatem rerum contradictoriarum seu entis et nihili non verentur fateri, ut videre licet apud Hegel, qui non semel docet, ens et nihilum esse unam et eamdem rem, ut supra ostendimus.

2.° Si unica existit substantia divina, mundusque ab ipsa realiter et substantialiter non distinguitur, omnes actiones hominis erunt actiones substantiæ divinæ; quoniam ea in hypothesi, actiones, quas hominibus tribuimus, vel nihil sunt, vel sunt modi illius unicæ substantiæ, cum modus non existat nisi inhærens alicui substantiæ. Ergo Deus seipsum odio habet, in blasphemias erumpit, homicidia, furta et turpia quæque committit; hæc enim omnia peragunt homines, qui ex hypothesi pantheistarum, sunt vel modi, vel manifestationes et formæ Dei. (1)

---

(1) Adeo absurda ac manifesta sunt consectaria ad quæ pantheis-

THESIS 2.ª

Absurdus est quoque pantheismus prout a recentioribus sub varia forma proponitur.

Hæc thesis prob. ac constat: 1.° quia est corollarium præcedentis; siquidem, sub quavis forma proponatur pantheismus, eo ipso quod unicam substantiam seu unicam existentiam substantialem ponit, offendit omnia absurda, quæ exposita manent.

2.° Probatur et constat ex his quæ superiori paragrapho ediximus, præcipuas ac singulas pantheismi formas exponentes; ex quibus facile quisque videre potest, pantheistarum systemata, quotquot sunt, doctrinis, vel peregrinis et paradoxis, vel impiis, vel absurdis et sensui communi abversantibus, universa scatere.

3.° Probatur nihilominus thesis quoad præcipuas pantheismi recentioris formas, nempe, Spinozismum, Idealismum subjectivum Fichte, et Idealismum objectivum Schelling; nam de pantheismo hegeliano satis constat ex his quæ in præcedenti paragrapho delibavimus, ipsum gratuitis, paradoxis, ac impiis dogmatibus undequaque scatere. Itaque absurdi et falsitatis evincitur,

a) *Pantheismus Spinozæ:* 1.° Hic enim ponit spiritum

---

mus ducit, ut ipsemet Bayle in hæc verba erumpat, dum Spinozæ systema exponit: « Hé aquí una hipótesis que encierra las mayores estravagancias que se pueden excogitar. Lo que los poetas paganos han osado contar de mas infame contra Júpiter y Venus, no llega á la idea horrible que Spinoza nos dá de Dios; porque á lo menos los poetas no atribuian á los dioses todos los crímenes que se cometen y todos los males del mundo; pero segun Spinoza, no hay otro agente ni paciente mas que Dios, el cual es la causa de todo lo que se llama mal de pena y mal de culpa, mal físico y mal moral.» *Dict. hist. et critig*, art. *Spinoza.*

et naturam, *cogitationem* et *extensionem*, esse attributa substantiæ et essentiæ divinæ. Jam vero, si cogitatio est attributum essentiale substantiæ divinæ, ubicumque hæc erit, erit et cogitatio; et similiter ubicumque erit illa *extensio*, erit et essentia divina: ergo si dividatur extensio, dividetur essentia divina cujus essentiale attributum est, ab ipsa inseparabile, habebimusque proinde Deum cum essentia divisibili, quod prorsus repugnat.

2.° Attributa contradictoria ab eodem subjecto necessario se expellunt, ut album et nigrum, calidum et frigidum, bonum et malum, etc.; atqui cogitatio et extensio sunt attributa contradictoria, quippe repugnat rem extensam cogitare: ergo cogitatio et extensio nequeunt inesse divinæ substantiæ, ut Spinoza gratis ac impie supponit.

3.° Fatalismum non modo in humanis, sed in divinis etiam constituit; nam, apud Spinozam, Deus ex necessitate ac cæca ratione operatur in omnibus, ut supra ostensum est, ipsis ejus verbis; (1) quod quidem maximam perfectionem a Deo removet.

b) *Idealismus Fichte:* Non minus absurdus hic existit: 1.° quia gratis supponit et *affirmat*, sed nec vel minimum probat, *ego purum*, esse principium universale, unicum et primum omnium rerum, nempe, spiritus et materiæ, subjectivi et objectivi, scientiæ et objecti: 2.° quia gratis etiam affirmat τὸ *ego*, seipsum ponere dum se cognoscit; quod idem est ac affirmare, tum rem aliquam seipsam ad existentiam posse perducere, tum etiam cognitionem hominis esse causam sufficientem existentiæ

(1) Ad rem etiam Leibnitz: «L'empire de Dieu n'est autre chose chez Spinoza, que l'empire de la nécessité, et d'une nécessité aveugle, par laquelle tout émane de la nature divine, sans qu'il y ait aucun choix en Dieu.» *Essai de Theod.* P. 3.ª, pag. 570.

realis rei cognitæ : 3.° quia affirmat, τὸ *ego* frui activitate absoluta et infinita per quam *non-ego*, hoc est, mundum producit, qua productione sibi ipsi limites ponit, ac finitus proinde evadit: (1) ast vero, id idem est ac asserere, rem infinitam fieri finitam, ex eo quod aliis esse communicat, quo certe nihil absurdius proferri potest: 4.° quia tam illud *ego* purum et absolutum, quam infinita ipsius activitas, gratis omnino a Fichte supponuntur, cum nullum horum vestigium in nostra conscientia appareat: 5.° demum, quia communi sensui penitus refragatur ac scepticismum absolutum inducit, dum statuit, entia ex quibus mundus coalescit, esse puras illusiones phænomenales, nullam realitatem in se habentes. (2)

c) *Pantheismus objectivus Schelling:* Nec minus communi sensui et rectæ rationi adversatur systema schellingianum: 1.° Quia sicut Fichte universa ex *ego* tanquam ex unica vera realitate educit, sic Schelling omnia entia, spiritum, nempe, et naturam, scientiam et scitum, subjectivum et objectivum, ex *Absoluto* educere contendit; unde apud ipsum, *Absolutum* sive Deus, est veluti ens indifferens seu indeterminatum, universa, quantumcumque opposita, ut spiritum et naturam, ob-

---

(1) «La proposition dominante de cette théorie est celleci : le *moi* est l' activité absolue ; tout ce qui existe hors du *moi* est un produit du *moi* comme posé par lui, opposé a lui, c' est-à-dire, le limitant... Le *moi* n' est rien autre chose qu' une activité infinie ; il s' oppose comme limitation un *non-moi*, et par lá il produit tous les objets. » Tennemann, *Manuel cit.* T. 2.°, pag. 272 et 278.

(2) Itaque, apposite habet citatus Tennemann, dum scribit: «Ce système ne fait que substituer à des mystères de plus grandes mystères encore, en prétendant eclaircir les unes par les autres... Concluons que cet idéalisme nous offre l' exemple de la spéculation poussée a son dernier excès, et aboutissant ainsi à s' absorber et à se détruire elle-même avec toute science et toute activité.» *Ibid.*, pag. 279.

jectivum et subjectivum, in suo sinu continens. (1) Quod schellingianum principium, logice postea evolvens Hegel, pervenit ad asserendam identitatem contradictionis, sive entis et nihili, ut supra vidimus. 2.° Quia gratis affirmat sed minime probat, hocce *Absolutum*, a nobis cognosci intellectuali contemplatione sive immediata intuitione; et tamen in conscientia, nec minimum vestigium reperimus ejusmodi intuitionis immediatæ *Absoluti*. 3.° Quia notionem non modo christianam, sed philosophicam Dei penitus subvertit; nam apud ipsum, Deus initio existit quidem, sed quasi involutus in seipso ac *implicitus* absque propria personalitate; postea vero, dum seipsum revelat in mundo, acquirit personalitatem, fitque Deus completus et *explicitus*. Ex quo facile infertur, Deum schellingianum nihil commune habere, non dicam cum Deo christianorum, sed nec cum Deo rationis naturalis, cum sit Deus qui subjicitur mutationi et acquirit novam perfectionem, immo ipsam divinitatem. (2) 4.° Quia fatalismum universalem inducit, nam Deum ipsum absolutæ ac cæcæ necessitati submittit. (3)

---

(1) «L'absolu .. c'est ce en quoi se confondent et disparaissent toute opposition, toute diversité, toute séparation, comme celle du sujet et d'objet, de savoir et d'être, d'esprit et de nature, d'idéal et de réel.» «Schelling arriva en fin au système de l'*identite absolue* du subjectif et de l'objectif, au système de l'indifférence du différent, en quoi consiste la nature de l'absolu ou de Dieu.» Tennemann, *loc. cit.*, pag. 289.

(2) «Schelling distingue Dieu en soi, a l'etat d'idée, ou l'absolu, du Dieu existant ou se révélant, lequel sort du sein du Dieu absolu... et arrive ainsi à une existence accomplie, de sorte que Dieu passe dans le monde a l'état de personnalité, *Deus implicitus, explicitus.*» Tenneman, *Ibid.*, pag. 295.

(3) «Ce qui domine dans ce système, c'est une destinée aveugle, une necessité de nature; il faut que Dieu se révéle... Elle (philosophia Schelling) soumet Dieu lui-même à des conditions superieures à la na-

SCHOLIUM.

Brevitati consulentes, prætermittimus reliquos minoris nominis pantheistas, ut Ahrens, Michelet, Cousin, Leroux, quorum systemata nihil sunt aliud quam derivationes quædam et applicationes pantheismi transcendentalis germanorum, præsertim vero schellingiani et hegeliani.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° cum Spinoza. Substantia est *id quod in se est et per se concipitur;* atqui unicum datur ens quod in se existat, nempe, ens improductum: ergo unica datur substantia.

Resp. dist. maj. Substantia est id etc. *ita ut ad existendum non indigeat altero tanquam subjecto cui inhæreat*, conc. *ita ut ad existendum non indigeat altero, nec tanquam subjecto, nec tanquam causa efficiente*, neg. Ex qua distinctione apparet, integrum Spinozæ pantheismum inniti æquivocatione et abusu terminorum, dum verba ea, *in se et per se existens*, quæ ad substantiam definiendam afferri solent, quatenus excludunt inhærentiam in subjecto, ille transfert ad significandam independentiam a causa efficiente. Et tamen, ex eo quod unica detur substantia hoc posteriori sensu, hoc est, non solum per se et in se, sed *a se* existens, minime sequitur non dari plures

---

ture divine, puisqu'elle le suppose obligé de se révéler, et fait sortir dans le temps la divinité comme intelligence du sein de l'être non-intelligent.» Tennemann, *Ibid.*, pag. 297 et 299.

substantias *in se*, hoc est, sine subjecto existentes, quamtumvis non existant *a se*, sed *ab alio*. Sed cum eodem

Instabis: Substantia est *id cujus conceptus non indiget conceptu alterius a quo formari debeat;* sed substantia finita et producta concipi nequit sine conceptu alterius, nempe, substantiæ infinitæ et improductæ: ergo.

Resp. Dist. similiter maj. Substantia est id cujus conceptus non indiget conceptu alterius *tanquam subjecti inhæsionis*, conc. *tanquam causæ*, neg. Siquidem, postremus hic conceptus, non exhibet notionem communem substantiæ, sed notionem *substantiæ infinitæ.* Conceptus ergo substantiæ, præcise qua talis, excludit quidem inhærentiam in subjecto, sed non excludit conceptum causæ, a qua existentiam accipiat; id enim solum excludit substantia infinita sive Deus, non præcise quia est substantia, sed potius quia est substantia *infinita*, *necessaria* et *a se* existens.

Objic. 2.° Si mundus sit substantia a Deo realiter distincta, Deus non esset ens infinitum: ergo. Prob. ant. De ratione infiniti est quod contineat in se omnem realitatem et omne esse; atqui si mundus realiter distinguitur a Deo, hic non contineret omnem realitatem et omne esse: ergo. Prob. min. In ea hypothesi, Deus non contineret realitatem mundi, eo ipso quod realitas et esse hujus supponuntur distincta a realitate et esse Dei: ergo.

Resp. Neg. ant. Ad prob. dist. maj. De ratione infiniti est quod contineat omnem realitatem et omne esse, *vel formaliter*, *vel eminenter*, conc. *formaliter quoad omnia*, neg. Ratio propria infiniti constituitur per hoc quod contineat realitatem seu esse nullis limitibus circumscriptum; ast minime exigit continere realitatem physicam mundi vel aliarum substantiarum, secundum *eumdem modum*, quo his inest. Sicut ergo homo non desinit esse perfectior planta, ex eo quod realitatem physi-

cam plantæ in se formaliter non continet, vereque et proprie perfectior planta nuncupatur et existit, quia hujus realitatem et perfectionem virtualiter et eminenter continet, ita ad hoc quod Deus vere et proprie dicatur infinitus ac continens omnem realitatem et esse, opus non est ut realitatem physicam et esse inferiorum rerum formaliter in se contineat, sed sufficit quod contineat eminenter. Quod quidem Deo congruit, quia ejus essentia est ipsum esse purum et simplicissimum, nulli nonesse admixtum; namque, ut habet D. Thomas, (1) «rei quæ est suum esse, competit esse secundum totam essendi potentiam... Deus igitur, qui est totum suum esse, habet esse secundum totam virtutem ipsius esse: non potest ergo carere aliqua nobilitate, (perfectione vel realitate) quæ alicui rei conveniat.»

Instabis: Ergo possibile est ens quod sit majus ac perfectius Deo. Prob. cons. Ex solutione facta, realitas mundi non continetur formaliter in Deo, mundusque habet *esse proprium* distinctum *ab esse divino:* ergo ens, quod præter esse divinum haberet esse proprium mundi, esset majus ac perfectius Deo.

Resp. Neg. cons. Ad prob. dist. ant. Mundus habet esse proprium, etc. hoc est, *quod non eodem modo reperitur in Deo*, conc. *ita ut esse mundi nullo modo sit in Deo*, neg. *Esse proprium* mundi, (et idem dic de qualibet finita substantia) duo complectitur: 1.° limitationem et finitudinem, quatenus ita est esse, ut simul admixtum habeat non esse: 2.° realitatem seu entitatem positivam. Sub priori conceptu, mundus et quælibet substantia finita, habent proprium esse; quia substantiæ finitæ *proprium* est ac peculiare, limitationem seu determinationem, hoc est, negationem et defectum realitatis et esse habere, ut planta habet negationem realita-

(1) *Sum. cont. Gent.* l. 1.° cap. 28.

tis et esse hominis: contra vero, Deus, quia est esse purum et infinitum, nullam limitationem vel defectum esse includit; ut enim scite habet D. Thomas, (1) «omnis defectus inest rei secundum quod aliqualiter non est: Deus autem sicut habet esse totaliter, ita ab eo totaliter absistit non esse.»

Ast vero, sub posteriori respectu, esse proprium mundi est etiam in Deo, non quidem sub eadem forma, finitudine aut limitatione, sed modo prorsus diverso et eminentiori, ita ut esse mundi, quatenus realitas positiva et perfectionem involvens, plene contineatur in simplicitate esse divini. Quandoquidem «Deus per unum simplex suum esse, omnimodam perfectionem possidet, quam res aliæ per quædam diversa consequuntur, imo multo majorem,» inquit D. Thomas. (2) Ex quo jam plane consequitur, mundum Deo additum, ens majus aut perfectius minime constituere, quoniam realitas seu perfectio positiva mundi, integra continetur in Deo, idque perfectiori modo quam in ipso mundo. Mundus ergo Deo superadditus vel potius connumeratus, efficiet *plura* entia, sed non *perfectius* ens.

Objic. 3.° Repugnat existentia plurium substantiarum: ergo mundus vel non existit, vel est eadem substantia cum Deo. Prob. ant. Si supponantur plures substantiæ, vel habent eadem attributa, vel diversa: si primum, nequeunt distingui, quia quæ habent eadem attributa habent eamdem essentiam: si secundum, vel hæc attributa sunt *essentialiter* diversa, et tunc ipsa essentia erit diversa, ac proinde jam non erit substantia, quia omnes res, quarum attributa sunt essentialiter diversa, non habent eamdem essentiam: vel sunt diversa *accidentaliter*, et tunc ipsæ essentiæ, cujus sunt attribu-

(1) *Loc. cit.*
(2) *Ibid.* cap. 31.

ta, accidentaliter solum differunt, ac proinde non secundum essentiam vel substantiam: ergo.

Resp. Neg. ant. Ad prob. dist. primam part. ant. Quæ habent eadem attributa, habent eamdem essentiam *specifice vel generice*, conc. *numero*, neg. Et similiter dist. alteram part. Ipsa essentia erit diversa *in ratione entis seu essentiæ determinatæ*, conc. *in ratione communi substantiæ*, neg. Argumentum hocce, quod est veluti Aquiles pantheismi, contemptibili æquivocatione totum nititur, dum fit transitus ab unitate specifica, et generica seu universali, ad unitatem individualem et singularem; ac similiter, dum ratio vel notio essentiæ determinatæ confunditur et identificatur cum notione generali substantiæ. Etenim, vel minima mentis reflexio sufficit ad agnoscendum, duas substantias numero distinctas, v. gr. Petrum et Paulum, posse habere *eadem* vel potius similia attributa specifica aut generica, ut libertatem, rationalitatem, sensibilitatem, quamvis non habeant *eadem* numero; quia libertas atque sensibilitas quæ sunt in Petro, numerice distinguuntur a libertate et sensibilitate quæ sunt in Paulo. Similiter, ex hoc quod anima hominis v. gr. et lapis, habeant attributa *essentialiter* diversa, legitime colligitur ipsorum naturas vel intimas essentias inter se differre, ast minime colligitur, ea differre in ratione communi *substantiæ*. Siquidem, quamtumvis realiter et essentialiter inter se differant, quatenus essentia vel natura animæ includit rationalitatem, sensum, indivisibilitatem, spiritualitatem, etc. quæ lapidi non conveniunt, id tamen nihil obstat quominus lapis, non secus ac anima rationalis, sit essentia determinata, excludens inhærentiam in subjecto; quod sufficit ad hoc quod sit vera substantia, et substantia numerice distincta ab anima rationali, quamvis habeant alioquim aliqua attributa essentialiter diversa.

ARTICULUS SECUNDUS.

De origine mundi.

Integra de mundi origine controversia, ex recta idea creationis, tota quanta est, dependet. Igitur, antequam mundi initium per creationem adstruatur, philosophia christiana notionem creationis exponere ac enucleare debet. Sit itaque

§ I.

De notione creationis.

Veteres philosophi christiani, quos inter eminent D. Thomas et Suarez, plurima, eaque aptissima et valde philosophica, de creatione disputarunt; (1) quæ quidem nos, quoniam brevitatis legibus constringimur, sequentibus summatim exponimus.

1.° «Primum ens, inquit D. Thomas, (2) et prima vita, et primus intellectus, sunt unum et idem, quod

---

(1) ¡Utinam posteri, veteres illos secuti ac imitati fuissent in re hac! Sed fato nescio quo effectum est, ut postremis sæculis atque hac ipsa nostra ætate, in philosophicis libris, vix verbum apponeretur circa creationem, ex quo via sternebatur confusioni, nec quid solidi opponi poterat pantheismi commentis et erroribus.

(2) *Comm. in lib. de Caus.* lect. 18.ª

est Deus... Est enim duplex modus causandi: unus quidem, quo aliquid fit præsupposito altero; et hoc modo dicitur fieri aliquid per informationem, (dum, seu quatenus forma vel realitas aliqua, vel educitur vel ponitur in subjecto præexistente) quia illud quod posterius advenit, se habet ad id quod præsupponebatur per modum formæ. Alio modo, causatur aliquid nullo (subjecto) præsupposito; et hoc modo dicitur aliquid fieri per creationem. Quia ergo intelligere præsupponit vivere, et vivere præsupponit esse, et esse nihil aliud præsupponit prius, inde est quod primum ens dat esse omnibus per modum creationis.» Ex quibus D. Thomæ verbis inferre licet sequentia:

a) Actio quæ *creatio* nuncupatur, a quavis alia actione in eo præsertim discriminatur, quod nihil præter seipsam et causam efficientem a qua procedit, necessario præsupponit: hoc est, causa creans, quatenus creans, suipsius existentiam tantum necessario præsupponit, nec a re ulla extra se dependet. Dico *necessario*, quia non repugnat, dum aliquid creatur, existere de facto res alias præter et extra causam creantem, ita tamen ut actio creatrix, minime ab eis pendeat ac sine ipsarum existentia æque possit existere, ut revera contingit dum Deus rationalem animam creat.

b) Entia omnia quæ in mundo cernuntur, continentur et clauduntur aliquo ex his tribus gradibus fundamentalibus, *esse, vivere et intelligere;* quorum duo postremi, primum; primus vero, nullum alium præsupponit.

c) Ergo omnia quæ existunt, eo ipso quod habent *esse*, quod quidem ex se nullam aliam realitatem præsupponit, et simul præsupponitur a vivere et intelligere, quibus omnes aliæ existentiæ continentur, nequeunt incipere existere nisi ex nihilo, hoc est, *per modum creationis*, ut loquitur ipsemet D. Thomas, ac

proinde, creatio nihil præsupponit necessario nisi ipsam causam creantem.

2.° Itaque, creatio definiri potest: *productio seu effectio entis subsistentis ex nihilo sui.* Dicitur *entis subsistentis*, quia id quod per creationem producitur, aut debet esse ens subsistens, ut sunt substantiæ completæ et anima rationalis, aut saltem produci per modum subsistentis, sicut si Deus crearet accidens separatum a subjecto.

Et ratio est, quia hoc ipso quod creatio excludit omne subjectum præsuppositum, id quod creatur, debet in se et per se existere, absque ulla dependentia vel relatione a subjecto aliquo. Unde merito docet D. Thomas, quod terminus proprius ac per se creationis solum est substantia potens per se existere, et non accidentia, nec etiam formæ ipsæ substantiales, quæ sine materia existere nequeunt: « Cum enim fieri, inquit, (1) terminetur ad *esse*, proprie ei convenit fieri, cui convenit per se esse, scilicet, rei subsistenti. Unde nec materia, nec forma, nec accidens, proprie dicuntur creari, sed concreari; proprie autem creatur res subsistens.» Additur *ex nihilo sui*, quia creatio non præ se fert nihilum absolutum, cum potius prærequirat existentiam entis necessarii, sed nihilum materiæ vel subjecti ex quo res creata fiat aut dependeat; nam «ideo dicitur, ait D. Thomas, (2) aliquid ex nihilo fieri, quia fit quidem, sed non præexistit aliquid ex quo fiat.» (3)

---

(1) *QQ. Disp. De Pot.*, q. 3.ª art. 1.° ad 12.m

(2) *Ibid.*, art. 1.°

(3) Apposite quoque ad rem Suarez: «Illa autem particula *ex nihilo*, (quæ ponitur) ut distinguat hanc actionem (creationem) ab aliis, excludit omnem concursum causæ materialis, et dependentiam rei quæ creatur ab aliquo subjecto, ut recte exponit Anselm. in Monol. c. 8.° ita ut idem sit dictum *ex nihilo*, quod *ex nullo subjecto*; atque ita distinguitur hæc actio ab alia quæ est per eductionem de potentia subje-

Similiter, cum nihilum rationem causæ habere nequeat, dum creatio nuncupatur productio ex nihilo, particula *ex* non veram causam materialem, sed ordinem tantum rationis designat, quatenus concipimus effectum creatum existere *post* nihilum sui. Qua in re scite D. Thomas: «Cum dicitur aliquid ex nihilo fieri, hæc propositio *ex*, non designat causam materialem, sed ordinem tantum, sicut cum dicitur: *ex mane fit meridies.*» (1)

3.° Atque ex præfata creationis notione merito colligit D. Thomas, creationem esse actionem Deo ita propriam, ut nulli creaturæ, aut conveniat, aut communicari possit. Quod quidem, ut aliæ prætermittantur, triplici ratione ostendit idem Stus. Doctor: 1.ª quia ordo et præstantia actionum, respondet ordini et præstantiæ agentium; unde creatio, quæ est prima et nobilissima actionum, solum respondet primo et nobilissimo agenti, quod est Deus: «Cum enim secundum ordinem agentium, ait ille, (2) sit ordo actionum, eo quod nobilioris agentis nobilior est actio, oportet quod prima actio, sit primi agentis propria: creatio autem est prima actio, eo quod nullam aliam præsupponit, et omnes aliæ præsupponunt eam: est igitur creatio, propria Dei solius actio, qui est agens primum.»

2.ª Creatio respicit tanquam proprium effectum seu terminum, *esse simpliciter*, hoc est, totum et integrum esse rei productæ, nihil ejusdem præsupponens; actio vero causæ creatæ non respicit, nec pro termino habet esse simpliciter seu totale rei, ad quam producendam agit, sed semper præsupponit aliquid in quo recipiatur

---

cti: hæ namque duæ actiones adæquate dividunt omnem efficientiam.» *Metaphys.*, Disp. 2.ª, sect. 1.ª

(1) *Sum. Theol.* 1.ª P. q. 45, art. 1.°

(2) *Sum. cont. Gent.*, lib. 2.°, cap. 21.

ejus actio; ac proinde, non producit nec respicit tanquam proprium terminum esse simpliciter, sed esse hoc vel illud determinatum.

3.° Creatio est productio rei subsistentis secundum totam suam substantiam: ergo res creata, qua talis, nequit produci nisi ab agente, cujus actio sit ipsa sua substantia et essentia: sed id proprium est solius Dei, per ipsam suam substantiam et essentian agentis; nam agere in substantiis creatis est quid accidentale: ergo creatio soli Deo competit.

4.° Quod vero creandi vis sive actio, nec communicari possit ulli creaturæ, ostendit idem D. Thomas, ex eo quod creatio involvit rationem potentiæ infinitæ; ex quo merito colligit, vim creandi, creaturæ non posse competere aut inesse, nec etiam instrumentaliter. «Actio alicujus, inquit, (1) etiamsi sit ejus ut instrumenti, oportet ut ab ejus potentia egrediatur. Cum autem omnis creaturæ potentia sit finita, impossibile est quod aliqua creatura ad creationem operetur, etiam quasi instrumentum; nam creatio infinitam virtutem requirit in potentia a qua egreditur; quod quinque rationibus apparet. Prima est ex hoc, quod potentia facientis proportionatur distantiæ quæ est inter id quod fit et oppositum ex quo fit; quanto enim frigus est vehementius et fit a calore magis distans, tanto majori virtute caloris opus est, ut (corpus) ex frigido fiat calidum. *Non esse* autem simpliciter, in infinitum ab *esse* distat; quod ex hoc patet, quia a quolibet ente determinato plus distat *non esse*, quam quodlibet ens, quantumcumque ab alio ente distans inveniatur. Et ideo ex omnino non ente aliquid facere, non potest esse nisi potentiæ infinitæ.»

---

(1) *QQ. Disp., De Pot*, q. 3.°, art. 4.°

5.° Ex hucusque expositis infertur, veram ac christianam ideam creationis, toto cœlo differe ab idea creationis, quam Cousin cum moderno Ecclectismo sibi confingit, dum docet creationem nihil esse aliud quam productionem actus liberi, ita ut nos dum aliquam actionem liberam elicimus, veram creationem ponamus, non secus ac Deus dum universum produxit. (1) Ex quo consequitur, quod creatio ecclectica Cousin non est productio rei ex nihilo sui, sed potius productio rei ex ipso subjecto producente.

6.° Nec minus a creatione philosophiæ christianæ abhorret, id quod idem Cousin docet circa necessitatem creationis. (2) Cum enim Deus, utpote ens perfectissimum ac infinitum, sibi sufficiat, nullo extra se indiget, nec ex mundi productione et existentia perfectio aliqua eidem accrescere potest. Unde creationis necessitatem adstruere, idem est ac Dei notionem, simulque existentiam ejusdem in ratione entis infiniti ac perfectissimi subvertere. Præterquam quod, si Deus mundum ex necessitate et non libere conderet, nobilissima perfectio ei deesset, nempe, libertas, cum in operibus seu actionibus quæ *ad intra* dicuntur, quia ad ipsum Deum terminantur, ut dum seipsum intelligit et amat, neces-

---

(1) Inter alia hæc habet: « Créer c' est une chose qui n' est pas si difficile a concevoir, car c' est une chose que nous faisons a toutes minutes; en effet, nous créons toutes les fois que nous produisons un acte libre... Nous créons de rien, en ce sens que la matière de notre action n' est pas en dehors de nous... La création divine est de la même nature. Dieu en créant l' univers, ne le tire pas du néant... il le tire de lui-même, de cette puissance de causation et de création dont nous possedons une image.» *Introd. a l'histoire de la Phil.*, lect. 5.ª, pag. 100.

(2) «Il suit non-seulement que la création est possible, mais qu' elle est nécessaire.» *Ibid.*, pag. 102.

sitati subjiciatur. (1) Cæterum, hæc cousiniana doctrina, nihil est aliud quam corollarium præcedentis. Semel namque posito, Deum mundum creare et educere, non ex nihilo, sed ex seipso sive ex propria substantia, prout Cousin loquitur, (2) jam prono alveo consequitur, mundi creationem non esse minus necessariam quam ipsam Dei substantiam, ex qua educitur et creatur.

7.° Quod attinet ad creationis cognoscibilitatem, in ea versamur sententia, notionem creationis vires *physicas* rationis humanæ minime superare, bene tamen ejusdem vires *morales*. Unde rejicienda, tum sententia traditionalistarum, qui creationis ideam vires rationis humanæ prorsus et absolute superare autumant, eamque ex sola Dei revelatione hauriri posse contendunt; tum sententia rationalistarum quorumdam, qui hanc ideam soli rationi adscribunt, absque ope, seu potius, negata Dei revelatione, ex qua notio ista illuxit et elucescit. Quod si priores oppido falluntur, cum nihil sit in notione creationis quod, absolute loquendo, vim et captum rationis superet, turpius profecto errant ratio-

---

(1) Vid. D. Th., *Sum. Theol.*, 1.ª 2.ª q. 6, art. 3.° *Opusc.* 14, cap. 9. *De Pot.*, q. 3.ª, art. 15. *Sum. cont. Gent.*, lib. 2.°, cap. 23 ubi multiplici ratione demonstrat creationis libertatem, ex quibus speciminis loco, hanc exscribimus: «Quidquid non implicat contradictionem subest divinæ potentiæ, ut ostensum est: multa autem non sunt in rebus creatis, quæ tamen si essent, contradictionem non implicarent... Multa igitur subsunt divinæ potentiæ, quæ in rerum natura non inveniuntur. Quicumque autem, eorum quæ potest facere, quædam facit et quædam non facit, agit per electionem voluntatis et non per necessitatem naturæ: Deus igitur non agit per necessitatem naturæ, sed per voluntatem.»

(2) «Dieu crée donc en vertu de sa puissance créatrice; *il tire le monde, non pas... du néant* qui n' est pas, *mais de lui* qui est le principe de l' existence... Il y a plus: *Dieu crée avec lui-même.*» *Ibid.*, pag. 102.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

nalistæ cum ex ipsa philosophiæ historia aperte constet, cunctos, etiam maximos gentilium philosophos, si Aristotelem fortasse excipias, (1) creationem penitus ignorasse.

§ II.

De mundi origine per creationem.

Si philosophos, sive veteres, sive recentiores qui creationis notionem, vel non capiunt, vel rejiciunt, audiamus, mundus productus fuit, vel ex fortuito atomorum concursu, ut Leucippo et Epicuro placuit; vel ex infecta et præexistente materia, prout Plato cum pluribus e veteribus adfirmavit; vel ex ipsa Dei substantia, sicut Pythagoras, Neoplatonici ac generatim universi pantheistæ autumant. Missa igitur prima sententia, utpote nimis aperte sensui communi et rationi adversante, ut reliquas breviter perstringamus, antequam creatio mundi stabiliatur, sit

---

(1) Fortasse, inquam, quia ejus mens de re hac non satis aperte constat. Sunt tamen plures philosophi et critici, e veteribus præsertim, qui ideam aliquam saltem imperfectam creationis Aristoteli tribuunt; cui quidem opinioni favent textus quidam ex ejus operibus, ac præsertim, nostra sententia, verba quæ habet in lib. *De Mundo*, dum scribit: «Quasi flagitium esset in disputatione rerum mundi, præterire id quod summum in mundo habetur. Itaque, vetus fama est, et quidem hæreditaria mortalium omnium, universa a Deo et per Deum nobis esse constituta.»

THESIS 1.ª

Mundus originem ducere non potuit ex materia non facta et a se existente.

Prob. 1.° ex his quæ superiori articulo adversus pantheismum disputavimus. Etenim, si mundus, ut demonstratum est, necessario ab alio processit, repugnatque ipsum non esse factum aut a se existere, *a fortiori* id repugnabit de ejusdem materia, quæ pars est, eaque minus nobilis, hujus mundi.

Prob. 2.° Si Deus mundum condidisset ex materia non facta præsupposita et a Deo independenti, hujusmodi materia existeret a se, essetque ens absolute necessarium: ergo esset ens perfectissimum ac infinitum. Prob. cons. 1.° Quod a se ipso, ex absoluta necessitate, ac cum omnimoda independentia ab alio existit, continere debet omnes perfectiones et realitates possibiles; siquidem, nihil esse supponitur, quod ejus esse et realitatem possit limitare. 2.° Ideo Deus est infinitus cunctasque possibiles perfectiones et realitates continet, quia a se et necessario existit, nihilque habet supra se a quo dependeat et limitari possit: contra vero, creaturæ, ideo sunt necessario finitæ et admixtæ imperfectionibus, quia non a se et necessario, sed ab alio et contingenter existunt: ergo si materia a se, necessario et independenter a Deo et quovis alio ente existit, omnes possibiles perfectiones et realitates absolute possibiles, seu quæ contradictionem non implicant necessario continere debet, ac proinde erit ens infinitum ac perfectissimum, immo, ipsa erit verus Deus.

THESIS 2.ª

Nec minus absurdum est dicere, mundum ex Dei substantia emanavisse.

Prob. 1.° ex his omnibus quæ præcedenti articulo dicta sunt adversus pantheismum, ejusque fundamentale dogma, constitutum in identificatione mundi cum Deo.

2.° Dum dicitur quod mundus ex Dei substantia emanavit, vel emanatio ista sumitur *indivisibiliter*, ita ut mundus sit veluti *expansio* quædam substantiæ divinæ; vel sumitur *divisibiliter*, ita ut mundus sit pars quædam divinæ substantiæ, quæ in mundum quasi transeat vel transformetur; omnes namque pantheistarum sententiæ de re hac, ad aliquam ex his duabus tandem necessario revocantur. Si primum, mundus non distinguitur realiter a Deo, recurruntque proinde absurda et contradictiones, quæ supra exposita manent, ut quod Deus sit simul necessarius et contingens, materialis et spiritualis, mutabilis et immutabilis, perfectus et imperfectus, etc. Si secundum; ergo substantia Dei dividi potest in partes: ergo non est ens simplex sed compositum, ac proinde mutabile; verbo: non est Deus, nam, ut in Theodicea demonstrabitur, Deus, vel non existit, vel si existit est ens simplicissimum, indivisibile, ac immutabile.

THESIS 3.ª

Mundus per solam creationem ex nihilo ab Omnipotenti Deo perfectam, oriri potuit.

Quamquam hæc thesis probatione non indiget, utpote corollarium quod necessario sequitur ex confutatione aliarum sententiarum, demonstratur tamen breviter:

Mundus, utpote finitus, mutationibus et imperfectionibus obnoxius, contingens, materialis et divisibi-

lis, a seipso existere nequit, sed necessario productus fuit ab alio, ac proinde a Deo; nam etiam dato et non concesso, quod ille alius non esset Deus, sed res aliqua superior mundo, ejusmodi res, vel producta fuit ab alio quousque deveniatur ad ens a se existens, quod est Deus; vel a se existit nec ab alio producta fuit, et tunc est ipse Deus; atqui id quod productum fuit ab alio, ex seipso fuit aliquando nihil, saltem pro instanti pro quo productum fuit: ergo hoc ipso quod mundus productus fuit ab alio, necessario productus fuit ex nihilo sui et cujuscumque subjecti. Ergo mundus per creationem et non aliter incepit esse; nec enim creationis nomine aliud quidpiam intelligitur aut significatur, nisi productio rei ex nihilo sui aut subjecti præexistentis.

Corollaria:

1.m Infertur ex dictis in hocce articulo, creationem esse quidem veram actionem, non vero mutationem proprie ac in rigore philosophico; quia ad mutationem proprie dictam requiritur quod subjectum aliquod præexistens transeat ab uno statu ad alium, acquirens, vel amittens aliquam realitatem: quod sane locum non habet in creatione, per quam ipsum totum subjectum fit. Ad rem D. Thomas: (1) « In omni mutatione vel motu, oportet esse aliquid aliter se habens nunc quam prius; hoc enim, ipsum nomen mutationis ostendit. Ubi autem tota substantia rei in esse producitur, (ad existentiam perducitur) non potest esse aliquod (subjectum) idem, aliter et aliter se habens, quia illud non esset productum sed productioni præsuppositum: non est ergo creatio mutatio. »

2.m Ergo creatio est actio ex sua natura instantanea, tum quia hic modus agendi, utpote perfectissimus, Deo competit, tum quia nullam prærequirit dispositionem ex

---

(1) *Sum. cont. Gent.* lib. 2.° cap. 17.

parte subjecti vel materiæ, prout contingit in agentibus creatis. (1)

3.m Ergo repugnat mundum esse æternum, saltem quoad entia successiva, ut sunt motus localis, generationes et corruptiones rerum, etc. Succesio namque essentialiter includit pluralitatem rerum quarum una sit post aliam: ergo repugnat ens succesivum, qua tale, esse æternum et produci per actionem instantaneam, qualis est creatio. Dixi *saltem quoad entia successiva*, quia quoad permanentia, non desunt insignes quidam philosophi qui opinantur, demonstrari non posse, mundi æternitatem quoad entia permanentia absolutam repugnantiam involvere; quam opinionem tuetur etiam D. Thomas, cujus mens circa possibilitatem creationis æternæ, verbis hisce tota continetur: «Si ponatur causa producens effectum suum subito, (in instanti, prout contingit in creatione) non repugnat quod non præcedat duratione suum causatum; repugnat autem in causis producentibus effectum per motum, quia oportet quod principium motus præcedat finem ejus.» (2)

SCHOLIUM.

Cæterum, quidquid sit de absoluta possibilitate æternitatis mundi, ex divina revelatione certo habemus, mundum non ab æterno, sed ex tempore et cum tempore, conditum a Deo fuisse. Cui revelatæ veritati adstipulantur et ratio naturalis, et observationes geologicæ, et monumenta astronomica et historica, quæ universa

(1) Circa creationem vid. *Estudios sob. la Filos.*, etc. lib. 3.° capp. 5.°, 6.°, 7.°, 8.° et 9.°

(2) Opusc. 27.

mundum, non ex æternitate, sed per determinatam durationem extitisse, significant, ac quoad hominum genus fere demonstrant.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Non repugnat series infinita rerum, quarum aliæ ex aliis procedant, quin unquam ad extremum deveniatur; atqui ea in hypothesi nulla erit necessitas admittendi primam aliquam causam: ergo.

Resp. 1.° Neg. maj. Ut enim supra ostensum est, repugnat numerus actu infinitus, prout esset series in argumento supposita, eo ipso quod supponit in tali serie nunquam ad extremum posse deveniri.

Resp. 2.° Etiam omissa maj. neg. min. Siquidem, cum series quæ hic supponitur, sit ordinata, ita ut unum ex alio procedat et gignatur, repugnat eam existere et concipi absque aliquo primo a quo incipiat, non secus ac ultimum repugnat sine medio. Quacumque itaque serie ordinata posita, sive finita, sive infinita, nec concipi, nec existere potest ens *præsens* hujus seriei, quin ex aliquo *primo* incœperit; nam si nullum supponatur primum, nec perveniri potuit ad *medium* præsens.

Objic. 2.° Quod humano conceptu repræsentari nequit, contradictionem implicat atque esse non potest; sed creatio ex nihilo, hominis conceptu nequit repræsentari: ergo repugnat ejus existentia.

Resp. Omissa, maj. cum fidei mysteria hominis conceptu proprie non repræsententur, quin idcirco contradictionem involvant, dist. min. Creatio ex nihilo hominis conceptu *imaginario* repræsentari nequit, conc. conceptu *rationis*, subd. *conceptione perfecta et perspicua*, conc. *imperfecta et minus perspicua*, neg. Utique, imaginatio sensibilibus et materialibus assueta, assurgere

nequit ad repræsentationem creationis ex nihilo. Ast vero ratio, dum ei creationis notio proponitur, ac simul per legitimum ratiocinium pervidet, mundi originem non aliter explicari posse quin absurda offendantur, nisi per productionem ex nihilo, ad ideam possibilitatis et existentiæ creationis assurgit, facileque detegit, creationem nedum rationi minime repugnare, sed eidem prorsus esse consentaneam. Quod si ejusmodi notio perfecte perspicua nobis non apparet, id non creationi tantum, sed plurimis aliis rerum notionibus congruit. Creationem ergo inficiari, quia eam non satis perspicue concipimus, idem est ac negare quercum ex glande procedere, quia non satis perspicue concipimus, qua ratione ibi contineatur aut inde evolvatur.

Objic. 3.° Si mundus a Deo producitur per creationem, Deus contineret in se principium eorum quæ in mundo reperiuntur; atqui Deus non continet principium omnium quæ mundo conveniunt: ergo. Prob. min. Mundus est limitatus; sed Deus non continet in se principium limitationis mundi: ergo.

Resp. Dist. maj. Si mundus, etc. si sint *perfectiones seu realitates positivæ*, conc. *secus*, neg. Itaque, ex eo quod mundus a Deo procedit per creationem, legitime infertur quod in Deo præcontineatur quidquid perfectionis ac entitatis positivæ est in mundo, cum causa efficiens ac præsertim ea quæ totum effectum producit, hunc superare aut saltem æquare debeat. Cum ergo limitatio et finitudo mundi, non perfectiones aut entitates positivæ sint, sed quid negativum ac ex seipsis nihil, non indigent in Deo præcontineri ulla ratione, sed potius præcontinentur in ipso nihilo, quod est veluti terminus a quo creationis. Ubi obiter iterum recolendum, effectum qui creatur, dici ex nihilo creari, non quod nihilum sit materies effectus creati, sed quia est veluti terminus a quo actionis qua res creatur.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

CAPUT SECUNDUM.

DE PRINCIPIIS PRIMIS CORPORUM.

Profecto, si Cosmologia corporeas naturas corporumque affectiones et attributa suscipit investiganda, vestigare proculdubio debet prima elementa seu principia interna corporum, cum proprium maxime sit scientiæ cognoscere res per causas. Quamvis ergo vix quidquam omnino certi et demonstrati salebrosa ista controversia patiatur, eamdem tamen ad trutinam oportet revocare, ut quid saltem probabilius habeatur determinare liceat. Atque ut ex ordine procedamus, primo, philosophorum præcipua systemata de re hac exponere oportet; deinde, oppugnare ea quæ aut falsa, aut minus probabilia videntur; tertio, ostendere quodnam ex iisdem rationi magis consentaneum habeatur.

ARTICULUS PRIMUS.

Exponuntur præcipua philosophorum systemata circa prima principia corporum.

Ejusmodi porro systemata, quamvis si quoad minutiora ac sigillatim spectentur, innumera pene sint, universa tamen ad quatuor fundamentalia jure possunt revocari: *systema atomisticum*, *systema dynamicum*, *syste-*

ma atomistico-dynamicum, systema scholasticum, seu *materiæ primæ et formæ substantialis*. Itaque

A) *Systema atomisticum.*

Systema hocce, quod Leucippus, Democritus, Epicurus cum aliis e veteribus professi sunt, renovarunt ac sub variis formis instaurarunt post seculum decimum sextum Cartesius, Gassendus, Newtonus et alii. Ejus præcipua dogmata sequentibus continentur:

a) Corpora primitus constant ac coalescunt ex quibusdam minutissimis corpusculis, quæ *atomi*, *moleculæ*, *particulæ* nominantur, (1) variisque figuris, proprietatibus, extensione et motu, apud diversos propugnatores hujus systematis, potiuntur. Hujusmodi atomos et particulas, æternas et fortuito agitatas, veteres fingebant; philosophi vero christiani Christianismi luce perfusi, a Deo conditas asserunt.

b) Ex ejusmodi porro atomis varia ratione dispositis ac invicem conjunctis, diversa exsurgunt corpora quæ cernuntur in mundo.

c) Itaque, nulla datur vera corporum substantialis generatio, atque dum novum corpus gignitur, sive in universo apparet, nec substantialis aliqua forma, nec proinde substantialis mutatio in corpore producitur, sed præexistentes atomi nova ratione et ordine invicem mixcentur et junguntur.

---

(1) Newtonus *particulas primigenias* appellat: asserit enim, Deum materiam ita in rerum initio formasse seu produxisse, «ut primigeniæ ejus particulæ e quibus deinceps oritura esset corporea omnis natura, solidæ essent, firmæ, duræ impenetrabiles et mobiles; iis magnitudinibus et figuris, iisque insuper proprietatibus, eoque numero et quantitate, pro ratione spatii, in quo futurum erat ut moverentur.» Cartesius, tria atomorum genera admittit. Gassendus innumeras figuras eis tribuit; et sic quisque ex Atomismi fautoribus, atomos cum eis proprietatibus et figuris fingit, prout indiget pro systemate sibi præconcepto, vel potius præimaginato conficiendo.

B) *Systema dynamicum.*

Eo nomine insignitur, quia docet, corporum principia prima esse substantias quasdam simplices, omni extensione et divisibilitate orbatas, at simul præditas quibusdam viribus essentialiter eisdem inhærentibus. Atque

a) Leibnitz quidem, vult præfatas simplices substancias, quas *monades* nominat, et infinitas numero existere in quovis corpore, et perceptione, et appetitu, saltem imperfectis et quasi rudimentariis, singulas donari. Cui leibnitzianæ sententiæ proxime accedit.

b) Sententia Kant, qui docet, corporum elementa vel principia esse quasdam vires motrices, ex quibus varia corporum et extensionis phænomena exsurgant, juxta diversos gradus expansionis et concentrationis virium illarum.

Ast systema dynamicum, leibnitzianis figmentis purgare ac rationabilius exponere aggressus est

c) Boscowich, apud quem: 1.° corpora coagmentantur ex elementis vel particulis numero quidem finitis, sed simplicibus ac omni extensione orbatis: 2.° elementa præfata, non quidem perceptione et appetitione, ut Leibnitz voluit, sed duplici vi, attractiva, nempe, et repulsiva, singula donantur; quarum ope sibi invicem accedunt et appropinquant, ita tamen ut se non contingant: 3.° atque ex hac positione elementorum simplicium, spatiola vacua inter se relinquentium, exurgit extensio physica corporum.

C) *Systema atomistico-dynamicum.*

Atomisticam theoriam cum dynamica quodammodo conciliare nititur systema hujusmodi, dum hæc statuit:

a) Cum chimicis admittit, præter corpora mixta, existere alia quæ simplicia dicuntur, quia in partes similares et homogeneas tantum dividi possunt, ut hydro-

genium; atque hujusmodi moleculæ homogeneæ, ex quibus simplicia corpora constant, sunt atomi primitivæ corporum omnium; quorum proinde diversitas physica originem ducit ex sola diversitate atomorum corporum simplicium, variaque ac multiplici ipsorum mixtione.

b) Duplex distinguenda est vis molecularis: altera, qua moleculæ, vel atomi similares corporis simplicis attrahuntur et uniuntur, ut vis qua moleculæ hydrogenii unitæ manent, et hæc dicitur vis *cohæsionis:* altera, qua invicem uniuntur et cohærent moleculæ heterogeneæ, dum corpus aliquod componunt et constituunt, ut vis qua cohærent hydrogenium et oxigenium in aqua; et hæc dicitur *vis affinitatis*. Unde in corporibus simplicibus sola vis cohæsionis; in compositis vero, utraque simul locum habet.

c) Tam extensio quam vires præfatæ, quæ in atomis primitivis reperiuntur, ipsis non accidentaliter tantum, ut volunt puri atomistæ, sed essentialiter eis conveniunt. Atque hoc fere solo postremo pronuntiato, systema hocce a puro atomismo separatur.

D) *Systema scholasticum, seu materiæ et formæ.*

Systema hocce paulo fusius opus est exponere, tum quia ejus notio imaginationem transcendit ac ratione pura solum attingitur, tum quia hodierni philosophi, ac præsertim heterodoxi, in maxima versantur ignorantia circa ipsum, cujus vis aliud sciunt nisi nomina materiæ primæ et formæ substantialis. Itaque

a) Cum ex una parte certum sit, nullum corpus nec materiæ partem de novo creari, et ex alia parte ex ipsa experientia ac communi hominum sensu constet, corpora subjici mutationibus, non solum accidentalibus, sed etiam substantialibus; dum enim nascitur equus, v. c. vel producitur arbor aut efformatur triticum, proculdubio producitur *nova* substantia, ab aliis substantiis non accidentaliter modo sed *essentialiter* distincta, ne-

cesse est admittere subjectum aliquod harum mutationum substantialium; mutatio enim sine subjecto, nec esse, nec concipi quidem potest.

b) Ergo subjectum hujus mutationis substantialis: 1.° debet esse aliquid reale; nihilum enim nequit esse subjectum ullius mutationis: 2.° debet esse aliquid substantiale seu ad ordinem et genus substantiale pertinens: nam ex accidente nequit substantia gigni aut produci: 3.° non debet esse substantia actu, quia quod actualis jam est substantia, nec indiget, nec potest de novo produci, vel generari: 4.° debet esse quid potentiale et non actuale; etenim quod est subjectum mutationis, est in *potentia* ad id quod per mutationem acquirit, nec adhuc illud actu habet.

c) Ergo subjectum mutationum substantialium, quæ in corporibus observantur, describi potest: *Realitas substantialis et incompleta, nullum actum aut formam ex se habens, sed quæ capacitatem et potentiam habet ad universas formas substantiales:* atque subjectum hocce substantialis mutationis, prout hic definitur, est quod apud Aristotelem, D. Thomam et reliquos Scholasticos, denominatur *materia prima*, ut secernatur a subjecto mutationis accidentalis, quod in se jam necessario includit et supponit aliquem actum seu formam, possetque exinde dici *materia secunda.* (1)

d) Ex data definitione facile etiam colligitur, quod *materia prima* nullam formam substantialem *ex se* habet, cum ad omnes veluti indifferens sit; ast semper habet

---

(1) Apposite ad rem D. Thomas: «Sciendum est quod quædam materia habet compositionem formæ, sicut *æs* (ex quo fit statua) cum sit materia respectu *idoli;* ipsum tamen *æs* est compositum ex materia et forma: et ideo *æs* non dicitur materia prima. Illa autem materia quæ intelligitur sine qualibet forma, dicitur materia prima.» Opus. 31.

aliquam determinatam, cum nullum corpus actu existere possit, quin aliquam determinatam essentiam ac proinde formam substantialem habeat. Est itaque materia prima, realitas vera et positiva, in rerum natura vere existens; ast nunquam existit nisi perfecta et actuata per aliquam formam substantialem, ac constituens cum ipsa aliquam determinatam substantiam. Atque id significabant veteres Scholastici, dum ajebant, materiam primam esse non posse sine forma. (1)

e) Materia prima, quia ex se nullum actum seu formam habet, dici potest homogenea *negative*, quatenus, nimirum nihil in seipsa habet quo una ejus pars ab altera discriminetur, sed distinctio unius partis ab alia, tota procedit ex formis supervenientibus. Ast nihilominus dici merito potest prima radix quantitatis vel extensionis, quia quamvis extensio non insit materiæ solæ, tum quia materia prima nullam formam nec determinationem continet, tum quia nullibi sola existit, sed insit corpori quod ex materia et forma exurgit, hæc tamen extensio eatenus corpori inest quatenus et quia habet materiam partem essentialem sui. Unde quamvis tam extensio quam qualitates, vires activæ et omnia alia accidentia, corpori insint tanquam proprio ac per se subjecto, ab eoque dimanent tanquam ab immediata radice, rationi tamen consentaneum est reponere in materia remotam originem ac primam rationem sufficientem extensionis, sicut in forma substantiali merito repo-

(1) Scholasticorum quidam, ut Scotus et alii, opinabantur existentiam materiæ sine forma non subjici impossibilitati absolutæ seu metaphysicæ; alii vero opinati sunt ejusmodi existentiam involvere contradictionem, ac proinde nec per Dei potentiam effici posse. Cui postremæ sententiæ adhæret D. Thomas, qui præter alia, hæc scribit. «Quod aliquid sit et non sit, a Deo fieri non potest, neque aliquid involvens contradictionem; et hujusmodi est materiam esse sine forma.»

nimus originem et rationem sufficientem qualitatum ac virium quæ in corporea substantia observantur.

f) Dum materia prima concipitur pro eo instanti in quo formam substantialem recipit, spectatur ut privata omni forma; dum enim planta v. c. de novo generatur, necesse est dari aliquod instans in quo materia formam præhabitam exuat ut novam recipiat, cum éadem materia duplicem formam substantialem simul habere nequeat. Qua ratione, eoque sensu ajebant veteres, *privationem* esse quoque principium corporum, ast *in fieri*, non *in facto esse*, hoc est, privationem seu carentiam formæ substantialis reperiri pro aliquo instanti juxta naturæ ordinem vel prioritatem, in materia, *dum fit* productio novæ substantiæ, ita tamen ut hac semel producta vel generata, non remaneat privatio, sed solum materia et forma.

g) Porro, quia omnis mutatio non solum est *ex aliquo*, sed etiam *ad aliquid*, dum corpora substantialiter mutantur, assignare oportet non solum aliquid *ex quo*, sed etiam aliquid *ad quod* substantialis mutatio fiat. Ergo præter materiam primam, quæ est subjectum substantiale et principium potentiale corporis producti, necesse est dari aliquid, quod adveniens materiæ ipsam primo actuet determinando ejusdem potentialitatem, simulque cum ipsa novam substantiam constituat. Sicut ergo in mutatione accidentali v. gr. dum ex ligno conficitur statua Platonis, præter lignum *ex quo* statua est conficienda, requiritur aliquid quod lignum informando et actuando ipsius indifferentiam et potentialitatem ad plures homines repræsentandos, lignum determinet ad Platonem et non alium, non absimiliter in mutatione substantiali qua nova substantia producitur, præter materiam primam, requiritur aliquid quod ipsam actuet et informet, eamdem determinando ad hanc substantiam ac essentiam potius quam aliam constituendam.

h) Jam vero, principium hocce formale ac determinans, 1.° debet esse quid substantiale, tum quia primo actuat, determinat ac constituit substantiam, tum quia si esset aliquid accidentale, præsupponeret substantiam jam constitutam, et non solam materiam primam: 2.° debet esse quid reale, quia nihilum nihil actuare vel determinare potest: 3.° debet esse actuans ac determinans primum, quia si alium actum vel formam præsupponat, jam non erit principium actuans, nec determinans capacitatem seu potentialitatem materiæ primæ, quæ in hac hypothesi jam erit determinata per aliquem actum: 4.° debet esse quid incompletum, tum quia præsupponit materiam actuandam et determinandam cum qua novam substantiam constituit, tum quia substantia completa non est quid actuans et determinans aliud, sed quid jam actuatum et determinatum.

i) Ergo hujusmodi principium formale ac determinans materiam in substantia sive præexistente, sive de novo producta per generationem, non immerito a Scholasticis denominatur *forma substantialis*, eaque non incongrue posset describi: *Realitas quædam substantialis, sed incompleta, materiam primo actuans ac determinans ad constituendam simul cum ipsa substantiam complete subsistentem.*

j) Ex hac definitione, quæ ex dictis satis patet, infertur: 1.° proprium esse *formæ substantialis* dare rei *esse simpliciter*, hoc est, esse primum et fundamentale, quod est esse substantiale, quippe quod cæteris præsupponitur; namque *esse accidentale*, ut esse calidum, doctum, pulchrum, etc. quod rei tribuitur per formam accidentalem, est quoddam esse addititium ac secundarium, esse substantiale rei præsupponens; quapropter et appellatur *esse secundum quid:* 2.° formas substantiales *puras* (anima enim rationalis, utpote subsistentiam participans, non est pura forma substantialis) non esse terminum proprium crea-

tionis, sive per creationem non produci; si enim sermo sit de prima corporum productione, horum formæ non creatæ, sed *concreatæ* sunt cum materia; si vero sermo sit de corporeis substantiis quæ nunc generantur, ipsarum formæ producuntur, non per creationem, sed per actionem sui generis, quæ non immerito dicitur *eductio* ex materia.

k) Quod si quæratur quid sit formam educere ex potentia materiæ, et qua ratione locum habeat hæc productio formæ substantialis per eductionem, hujus rei notionem facile quis efformabit, si mente recolat, formas substantiales *puras*, hoc est, quæ existere nequeunt sine actuali unione cum materia, ut forma leonis, plantæ, etc. præcontineri debere aliqua ratione seu potentialiter in materia, ad eum modum quo figura Platonis potentialiter præcontinetur in marmore; nec enim artifex statuam Platonis ex præfato marmore conficiens, figuram vel formam Platonis, vel creavit ex nihilo, vel extrinsecus assumpsit, sed virtute activa et actione sua ex marmore eduxit: ergo hæc forma accidentalis aliqua ratione præcontinebatur in potentia marmoris; repugnat enim aliquid *educi* ex aliquo, nisi aliqua ratione in eo præcontineatur. Ergo similiter, nullum aderit inconveniens, imo etiam, rationi erit maxime consentaneum, quod agentia naturæ, quæ proculdubio potentiori vi et efficacia agendi fruuntur, possint ex materia educere formas substantiales in eadem virtualiter seu in potentia præcontentas. Pro cujus rei pleniori notione notare oportet, generationem substantialem per quam nova substantia producitur educendo formam ex materia, in hoc differre a creatione, quod hæc ex nihilo producit totum ens nihil ejus præsuponens; at generatio non producit totum ens, sed ipsius materiam præsupponit, quæ idcirco est veluti quædam entis producendi inchoatio.

l) Itaque, forma substantialis recte quoque dicitur,

actus primus materiæ, ut ajebant veteres; quod quidem ipsi triplici ratione potissimum congruit: 1.° quia est id quod primo, per se ac immediate actuat, perficit atque determinat materiam primam: 2.° quia est id quo substantia corporea primario constituitur in propria essentia et specie, ac ab aliis specifice distinguitur; id namque quod arborem, e. g. in propria ac determinata essentia constituit, ipsamque ab aliis corporeis substantiis essentialiter distinguit, est forma substantialis propria, cum materia, éadem sit ac ex se sola indifferens ad quamlibet formam: 3.° quia forma substantialis ex sua ipsa natura est actus, utpote essentialiter ordinata ad actuandam ac perficiendam materiam; unde nullum alium actum præsupponit: 4.° quia est prima radix facultatum, virium, actionum, imo accidentium quæ substantiæ corporeæ insunt, ita ut omnes hujus proprietates, facultates, vires et accidentia interna, sint veluti derivationes magis aut minus proximæ formæ substantialis (1).

m) Tandem substantia illa completa, v. g. arbor, vel equus, quæ coalescit ex materia prima et forma sub-

---

(1) Huic doctrinæ plane adsentitur Leibnitz, qui non solum formas substantiales cum Aristotele et Scholasticis admittit, sed hanc formam vocat *actum substantialem permanentem*, ac etiam *vim primitivam*, ex qua derivantur et oriuntur formæ accidentales seu qualitates ac vires secundariæ quibus agit substantia. «Aristote et l' Ecole après lui, inquit, ont appellé *Forme* ce qui est un principe de l' action, et se trouve dans celui qui agit. Le principe interne est ou substantiel, qui est appellé *âme*, quand il est dans un corps organique; ou accidentelle qu'on a coutume d' appeller *qualité*... La forme substantielle, comme l' âme par exemple, est permanente tout à fait... La faculté n' est qu'un *attribut*, ou bien un *mode* quelque fois. Mais la force, quand elle n'est pas un ingrédiant de la substance même, c' est-à-dire, la force qui n' est point *primitive* mais *dérivative*, est une *qualité*, qui est distincte et séparable de la substance. J'ai montré aussi comment on peut concevoir que l' âme est une force primitive, qui est modifiée et variée par les forces dérivatives ou qualités, et exercée dans les actions.» *Essais de Théod.* 1.ª P. núm. 87.

stantialis, dicitur *compositum substantiale;* quod quidem non est nec materia sola, nec forma, sed natura vel essentia quædam ab utraque distincta ac una unitate essentiali et substantiali. Cujus rei ratio est, quia materia et forma, eo ipso quod sunt substantiæ essentialiter seu ex propria natura incompletæ, ac ad id invicem essentialiter ordinatæ, ita immediate ac intima ratione uniuntur, ut constituant *unum* esse completum substantiale, seu substantiam quæ unicam habeat essentiam.

n) Atque hoc ipsum est quod significatur effato illo Scholasticorum: *esse compositi substantialis est unum simpliciter.*

Quod quidem effatum, non solum verificatur sensu exposito, sed etiam quia compositum substantiale, qua tale, nequit habere nisi *unicam* formam substantialem. Si enim altera supponatur, hæc erit substantialis, ut supponitur, et simul non substantialis; tum quia non erit actus primus materiæ, tum quia non tribuet rei esse primum et substantiale, cum ex hypothesi, aliam formam et proinde aliud esse substantiale præsupponat in materia (1).

---

(1) Leibnitz, quamvis systema scholasticum nonnihil quandoque deturpaverit suæ Monadologiæ placitis, ejusdem præstantiam et veritatem sæpe aliàs professus est, ut videre licet ejusdem opera evolventi, ac tandem hujus systematis necessitatem penitus agnovit, his verbis: « Lorsque je m' étais affranchi du joug d' Aristote, j' avais donné dans les atomes, car c' est ce qui remplit le mieux l' imagination; mais en étant revenu, après bien des meditations, je m' apperçus qu'il est impossible de trouver les principes d' une véritable unité dans la matière seule, ou dans ce qui n' est que passif, puisque tout n' y est que collection, ou amas de parties à l' infini. Or la multitude ne pouvant avoir sa réalité que dans unités véritables, qui viennent d' ailleurs, et sont tout autre chose que les points dont il est constant que le continu ne saurait être composé: donc pour trouver ces unités réelles je fus contraint de recourir à un atome formel, puis qu'un être materiel ne saurait être en même temps matériel et parfaitement indivisible, ou doué d' une vèritable unité. Il fallut donc rappeller et comme rehabili-

ARTICULUS SECUNDUS.

Expenduntur tria priora systemata.

THESIS 1.ª

Systema atomisticum insufficiens est ac ineptum ad explicanda prima principia essentialia corporum.

Probatur 1.° Systema atomisticum sub quavis forma proponatur, huc tandem recidit, ut corporum constitutionem ac differentias explicet per atomos seu particulas, extensione et motu præditas, ac diversimode sibi invicem conjunctas, permixtas aut adunatas: sed id prorsus insufficiens ac ineptum est pro explicanda prima corporum constitutione ac differentiis essentialibus: ergo. Prob. min. Dum quæritur de primis principiis corporum, quæruntur principia ita prima et universalia, ut reperiantur in omni vero corpore, hoc est, in corpore quovis sive magno, sive parvo, sive simplici, sive composito, quod non sit mera aggregatio aliorum corporum, ut acervus tritici et alia similia: atqui systema atomisticum solum utcumque exhibet principia corporum compositorum, non vero simplicium: ergo insufficiens est atque ineptum, etc. Minor patet; nam atomistæ atomos quidem jure vel injuria, adducunt tanquam principia pro corporibus compositis, ast nihil adducunt nec adducere possunt pro explicandis principiis et constitutione ipsarum atomorum; et tamen hujusmodi atomi vera sunt corpora,

---

ter les *formes substantielles*, si décriées aujourd'hui.» Quæ verba, præter theoriæ scholasticæ approbationem et veritatem, vehementem confutationem Atomismi præ se ferunt.

cum sint entitates materiales ac extensione præditæ, apud ipsos Atomismi propugnatores: ¿quid autem aliud corporis nomine intelligunt omnes, nisi entitatem materialem extensione præditam? Ergo Atomismus ineptus est ac insufficiens pro reddenda ratione constitutionis primitivæ corporum, imo etiam extra quæstionem egreditur seu vagatur, dum atomos materiales et extensas ac proinde corpora vera jam constituta et *principiata* in medium profert.

Ex quo

Prob. 2.ª thesis ac simul detegitur vitium radicale systematis atomistici. Siquidem, principium rei, ut per se patet, debet distingui a re cujus est principium; si enim ab ipsa non distinguatur jam non erit principium rei sed res ipsa: ergo prima principia corporum non debent esse corpora; secus enim idem essent principium et res principiata, res per seipsam explicaretur, fieretque manifesta nugatio et petitio principii.

Cum ergo atomi et particulæ ab atomistis propositæ sint vera corpora, quamvis minutissima, ut cuique facile patet, absurdum ac ineptum prorsus est prima principia ac constitutionem essentialem corporum quærere per Atomismum, sub quavis forma proponatur.

Prob. 3.° posset, si opus esset, falsitas Atomismi, etiam quoad corpora composita; 1.° quia per ipsum ratio sufficiens reddi nequit unitatis essentiæ, quam in iis cernimus; nemo enim dixerit unitatem essentiæ ac substantiæ quæ in leone, v. g. reperitur, oriri posse ex atomis varie quoad situm et dispositionem ordinatis: 2.° quia multo minus per atomos diversimode ordinatas congrue explicari queit distinctio essentialis, quæ inter animal, plantam et ignem, v. g. interest; rationi enim et communi hominum sensui repugnat affirmare aquam, v. g. ab animali solum differre motu, figura, numero ac situ atomorum.

THESIS 2.ª

Rejiciendus quoque Dynamismus ut insufficiens pro explicanda corporum essentiali constitutione.

Prob 1.° ratione generali. Dynamismus, sive ad sensum Leibnitz, sive Boscowich accipiatur, nihil est aliud quam hypothesis quæ nullo rationali seu experimentali solido fundamento nititur, adeo ut ipsemet Leibnitz hocce suum systema imaginationis ludum ac fictam hypothesim nuncuparit. Eadem ergo facilitate qua confingitur, rejicitur ejusmodi hypothesis. Sed præterea

Prob. 2.° speciatim quoad Dynamismum leibnitianum: 1.° quia ratione, communi hominum sensu ac experientia refragantibus, appetitio et perceptio corporeis cunctis substantiis tribuuntur: 2.° quia in quolibet vel minimo corpore, infinitum substantiarum numerum agnoscit; quod et aperte rationi repugnat, et infiniti notionem destruit, cum unum infinitum actu alio majus esse nequeat, et tamen numerus substantiarum quæ in duobus corporibus clauderentur, esset major numero clauso in uno ex his corporibus.

Prob. 3.° quoad Dynamismum boscowichianum. In ea hypothesi extensio physica corporis, v. g. mensæ, atque resistentia ejusdem dum tangitur, oriuntur ex vacuo simul cum determinato numero substantiarum simplicium; atqui absurdum est dicere physicam extensionem ac resistentiam corporum, oriri ex præfatis elementis: ergo. Minoris veritas statim constat, si mente recolatur extensionem physicam, quæ proculdubio aliquid reale est, et resistentiam corporum, quæ sane sicut ipsa realis est, ita ex extensione seu quantitate reali procedit, nec ex substantiis simplicibus, nec ex vacuo oriri posse: *non ex substantiis simplicibus,* quia illæ, fatentibus ipsis dynamistis, omni prorsus extensione ca-

rent, non secus ac puncta mathematica ; unde sicut nec extensio nec resistentia ulla physica oriri posset ex pluribus punctis mathematicis, ita nec ex præfatis substantiis : *non ex vacuo*, cum enim vacuum in seipso nihil sit, absurdum ac ridiculum est dicere, vacuum, id est, nihilum, esse elementum et causam extensionis realis corporum ac resistentiæ quam corpora extensa aliis corporibus offerunt.

Quod si quis objiciat, experimentis constare physicam extensionem ac continuitatem corporum quorumdam, præter partes materiæ spatiola vacua continere; in primis demonstrare opus esset, præfata spatiola quæ vacua supponuntur, revera vacua omnino esse, quod nunquam demonstrabitur, cum e contra valde probabile sit ea fluidis subtilissimis repleri. Deinde, etiam gratis data existentia illius vacui, nihil adhuc proficiunt dynamistæ; nam optime concipitur extensionem physicam exurgere posse ex particulis determinata extensione ac superficiebus præditis, ac sibi juxta positis sive unitis, quamvis interstitia vacua simul contineant et claudant: ast minime concipi potest puncta mathematica nullam extensionem nec magnam, nec parvam, nullamque superficiem habentia, extensionem realem constituere posse, imo etiam nec interstitia vacua inter se claudere; dum enim agitur de rebus prorsus inextensis, verba illa *inter se claudere, interstitia, juxta positio*, sensu rationali carent, ac sunt meri imaginationis lusus.

THESIS 3.ª

Rejicere quoque oportet ut insufficiens, systema atomistico-dynamicum.

Probatur. Hæc hypothesis, admittit cum Atomismo puro atomos quasdam primitivas extensione ac motu præditas, solumque ab illo differre vere potest, quatenus

motum essentialem atomis concedit: ergo 1.° huic hypothesi refragantur argumenta cuncta quæ adversus purum Atomismum protulimus: 2.° dum motum atomis essentialiter inesse concedit, rationi, experientiæ ac communi philosophorum doctrinæ adversatur, qui docent materiam inertiam sibi ut propriam vindicare.

SCHOLIUM.

In chimicorum sententia reffellenda non immoramur, tum quia ipsorum principia physicam tantum ac veluti secundariam corporum constitutionem ad summum explicare possunt, tum et maxime quia ipsorum elementa, si revera ultra resolvi nequeant, (quod nunquam certo asseri potest, cum ignoremus quo pertingere possit dissolutio corporum, maxime cum quotidie videamus in alia resolvi corpora quæ prius simplicia existimabantur) ad atomos primitivas puri Atomismi revocantur.

ARTICULUS TERTIUS.

Expenditur systema scholasticum.

THESIS 1.ª

Scholasticum systema, prout supra expositum est, rationabilius præ cæteris explicat corporum prima principia et essentialem constitutionem.

Dico *prout supra expositum est*, quia dum hic sermo habebitur de corporibus, intelligenda veniunt: 1.° corpora physice simplicia, hoc est, quæ sunt veræ sub-

stantiæ corporeæ completæ ex aliis completis non aggregatæ, sive hujusmodi simplicia corpora sint vulgaria elementa, sive ea quæ a chimicis assignantur: 2.° ea corpora composita quæ per generationem substantialem (quam revera dari postea ostendemus) de novo producuntur, ita ut essentiam et naturam obtineant ab elementis secundariis seu immediate ipsam ingredientibus penitus distinctam, ut plantæ essentia seu substantia penitus differt a semine, terra, aqua, oxigenio, acido carbonico cæterisque corporibus, quæ ad ipsius generationem concurrunt. Breviter: sermo est hic de corporibus simplicibus; quoad composita vero de iis solum quæ *mixta perfecta* apud Scholasticos dicebantur, in quibus elementa ita alterantur et permixcentur, ut substantia ex eis exurgens ab ipsis elementis essentialiter distinguatur, non vero de iis compositis in quibus minor habetur alteratio, ac elementa propriam servant in composito naturam, ut nix, spuma, in quibus aqua et aer propriam retinet naturam, quamvis aliqualiter et ad sensum alteratam: hæc *mixta imperfecta* dicebantur ab Scholasticis.

Cæterum, pro thesis nostræ firmitate, sufficit dari composita aliqua prioris generis, ut proculdubio sunt animalia et plantæ; ast minime requiritur, quod ut talia agnoscantur cuncta ea quæ Scholastici agnoscebant, cum fortasse corpora quædam quæ inter mixta perfecta recensebantur ab Scholasticis, annumeranda potius sint inter mixta imperfecta seu corporum aggregationes. Hæc præ oculis habenda etiam pro thesi sequenti.

Dixi etiam *rationabilius præ cæteris;* nec enim thesis ista rigurosam demonstrationem patitur, propter ipsam ejus naturam ac difficultatem maximam, cum agatur de rebus quæ sensus aciem effugiunt.

Quibus præmissis thesis veritas ostendi potest,

A) Quasi negative: 1.° Ex confutatione præceden-

tium systematum. 2.° Ex eo quod ipsorum manifesta absurda non offendat. Siquidem, scholasticum systema, ex una parte vitat radicale vitium Atomismi, sive puri, sive dynamici, qui corporum prima principia reponit in vero corpore, ac proinde identificat ac confundit principium rei cum re principiata, nec simplicium corporum (quæ tamen præcipua sunt) prima principia assignat: ex alia vero parte non offendit nec figmenta dynamismi leibnitziani, nec absurda boscowichiani, dum extensionem realem ac physicam corporum constitui ac exsurgere vult ex vacuo ac realitatibus prorsus inextensis.

3.° Quia dum systema scholasticum sibi ipsi constat non modo *interne* seu quoad mutuum ac intimum nexum partium, sed etiam *externe*, quatenus una et eadem ratione a suis propugnatoribus exponitur, secus omnino contingit in adversantibus systematibus. Nam si Atomismum perpendas, aliud est systema Anaxagoræ, aliud Leucippi et Epicuri, aliud Cartesii, aliud Gassendi, aliud Newtonis, aliud chimicorum. Si ad Dynamismum te convertas, alia et alia ratione ipsum exponunt ac tuentur, Pythagoras cum suis numeris, Leibnitz cum suis monadibus, Boscowich cum suis spatiolis vacuis. Ergo si varietas errorem et falsitatem, sicut unitas veritatem indicat, colligere sane licebit scholasticum systema ad veritatem proprius accedere, veroque simile præ cæteris existere.

B) Positive et directe:

1.° In systemate scholastico optime salvatur fundamentalis ac essentialis conditio ad rationem primorum principiorum corporum. Nam sicut unitas, quia est principium numeri, debet quidem esse aliquid ad ordinem numericum, ut ita dicam, spectans, non tamen debet esse numerus, ita prima principia corporum, saltem simplicium, debent quidem esse quid corporeum, non

tamen vera seu completa corpora. Jam vero, hoc ipsum est quod præcise adstruit scholasticum systema, apud quem materia prima et formæ substantiales sunt quidem aliquid corporeum, quatenus corporum naturam et ordinem non excedunt, ac in corporibus continentur ipsorum entitatem constituentes, ast in seipsis et seorsim acceptæ non sunt corpora.

2.° Experientiæ ac observationi etiam concordat hoc systema. Nam eadem ratione ac via investigare oportet prima corporum essentialia principia, ac ipsorum essentiam. Sicut ergo, quia corporum essentiam intueri aut immediate cognoscere non possumus, eam venamur ex corporum proprietatibus, effectibus ac accidentibus, ita similiter corporum prima et essentialia principia venari oportet ex ipsorum proprietatibus ac effectibus, eaque sunt assignanda quæ iis maxime congruant. Jam, materia et forma optime tanquam principia respondent proprietatibus et effectibus præcipuis ac veluti universalibus corporum. Siquidem, in his observamus et experimur ex una parte extensionem, ex qua affectiones aliæ, ut impenetrabilitas, occupatio loci, divisibilitas, etc., oriuntur: ex alia parte activitatem, quæ motu locali, alterationibus, productione aliorum corporum, generatione viventium, sensibus, vita vegetativa etc. varię ac multipliciter manifestatur ac sese exerit. Ergo systema scholasticum dum statuit materiam primam esse principium fundamentale et radicale extensionis, formam vero substantialem esse principium radicale activitatis quæ in corporibus reperiuntur, apprime consentaneum existit experientiæ et observationi quibus docemur, extensionem et activitatem esse veluti fundamentales et primitivas corporum proprietates, ex quibus reliqua, quæ in corpore accidunt, originem ducant.

3.° Concordat etiam quam maxime rationi. Equidem, si hanc communemque hominum sensum consu-

lamus, corpora unitati ac diversitati essentiali subjiciuntur; nemo enim prudenter inficiabitur essentiam seu naturam leonis v. g. esse vere ac substantialiter *unam* et non plures: similiter nemo inficiabitur hanc naturam leonis essentialiter a natura plantæ differre, ita ut sint duæ substantiæ corporeæ essentialiter ac specifice distinctæ. Itaque, cum unitas rei cum ejus entitate identificetur, hujusque legem et conditionem sequatur juxta effatum illud philosophorum: *unum et ens convertuntur*, corporum principia prima talia esse oportet, ut contineant rationem sufficientem præfatæ unitatis essentiæ quam in corporibus cernimus. Id vero Atomismo aut Dynamismo minime congruit; quandoquidem apud ipsos, plantæ, animalia, cæteraque sensibilia corpora, nihil sunt aliud quam collectiones aut atomorum aut substantiarum simplicium: ast vero in systemate scholastico, forma quæ, utpote actus primus et substantialis materiæ, hanc perficit, actuat ac determinat ad hanc vel illam completam substantiam constituendam, est radix et origo tam unitatis essentialis, quam diversitatis in corporeis substantiis. Ergo per solum scholasticum systema, ratio sufficiens ac philosophica potest reddi unitatis ac distinctionis quæ corporeis insunt substantiis.

4.° Similiter, solum hocce systema congruam ac philosophicam rationem reddit diversitatis primariæ inter corporeas et spirituales substantias. Nam atomistæ non aliam diversitatis rationem assignare queunt, nisi quod corpora sunt extensa, spiritus vero inextensi. At cum extensio apud philosophos, si Cartesium excipias, non sit ipsa substantia aut essentia corporis sed aliquid extra hujus conceptum, per hoc non assignatur vera ac propria ratio præfatæ diversitatis, seu differentiæ inter corpora et spiritus in ratione substantiæ. Multominus sufficientem hujus rei rationem assignant dynamistæ,

apud quos substantiæ ex quibus corpora coalescunt simplices sunt, sicut spirituales. Ergo in solo scholastico systemate redditur congrua et philosophica ratio sufficiens diversitatis quæ inter corpus et spiritum intercedit sub conceptu et ratione substantiæ, dum statuunt, corpus omne, quantumvis minima extensione præditum ac simplex ad sensum, esse substantiam compositam ex materia et forma, dum e contra, spiritus hanc compositionem excludunt, suntque formæ simplices.

A rationibus et argumentis aliis supersedeo, ne longius quam par est procedam. Quisquis allatas probationes, simul cum his quæ pro exponendo systemate, articulo primo protulimus, animo præjudiciis vacuo serio perpendat, facile ad afirmationem istam finalem deveniet: *Scholasticorum systema circa prima corporum principia, si non mathematice demonstratum, certe tamen probabilius et rationabilius quam reliqua existit ac tandem valde philosophicum.*

THESIS 2.ª

Admittenda est in corporibus substantialis generatio.

Prænotanda:

1.° *Generationis substantialis* nomine intelligitur mutatio illius esse primarii ac fundamentalis, quod accidentibus substernitur; unde asserere dari in corporibus generationem substantialem, idem est ac asserere corpora quandoque ita agere in alia corpora, ut ex ipsorum actione exurgant non solum nova accidentia, sed etiam nova substantia, non quidem quod tota vel integra substantia de novo producatur, ut in creatione, materia enim quæ est pars essentialis substantiæ generatæ præsupponitur generationi, ac eadem manet post generationem, sed quia in ea producitur, vel potius educitur virtute et

activitate agentis nova forma substantialis quæ materiam illam primam nova ratione actuando ac perficiendo, constituit cum ipsa naturam substantialem a præcedenti essentialiter distinctam: siquidem, ex supra expositis, forma substantialis est quæ dat esse substantiale rei, primumque principium formale et internum entitatis ac unitatis essentialis rei, atque exinde variata seu mutata forma substantiali rei, necesse est mutari rei essentiam, ita ut ubicumque nova forma substantialis producatur ac materiæ uniatur, necessario exurgat nova substantia.

2.° Quia ex dictis, generatio est mutatio corporis secundum substantiam, seu productio novæ essentiæ substantialis, ita tamen ut ejus materia de novo non producatur, consequitur plane exinde, existentiam generationis substantialis necessarium ac intimum nexum habere cum existentia novæ substantiæ; unde logice idem est demonstrare existere ac produci novas substantias corporeas, ac demonstrare existentiam generationis substantialis, sensu jam exposito, cum per se notum sit novam substantiam produci non posse nisi aut per creationem aut per generationem præfatam, quatenus producitur nova forma substantialis nova ratione informans, actuans et determinans materiam primam.

3.° Atque exinde infertur, rationes omnes quibus generationis substantialis existentia probatur ac firmatur, probare ac firmare simul veritatem systematis scholastici circa prima principia corporum, cum generatio substantialis existere, imo concipi non possit sine materia et forma substantiali.

Quibus præjactis, thesis probatur tum experientia, tum ratione.

A) *Experientia.*

1.° Hæc namque quotidie nobis ostendit animalia de novo produci seu incipere esse; atqui animalia sunt no-

væ substantiæ; quandoquidem nemo qui rationem et sensum communem non exuerit, inficiabitur canem v. g. vel leonem esse substantias essentialiter diversas a corporibus vel elementis materialibus ex quibus emerserunt: ergo ex ipsa experientia habemus novas substantias produci, ac proinde dari veram generationem substantiarum.

2.° His addi potest, ut cum eximio Goudin loquamur, alia experientia illustris et efficax ex eo desumpta, quod quotidie cernimus substantias producere alias sibi similes. Etenim, sicut motus motum producit, ita ignis ignem, planta plantam, equus equum, homo hominem. Porro hæc assimilatio non fit secundum accidentia tantum, sed secundum ipsam radicem accidentium, nempe, substantiam. Hujus signum est, quod productionis initio genitum a generante maxime differt secundum accidentia; deinde vero, eadem paulatim emergunt in materia quasi ex occulta radice, id est, ex principiis ipsis substantialiter mutatis.

3.° Sicut naturam corporum agnoscimus ac dijudicamus ex ipsorum proprietatibus ac effectibus, ita similiter mutationem ejusmodi naturæ vel essentiæ jure colligimus et dijudicamus ex mutatione proprietatum ac effectuum; atqui quotidiana et manifesta experientia docemur mutari proprietates ac effectus proprios corporum, ut proprietates ac effectus plantæ penitus diversa existunt a proprietatibus ac effectibus corporum quæ ejus productionem præcedunt, ipsique materiam veluti ministrant, proprietates cineris diversæ sunt a proprietatibus ligni ex quo productus fuit, etc.: ergo ex sensibili ipsa experientia ducimur ad agnoscendas mutationes substantiales corporum.

B) *Ratione.*

Quod attinet ad probationes rationis puræ, quamvis rigurosæ demonstrationes adduci nequeant, plurimæ ta-

men adsunt valde probabiles, inter quas eas seligimus, quæ a citato Goudin afferuntur.

1.ª Cum entia illa quæ *substantiæ* dicuntur, ab uno primo ente prorsus immutabili et simplici, scilicet, Deo, ordine quodam procedant, ut fides docet et ratio confirmat, necesse est, ut quo longius ab hoc puro et immutabili fonte recedunt, eo sint compositioni et mutabilitati magis obnoxia: sed substantiæ istæ corporeæ quæ circa nos sunt, magis a Deo recedunt quam spirituales: ergo sunt compositioni ac mutationi magis obnoxiæ. Atqui hæc major compositio et mutabilitas nequit attendi secundum accidentia sola, substantiæ enim spirituales accidentali compositioni et mutationi obnoxiæ etiam sunt: ergo superest, ut attendatur secundum principia substantialia.

2.ª Cum scopus divinæ sapientiæ in productione rerum sit manifestare et communicare suas perfectiones, debuit dare creaturis non solum ut sint, sed etiam ut operari possint, sicut ipse et est, et operatur. In Deo autem duplex est operatio; alia *ad intra*, qua seipsum cognoscit et amat; alia *ad extra*, qua res sibi aliquatenus similes producit. Ut igitur utrumque participaretur et reluceret in operibus Dei, primus operandi modus qui nobilior est, debuit dari substantiis spiritualibus, utpote primogenitis; unde illæ ad intra operantur, se et alia in se cognoscendo et amando. At vero alter operandi modus, scilicet, ad extra per productionem sui similis, debuit concedi substantiis corporeis, in quibus etiam videmus, quamlibet, quantum potest, eniti ad productionem sui similis.

3.ª « Ut ait D. Thomas *Opusc.* 2.° cap. 74, mundi perfectio exigit, ut in eo sint omnia substantiarum genera: sicut ergo in mundo sunt quædam substantiæ incorruptibiles, ita quoque in eo esse debuerunt quædam substantiæ corruptibiles, in quibus locum haberet vi-

cissitudo illa substantialis, quæ est secundum corruptionem et generationem, ut ex ea veluti ex pulcherrima scena, mundi theatrum ornaretur.»

Superest ut quædam adjiciantur tanquam corollaria pro pleniori intelligentia tam generationis substantialis, quam universi systematis Scholasticorum, apud quos

1.° Duplex existit generationis substantialis terminus, nempe, terminus *qui*, et terminus *quo*. Primus dicitur ille qui generativam actionem terminat, tanquam id quod per eam complete existit, seu habet existentiam *ut quod:* alter vero terminat generationem, tanquam id quo res seu substantia completa gignitur, ac proinde tanquam ratio *qua* genitum constituitur.

2.° Termini generationis quatuor possunt enumerari, scilicet, *forma substantialis; natura* ex materia et forma exurgens, quæ etiam dici solet *natura totalis*, et *compositum physicum*; *suppositum*, quod etiam quandoque *compositum metaphysicum* appellatur; ac tandem *proprietates*, quæ essentiam necessario concomitantur ac consequuntur.

3.° Itaque, forma substantialis est terminus *quo* generationis; nam forma non est proprie id *quod* generatur aut de novo producitur, sed potius id *quo* ens generatur: sic forma substantialis plantæ non est id *quod* generatur, cum forma non sit nisi pars plantæ generatæ vel productæ, sed est id *quo* generatur, quia est id quo seu ratione cujus planta essentiam propriam adsequitur, ac evadit nova substantia ab aliis distincta.

4.° Natura seu compositum physicum, prout concipitur sine subsistentia, dicitur terminus *quo totalis* generationis: terminus quidem *quo*, quia natura vel essentia sine subsistentia non est proprie id *quod* existit; sicut non humanitas sed homo est *qui* existit; terminus vero *totalis*, quia non partem solam essentiæ, ut forma substantialis significat et exprimit.

5.° Terminus *qui* generationis est solum suppositum seu natura substantialis quatenus subsistentia prædita. Etenim, sicut solum suppositum proprie est id quod existit, seu habet existentiam ut ipsius subjectum adæquatum et completum, ita etiam de solo supposito proprie dici potest, quod est id quod generatur et generatum est.

6.° Quod attinet ad proprietates, sicut concipiuntur tanquam quid secundarium respectu essentiæ, ita similiter dici potest, quod sunt terminus *secundarius* generationis, quatenus actio generativa quæ *primo* respicit essentiam, *secundario* ac consequenter respicit ejusdem proprietates.

7.° Quæ de generationis termino diximus, eadem facile applicantur corruptioni substantiali, quæ, utpote generationi opposita, semper adest dum novæ substantiæ generatio fit: unde tritum illud apud Scholasticos: *generatio unius est corruptio alterius.*

SCHOLIUM.

In exponendo ac firmando systemate scholastico plus solito immorati sumus, non modo quia ipsum cæteris probabilius haberi debet, sed etiam quia ejus cognitio maxime necessaria existit ad capienda scripta opera Scholasticorum, ac in primis ipsius D. Thomæ. Nemo quippe hujus libros cum fructu evolvere potest ac perlegere, nisi perspicuam præhabeat notionem scholastici systematis circa corporum prima principia ac generationem substantialem; quandoquidem singulis fere paginis in Angelico Doctore occurrunt doctrinæ tam ad Philosophiam quam ad Theologiam spectantes, quæ exponuntur, illustrantur et evolvuntur per rationes, nomina, exempla et analogias ex præfato systemate

desumptas, quæ capi ac intelligi nullatenus possunt, quin hujus systematis notio præhabeatur. Hinc eis ipsis qui scholasticum systema rejiciunt, maxime expedit ipsum saltem bene nosse ac perpendere, si optant aditum habere ad doctrinam ac reliqua dogmata veterum Scholasticorum, ac præsertim D. Thomæ.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Corporum principia seu elementa assignanda sunt ea quæ in corporibus deteguntur ope synthesis et analysis; atqui ope synthesis et analysis in corporibus non materia prima et forma substantialis, sed simplicia quædam corpora deteguntur, ut ex chimicis constat experimentis: ergo.

Resp. Dist. maj. Assignanda sunt ea quæ deteguntur in corporibus ope synthesis et analysis *rationis*, conc. ope synthesis et analysis *experimentalis et humanæ*, subd. *si agatur de primis corporum principiis*, neg. *si de principiis secundariis*, trans. Prout supra jam adnotatum manet, quæstio hic habetur de *primis* principiis corporum, ac proinde de principiis quæ non solum in mixtis corporibus sed in simplicibus quoque reperiantur. Cum ergo principia seu elementa quæ nunc habentur et in posterum habebuntur ex chimicis experimentis, necessario sint vera corpora, nequeunt agnosci tanquam *prima* corporum principia, nisi velimus principium cum re principiata identificare et confundere. Quæ igitur Chimica experitur ac docet, valde quidem utilia existunt ad dignoscenda elementa secundaria corporum horumque proinde proprietates, determinatas manifestationes et vires, qua ex cognitione maxime juvantur ac promoventur industria, navigatio, ac generatim cunctæ artes. Sed instabis: Ergo saltem quoad mixta, agnosce-

re oportet elementa chimicorum tanquam principia, et non materiam primam et formam substantialem.

Resp. Neg. cons. vel dist.: *quoad mixta imperfecta*, conc. *quoad mixta perfecta*, neg. Quid sibi velint hæc nomina jam supra innuimus. Sufficiat hic addere, elementa quæ materiam ministrant mixto perfecto ita alterari, ut propriam formam substantialem exuant, atque simul induant et veluti subjiciantur formæ substantiali propriæ mixti. Atque hanc quidem completam et insignem alterationem venamur ex collatione proprietatum, effectuum mixti, atque elementorum, quæ ipsi materiam ministrant. Non diffitebor tamen ejusmodi collationem non semper nos tuto ducere posse ad dijudicandam naturam alterationis, ac proinde mixti exurgentis ex eadem: unde quandoque difficile est dignoscere, utrum mixtum de novo productum sit perfectum aut imperfectum; attamen pro firmitate nostrarum thesium, sufficit aliqua generari mixta perfecta, qualia sunt proculdubio plantæ et bruta, simulque quædam existere corpora simplicia, sive quæ in alia physice resolvi nequeant. Quod si quis contendat lapides quosdam, aliqua metalla aut alia corpora ex his quæ Scholastici enumerabant inter mixta perfecta, talia non esse sed imperfecta tantum, non multum renuam ac facile cedam.

Objic. 2.° ac simul instabis: Dum ex concessis chimicorum systema industriam et artes plurimum fovet atque juvat, systema scholasticum nullam utilitatem præ se fert, nec ex illo aliquid illustratur aut perficitur in scientiis naturalibus aut physicis: ergo rejiciendum est, aut saltem præferre oportet chimicorum theoriam.

Resp. 1.° Neg. ant. Sunt enim phænomena quam plurima naturalia, philosophica ac physica, quæ nonnisi per scholasticum systema congrue explicari possunt, ut apertissime apparet in plantis et brutis, quorum na-

tura, vita, generatio et operationes multiplices, congrue aut philosophica ratione nequeunt explicari nisi per formam ac generationem substantialem. Id ut prætermittam, præcipuam circa hominem scientiam, seu psychologiam, nec concipi quidem vix posse, nisi adhibito scholastico systemate.

Resp. 2.° Etiam gratis dato ant. neg. cons. Siquidem, in systemate rationali ac metaphysico circa prima corporum principia, non major aut minor aptitudo pro industria et artibus est attendenda; id enim quærere jure debent scientiæ naturales et physicæ: ast metaphysica veritatem primo quærit ac systemata veritati magis affinia, applicationem vero ad artes et industriam nonnisi remote et secundario.

Objic. 3.° Nihilum nequit esse principium corporum; sed materia prima Scholasticorum revera est nihilum: ergo. Prob. Quod non est ens actu, nihil est; sed apud Scholasticos materia prima non est ens actu: ergo. Idque confirmatur ex ipsa Aristotelis definitione, dum ait, materiam hanc «non esse quid, nec quale, nec quantum, nec aliquid eorum per quæ ens determinatur;» quod autem nullam determinationem entis involvit, nihil est.

Resp. Neg. min. Ad prob. neg. maj. Nam inter ens actu seu determinatam essentiam habens, et nihilum, mediat, ut merito docet D. Thomas, potentia realis ac subjectiva essendi: quapropter cum materia prima sit potentia realis, vel si mavis, realitas potentialis susceptiva primi actus essendi seu formæ substantialis ac per istam essentiæ determinatæ, distinguitur profecto a nihilo, quod quidem non solum excludit actum essendi seu entitatem determinantem et actuantem, ut materia prima, sed excludit etiam potentiam realem et positivam actum essendi respicientem, quam non excludit sed includit materia prima.

Atque hic notare juvat apparentem vim argumenti

hujus, ad quod postremo confugere solent adversarii scholastici systematis, ex his duobus originem ducere: 1.° ex difficultate quam experimur concipiendi, seu potius imaginandi realitatem sine ullo existentiæ actu; quæ quidem difficultas maxima ex parte evanescit, si præ oculis habeatur, materiam primam non esse concipiendam quasi esset realitas posita in rerum natura sine ullo existentiæ actu, nam id esset ponere realitatem existentem sine existentia; sed concipienda est tanquam realitas ac entitas quæ, quamvis *ex se* seu quatenus est realis potentia ad hanc vel illam essentiam substantialem, actualem existentiam non habeat, semper tamen actu ac de facto existentiam habet, quia semper actu et de facto habet formam cum qua constituit essentiam determinatam: 2.° ex ignorantia seu non recta perceptione alterius doctrinæ D. Thomæ, ac universim Scholasticorum, apud quos prima divisio entis realis est in actum et potentiam realem.

Quod attinet ad confirmationem ex definitione Aristotelis, dicendum ipsum materiam primam præfata ratione merito descripsisse, quia propter ipsam ejus minimam entitatem, melius eam concipimus per negationem et remotionem, quam per conceptus positivos. Sicut enim difficultas et labor in videndo, quandoque ex luce nimia, quandoque ex hujus defectu seu debilitate originem ducit, ita etiam difficultas et labor in intelligendo seu concipiendo objecta, ac proinde necessitas confugiendi ad definitionem rei per negationes et remotionem, quandoque oritur ex nimia entitate rei, ut nobis contingit respectu Dei; quandoque vero ex minima entitate rei, ut in materia prima.

Instabis: Ratio puræ potentiæ identificatur cum nihilo: ergo. Prob. ant. Mundus antequam crearetur, erat in pura potentia ad essendum; atqui mundus antequam crearetur, in se et ex se erat merum nihilum: ergo simi-

liter, si materia prima sit pura potentia, revera identificatur cum nihilo.

Resp. Dist. ant. Ratio puræ potentiæ *objectivæ* seu *mera possibilitas rei* identificatur cum nihilo, conc. potentiæ *subjectivæ*, neg.

Potentia objectiva quæ etiam dicitur possibilitas, utpote mera non repugnantia rei ad essendum, nullam realitatem includit, ac proinde de ea dici potest quod identificatur cum nihilo; sub quo conceptu verum est quod mundus antequam crearetur, sive mundus possibilis, qua possibilis et abstrahendo ab existentia in ideis divinis, identificetur cum nihilo. Ast vero potentia subjectiva aliquid reale esse potest, sicut intellectus aliquid reale est et realitatem involvit, quatenus realem capacitatem sibi vendicat ad quaslibet scientias, etiam antequam eas actu possideat. Atque hujus posterioris generis est potentialitas materiæ primæ: unde non identificatur cum nihilo, sicut contingit in potentia objectiva seu possibilitate rei.

Objic. 4.° Substantiarum generatio, prout adstruitur in systemate scholastico, nec existere, nec concipi potest, nisi producatur pars præcipua substantiæ generatæ, nempe, forma substantialis; atqui repugnat ens substantiale produci virtute agentis creati: ergo.

Resp. Dist. maj. Nisi producatur *per creationem ex nihilo* forma substantialis, neg. *per eductionem ex præsupposita materia*, conc. Et ad min. similiter dist. Repugnat ens substantiale *completum ac subsistens* produci virtute agentis creati, conc. ens substantiale *incompletum quodque sit tantum actus materiæ præexistentis*, neg. Itaque pro solutione argumenti satis sit hæc duo præ oculis habere: 1.° ex his quæ supra de termino generationis adnotavi, habetur, quod proprie loquendo, forma substantialis non est res producta per generationem, sed potius id *quo* res tanquam forma seu principio formali

generatur ac producitur: 2.° forma substantialis non producitur per creationem ex nihilo, ad quod certe nullum agens creatum pertingit, sed per eductionem ex materia, in qua potentialiter præcontinetur tanquam in quadam ejusdem inchoatione, ad sensum supra jam expositum. Quod si videmus ac experimur quotidie, agentia naturalia formas seu determinationes accidentales propria virtute posse producere, non eas quidem ex nihilo creando sed ex potentia materiæ educendo, non video qua ratione demonstrari possit repugnare productionem formarum seu determinationum substantialium, præsertim cum hujusmodi formæ sint realitates essentialiter incompletæ in linea entis et substantiæ, ita ut non tam substantiæ quam determinationes et principia substantiæ dici revera possint.

Atque hic notare quoque libet, formam substantialem, mea saltem sententia, non in potentia materiæ tantum, sed in agente quoque virtualiter contineri: siquidem, quo agens ad generationem vel productionem substantiæ, perfectiori natura ac potentiori efficacia et vi agendi donatur, eo perfectiorem ac nobiliorem formam substantialem producere potest.

Objic. 5.° Ex Chimiæ progressu ac recentibus experimentis colligere licet corporum mutationes, quæ prius ut corruptiones et generationes substantiales habebantur, nihil esse aliud quam analyses et systheses atomorum; sic aqua, v. g. vi efficacissima electrici in oxigenium et hydrogenium resolvitur, iterumque ex iisdem constituitur. Cum ergo hoc idem quoad reliqua corpora suspicari liceat, præsertim cum vires naturæ artis vires et efficaciam superent, pronum est conjicere nullam dari veram corporum generationem substantialem.

Resp. Objectio ista cui aliqui vim magnam fostasse concedent, omnium infirmissima potius existit. Nam

1.° Etiam si concedatur id totum quod ex experien-

tia profert, simulque corpora quæ similibus synthesibus et analysibus subjiciuntur substantialiter non generari, nihil exinde licet jure colligere adversus existentiam generationis substantialis; quandoquidem, ut supra jam adnotatum fuit, ejusmodi generatio semper locum habere poterit, saltem respectu corporum simplicium quæ effugiunt omnem chimicam analysim vel actualem, vel possibilem in posterum. Verbo: quavis analysi posita, semper ac necessario deveniet ad elementum quod sit verum corpus: jam vero, sicut Chimia nunquam demonstrabit hocce elementum quod est verum corpus, non constitui ex materia prima et forma substantiali tanquam primis essentialibus principiis, ita nec demonstrare unquam poterit præfata corpora non subjici generationi substantiali.

2.° Ast in rei veritate, chimici nullum jus habent ad negandam substantialem generationem, etiam quoad corpora mixta vel composita inorganica: siquidem, hucusque nullum corpus revera et absolute simplex detexerunt, quod ex eo constat, quod ea ipsa corpora simplicia ab eis nuncupata, ut oxygenium, bases oxidorum metallicorum, etc. ex duplici saltem elemento coalescunt, nempe, ex dato corpore, ac ex electrico; quoniam ex ipsorum ipsis experimentis constat, oxygenium et bases metallicas, dum a cæteris separantur, ope pilæ voltaicæ, electricitatem vel positivam vel negativam habere; unde quousque chimici nobis offerant corpus cui electricum nullum insit, nonnisi corpora composita ex duplici saltem elemento objicere queunt, ac proinde substantialem generationem demonstrative rejicere nequeunt, etiam quoad corpora quædam mixta.

3.° Experimenta ipsa et phænomena quæ in objectione habentur, generationi substantiali minime officiunt, vel potius rem non attingunt. Propugnator namque scholastici systematis, experimenta et phænomena

prædicta, non secus ac chimicus admittit et fatetur; ab illo tamen dissentiet quoad conclusionem deducendam ex ejusmodi phænomenis. Dum etenim chimicus ex eis infert, fluidum electricum nihil aliud effecisse nisi disjungere oxygenium et hydrogenium, primus colliget veram ibi adfuisse corruptionem aquæ, et generationem substantialem hydrogenii et oxygenii, ad eum modum quo cinis substantialiter differt a ligno combusto. Itaque, phænomena quæ habentur dum aqua aut oxida metallica (ut allatis exemplis insistamus) actione electrici subjiciuntur, si in seipsis solum spectentur, nihil certo demonstrant, nec pro generatione substantiali, nec pro simplici analysi, sed quænam harum sententiarum vera sit aut magis probabilis, dignoscendum est aliis ex indiciis et rationibus.

Cum ergo generalia et rationalia fundamenta scholastici systematis chimicorum systema evertant, ac ipsa indicia experimentalia in allatis exemplis generationi substantiali faveant; quandoquidem proprietates et vires quæ rerum essentiam nobis revelant, prorsus discriminantur in aqua v. g. ac in hydrogenio et oxygenio, colligere jure possumus, experimenta ac phænomena allata in objectione, confirmare potius quam infirmare existentiam generationis substantialis, etiam determinate et speciatim quoad corpora quæ ut mixta et composita a chimicis habentur.

4.° Tandem, etiamsi gratis daretur analyses et syntheses quas chimici instituunt in corporibus inanimatis, substantialem generationem ex eis excludere, hæc tamen semper locum habebit, non solum quoad corpora primo et absolute simplicia, ut jam dixi, sed etiam et maxime quoad plantas et bruta, nisi chimici nobis dicere velint, ubinam inter elementa per suas analyses et syntheses habita, repererint illud quod vitam præstat brutis animalibus.

Objic. 6.° cum Tongiorgi. Peripateticum systema circa prima corporum principia, falsitatis evincitur: 1.° quia per illud sufficiens ratio reddi nequit, «cur binæ substantiæ quæ ad certum quoddam compositum efficiendum concurrerunt, hoc dissoluto, prodeant eædem quæ antea.» 2.° «Quia negandum est, compositum, quoad suas qualitates et dispositiones, suis elementis esse proximius, quam aliis substantiis: aqua, v. gr. quoad proprietates suas omnes, multo minus ab alcool distat, quam ab oxygenio vel hydrogenio, quæ sunt ejus elementa.» 3.° «Quia negandum, qualitatum affinitatem et propinquitatem vinculum successionis, de quo agimus, inter substantias inducere.» 4.° «Quia negandum, sive calorici, sive electrici virtute novum esse produci posse: utraque enim vis non agit nisi movendo, nihilque aliud per se producit nisi motum.»

Resp. 1.° Hæc omnia, sicut et alia minoris momenti quæ laudatus Tongiorgi oggerit, facile solvuntur ex his quæ in præcedentium objectionum solutionibus edidimus. Namque

Ad primum: Si sermo sit de compositis organicis vel animatis, substantiæ eædem non quidem numero sed specie quandoque existunt post dissolutionem compositi, quia dum istud corrumpitur, substantiæ illæ de novo generantur, ratione jam exposita. Si vero phænomenum illud locum habeat in corporibus inorganicis, vel nova ibi intervenit generatio, vel compositum illud non per veram generationem substantialem constitutum fuit, sed per mixtionem et alterationem magis aut minus intimam et perfectam; quo in casu nihil mirum, quod post dissolutionem eadem elementa remaneant.

Ad secundum et tertium: In primis, systema peripateticum independens est quoad substantiam ac præcipua ejusdem capita, ab affirmationibus illis secundariis circa proximitatem qualitatum compositi et elementorum

quæ ad hujus generationem concurrunt, sicut et circa vinculum successionis, si de omnibus et singulis compositis hæc intelligantur. Deinde, etiam admissis ejusmodi affirmationibus quoad omnia et singula composita, id accipiendum est de propinquitate et affinitate radicali inter compositum et ejusdem elementa, quatenus hæc in composito etiam post alterationem quam subierunt pro generatione substantiali, retinent dispositionem et aptitudinem quamdam ad proprium esse et specificas proprietates seu qualitates, quamtumvis hæc postremæ impediantur quoad actum secundum, et veluti obruantur a proprietatibus et qualitatibus, quæ ex nova et nobiliori forma substantiali in composito generato v. gr. in animali, efflorescunt. Nec alia ratione proprietatum affinitatem ac vinculum succesionis in generationibus et corruptionibus accipere poterant Scholastici, qui probe sciebant leonem, ex. c. habere majorem affinitatem quoad proprietates et qualitates cum bove, quam cum hydrogenio, acido carbonico, vel si mavis, cum aqua, terra, etc. vel aliis similibus substantiis in quas leonis corpus resolvitur.

Adde his, naturam substantiarum vel elementorum quæ ex compositis oriuntur, dum illa pereunt, variam quandoque existere pro varietate causarum et agentium ex quibus corruptio originem duxit. Sic aliæ sunt substantiæ quæ ex corpore animalis prodeunt, dum post mortem actioni caloris, aeris etc. obnoxium relinquitur; aliæ, dum ab his et similibus agentibus præservatur; aliæ, dum animal incendio vel igne combustum fuit; aliæ, dum alia ratione mortem oppetiit.

Ad quartum: Eodem jure quo Tongiorgi asserit caloricum sive electricum nihil nisi motum producere, eodem, imo potiori jure licet nobis id denegare. Scimus enim ex physicis experimentis, ejusmodi agentia actiones quoque chimicas et physiologicas, vel determinare,

vel fovere; ut proinde gratis omnino adfirmet objiciens, caloricum et electricum nihil nisi motum producere posse, cum prudens nullus physicus tuto decernere adhuc possit quo tandem pertingant vires, quænamve sit intima natura aut proprietates ejusmodi agentium naturalium. Cæterum, etiamsi daretur objicienti quod gratis adfirmat quoad caloricum et electricum, nihil inde colligere licet adversus systema peripateticum nec adversus generationem substantialem, nisi Tongiorgi nobis ostendat prius in natura non alia agentia reperiri præter caloricum vel electricum, simulque viventes substantias ac præsertim animalia bruta, non gaudere viribus sive agendi activitate, quæ caloricum et electricum prorsus superent.

Resp. 2.° Etiamsi nulla pateret responsio ad prælaudatas Tongiorgi objectiones, salvum adhuc consisteret peripateticum systema quoad prima corporum principia et generationem substantialem. Quandoquidem, systema hocce præcipue respicit, tum prima elementa sive corpora simplicia naturæ, tum corpora viventia. Porro, argumenta cuncta itali philosophi, nec prima corpora simplicia, nec substantias viventes attingunt; proinde, peripateticum systema ac theoriam generationis substantialis nedum non evertunt sed nec quidem attingunt. Ex eis quippe argumentis ad summum inferri posset substantialem generationem locum non habere in compositis inanimatis, quæ, hac in hypothesi, spectari possent tanquam corpora minus perfecta quoad unitatem naturæ et substantiæ, eisque accommodari quæ veteres Scholastici docebant circa *mixta imperfecta*.

CAPUT TERTIUM.

DE PRÆCIPUIS CORPORUM AFFECTIONIBUS.

Cum prima corporum principia præcedenti capite perpenderimus, abs re non erit nunc quæstionem instituere de quibusdam corporum affectionibus, quæ ex prædictis principiis veluti enascuntur. Et quamvis corporum affectiones et proprietates investigare ad Physicam potiori jure quam ad Metaphysicam spectet, attamen quia ea Metaphysicæ pars quæ *Cosmologia* nuncupatur, proxime ad Physicam accedit, adeo ut vere dici possit Physicam incipere ibi ubi desinit Cosmologia, ab ista non erit prorsus alienum disputare de *quantitate* seu extensione, *de motu*, *de spatio et tempore*, quæ, utpote fundamentales et universaliores corporum affectiones, affinitatem quandam obtinent cum disputatione circa prima corporum principia. His accedit, quod ea quæ in scientiis physicis investigantur, facilius ac perfectius capiuntur et dijudicantur, si rectæ notiones circa præfatas affectiones præhabeantur.

ARTICULUS PRIMUS.

De quantitate seu extensione.

Prænotanda:

1.° Pro recta perceptione eorum quæ hic subjiciemus, in memoriam revocare oportet ea quæ circa præsens argumentum ex præcedentibus jam liquent, ac præsertim quantitatem a substantia realiter distingui, ejusque primam radicem et sufficientem rationem, esse materiam primam.

2.° Quantitas seu extensio est accidens adeo insigniter afficiens substantiam corpoream, ut hæc ratione illius prædicata seu attributa quædam adsequatur, quorum insigniora, ut in Logica diximus, sunt: 1.° *extensio substantiæ in partes integrantes*, seu positio unius partis extra aliam: 2.° *divisibilitas*, seu aptitudo ut in partes dividatur: 3.° *extensio quoad locum*, seu aptitudo et exigentia ad determinatum locum occupandum et implendum: 4.° *impenetrabilitas*, seu facultas excludendi alia corpora ab eodem loco: 5.° *mensurabilitas*, vel aptitudo ad hoc quod mensurari certa ratione possit.

3.° Porro, quod ejusmodi attributa in materiali substantia reperiantur, ipsa experientia aperte ostendit. Quod vero eidem conveniant ratione quantitatis, satis constat et probatur: 1.° quia, ut notum est apud cunctos philosophos, si Cartesium excipias, corporis essentia ac proinde corporea substantia non identificatur cum extensione, sed potius ab ipsa præscindit; unde corporis substantia et essentia, qua talis, abstrahit ab extensione ejusque propriis effectibus, qualis est divisibilitas;

ut enim habet D. Thomas, «subtracta quantitate substantia remanet indivisibilis:» 2.° quia si quantitas pertineret ad essentiam substantiæ corporeæ, vel id esset, quatenus est substantia, vel quatenus est corporea; non primum, quia secus etiam substantiæ spirituales essent extensæ: non secundum, quia id quod primo et per se discernit ac sejungit substantiam spiritualem a materiali est simplicitas et compositio quoad essentiam et non quoad extensionem, quatenus nempe, dum essentia substantiæ spiritualis est simplex in linea substantiæ, essentia substantiæ corporeæ est composita in ratione substantiæ, quia constat duobus principiis substantialibus ex quibus exurgit substantia corporea completa. Dico in *linea substantiæ;* quia substantia spiritualis creata potest dici composita *in ratione entis* subsistentis, quatenus essentia comparatur ad subsistentiam et existentiam tanquam potentia et subjectum ad actum et formam perficientem, quod maxime verificatur, si existentia creata realiter distinguatur ab essentia: unde spiritualis substantia creata, simplex quidem vere dicitur in linea substantiæ, quia ejus essentia substantialis non coalescit ex duobus principiis, ut corporea substantia, et simul vere dicitur composita in linea entis, quia in eadem spirituali substantia essentia distinguitur a subsistentia et existentia actuali. (1)

---

(1) Atque hic obiter notare liceat scientificam profunditatem ac unitatem harmonicam, quæ elucent in systemate philosophico D. Thomæ. Deus, qui est ipsum esse subsistens ac substantia infinita, est actus purissimus ac simplicissimus, compositionem quamcumque, sive in linea substantiæ, sive in linea entis, penitus excludens: spirituales substantiæ, quæ Deo præ cæteris creaturis accedunt ejusque naturam perfectiori ratione participant, simplicitatem et unitatem perfectam obtinent in linea substantiæ, sed compositioni et multiplicitati sunt simul obnoxiæ in linea entis: substantiæ materiales, quæ longius a Deo quam spirituales recedunt, compositioni obnoxiæ sunt non solum in

4.° Quia ut supra diximus, materia prima est ratio propria sufficiens et radix extensionis, ideo hæc est attributum naturale ac proprietas necessario afficiens quodlibet corpus. Unde si quæratur ratio quare extensio necessario semper reperiatur in corpore ab eoque separari nequeat, jure responderi potest, quia in omni corpore reperitur materia tanquam unum ex ejusdem principiis essentialibus. Sicut ergo repugnat esse corpus sine materia, ita similiter repugnat esse corpus sine quantitate; hoc tamen discrimine, quod primum involvat repugnantiam absolutam, cum materia sit pars essentiæ corporis; alterum vero repugnantiam solum naturalem, cum essentia existere possit virtute divina sine quibusdam proprietatibus actu habitis.

Solum ergo superest difficultas, eaque non minima, in determinanda essentia quantitatis; cum enim plura sint quæ corpori conveniunt per extensionem, ut initio adnotavimus, philosophi in diversas abeunt sententias.

THESIS.

Distributio in partes integrantes, seu positio unius partis extra aliam, essentiam quantitatis constituit.

Prob. 1.° Essentiale constitutivum rei illud est quo concepto res ipsa concipitur, atque simul radix et ratio sufficiens existit cæterorum attributorum ac prædicatorum quæ illi essentiæ tribuuntur; atqui concepta distributione in partes seu positione unius partis extra aliam, eo ipso concipitur res ut extensa, simulque

---

linea entis, sed etiam in linea substantiæ: tandem, accidentia quæ longissime a Deo recedunt quoad participationem ejus naturæ, essentiam adeo imperfectam obtinent, ut non tam entia, quam *entis entia* seu modi dicenda sint.

ejusmodi partium distributio congrue assignatur tanquam sufficiens ratio et radix aliorum, quæ de substantia corporea ratione quantitatis affirmantur: ergo. Minor patet: nam concepta distributione substantiæ in partes integrales, concipitur ut extensa: similiter, ideo illa substantia est divisibilis, quia constat partibus, cum prius sit natura habere partes quam eas posse dividi; ideo substantia apta est determinatum locum implere, quia constat partibus: quod idem facile applicari potest reliquis attributis extensionis.

Prob. 2.° ex Eucharistiæ sacro mysterio, in quo juxta catholicam doctrinam existit corpus Christi cum propria quantitate ac proinde cum eo quod quantitati essentiale est, cum res nullibi esse possit sine propria essentia: atqui inter ea quæ quantitati assignantur, sola distributio in partes integrales reperitur in corpore Christi sub speciebus eucharisticis, quatenus distribuitur in partes diversas, ut caput, pedes, brachia etc., cetera vero eidem minime conveniunt: siquidem, ibi non habet nec extensionem localem, cum totum reperiatur sub qualibet specierum particula; nec divisibilitatem, cum non dividatur speciebus divisis; nec mensurabilitatem, eo ipso quod in qualibet particula integrum reperitur; nec demum impenetrabilitatem, quæ consequitur extensionem localem, quæ ibi non datur. Ergo saltem philosophia christiana agnoscere debet distributionem in partes integrales, tanquam primum ac essentiale constitutivum extensionis.

Ex his quæ tum hic, tum aliis in locis exposita manent circa quantitatem, inferre licet quædam notanda Corollaria:

1.m Substantia, etiam materialis, partes actuales, hoc est, diversitatem seu distinctionem ac multiplicitatem partium, non obtinet nisi sub quantitate et ratione quantitatis, vel quod in idem redit, quatenus affecta

quantitate. Nam cum distributio in partes integrales sit effectus formalis ac primarius quantitatis, imo ipsa essentia quantitatis, planum est quod si hæc non existit, nec illa existere possit. Ad rem D. Thomas: (1) «Diversitas partium non potest intelligi in materia sine quantitate.» Dixi *in partes actuales*, quia corporea substantia quæ supponatur vel concipiatur sine quantitate, habebit partes *potentiales*, quatenus potentiam et aptitudinem retinet ad habendam quantitatem, ac per ipsam ad adsequendam distributionem in partes actuales.

2.m Ergo *totum quantitativum* prorsus ac plane discriminatur a *toto substantiali*, atque, ut ajebant Scholastici, *æquivoce* solum conveniunt. Totalitas namque *quantitativa* seu extensionis, exsurgit ex multiplicitate et unione actuali partium integralium, quatenus constituunt determinatam extensionem: totalitas vero *substantiæ* in corporeis substantiis, exsurgit ex multiplicitate et unione partium seu principiorum quæ essentiam rei constituunt. Atque exinde oritur, quod dum totalitas quantitativa non salvatur nisi in determinato numero et extensione partium, ut uncia auri in numero ac extensione partium ex quibus uncia constat; e contra totalitas substantiæ salvatur in qualibet parte, ut in allato exemplo, quælibet pars habet totam essentiam substantialem auri.

3.m Quamvis omne corpus quantitate affectum naturaliter sit impenetrabile, eo ipso quod determinatum locum exigit et occupat, attamen quia impenetrabilitas non est ipsa essentia quantitatis, sed hujus essentiæ proprietas potius ac veluti effectus quidam secundarius, virtute divina impediri potest ne existat aut resultet in

---

(1) *Sum. cont. Gent.* l. 4.° cap. 65.

corpore quantitate affecto. Imo etiam, quia impenetrabilitas posterior est naturæ ordine quantitate, non solum quoad hujus essentiale constitutivum, quod est distributio in partes integrales, seu ut ajebant Scholastici, extensio partium in ordine ad se, sed posterior etiam est extensione partium in ordine ad locum, ut illi ajebant, hoc est, consequitur rem quantam prout postulat determinatum locum, a quo proinde et idcirco aliam rem extensam excludit, colligere pronum est impenetrabilitatem impediri posse ex virtute divina, non solum in corpore prædito sola *extensione partium in ordine ad se*, ut contingit in corpore Christi in Eucharistia, sed etiam in corpore prædito *extensione in ordine ad locum*, ut dum Christus ad apostolos januis clausis ingressus est. Cujus rei ratio est, quod quamvis impenetrabilitas, divisibilitas, etc. oriantur naturaliter a principiis constituentibus corpora, non sunt tamen ipsa essentia corporum, nec ipsa essentia quantitatis corpus afficientis, sed quid secundarium respectu ipsorum. Porro, quod res sine sua propria essentia sit, contradictionem involvit, nec proinde a Deo perfici potest; sed quod res sit absque eo quod secundario ipsius essentiam consequitur, nullam involvit contradictionem; quia ejusmodi, ut scite habet D. Thomas, «dependent a principiis essentialibus rei sicut a causis proximis, sed a Deo sicut a causa prima: causa autem prima potest conservare rem in esse, cessantibus causis secundis.»

4.[m] Ex hucusque expositis, efformari potest conceptus aliquis de mysterio Eucharistiæ, quantum patitur hujus altitudo ac humanæ mentis imbecillitas. Quandoquidem, ex dictis, Christus est ibi: 1.° ut substantia corporea constans materia et forma substantiali seu rationali anima, ut ceteri homines: 2.° est ibi corpus Christi ut quantum, quia habet id quod essentiale est in quantitate, hoc est, distributionem substantiæ corporis in partes ac-

tuales ac distinctas, quæ *extensio partium in ordine ad se*, apud Scholasticos dici solet: 3.° est tamen ibi corpus Christi sine extensione locali, sine divisibilitate, sine mensurabilitate, sine impenetrabilitate, quia hujusmodi, cum non sint ipsa essentia nec corporis, nec quantitatis, sed hujus veluti effectus et attributa secundaria, virtute divina impediri potest ne exurgant in corpore quanto, salva hujus essentia et natura: 4.° Corpus Christi, prout in Eucharistia, potest esse simul pluribus in locis, vel melius, sub pluribus speciebus; nam ratio sufficiens proxima quare aliquod corpus v. g. lapis, sit in loco *circumscriptive*, ut ajunt Scholastici, hoc est, terminetur ac circumscribatur determinato loco simulque alia excludat, est extensio localis: ergo sublata hac extensione, ut contingit in Eucharistia, tollitur consequenter circumscriptio per determinatum locum.

Quorum omnium ratio quodammodo assignari potest, quod quantitas in corpore eucharistico Christi existit solum concomitanter et quasi per accidens. Siquidem conversio, quod est præcipuum in hoc sacramento, primo ac per se respicit substantiam, et fit de substantia in substantiam: unde quantitas non ponitur ibi ex vi sacramentali, nec ex vi conversionis, sed quatenus comitatur naturaliter substantiam corpoream. Quia ergo natura et objectum proprium hujus sacramenti in conversione substantiæ in substantiam constituta sunt, congruum fuit, ut quantitas, ex virtute divina, esset ibi ad modum substantiæ, seu assimilaretur substantiæ ex parte quoad modum essendi; substantia autem, ex se seu qua substantia, nec circumscribitur loco, nec reliquis quantitatis affectionibus subjicitur. Quæ profecto ratio summatim continetur hisce D. Thomæ verbis: (1) « Quia igitur ex

(1) *Sum. Theol.* P. 3.ª, q. 76, art. 4.° ad 1.

vi hujus Sacramenti est in altari substantia corporis Christi, quantitas autem dimensiva ejus est ibi concomitanter et quasi per accidens, ideo quantitas dimensiva corporis Christi est in hoc Sacramento non secundum proprium modum, (ut scilicet, sit tota in tota et singulæ partes in singulis partibus) sed per modum substantiæ, cujus natura est tota in tota et tota in qualibet parte. » Itaque in Eucharistia Christus fit præsens *cum* quantitate, sed non secundum *modum* quantitatis; quia non fit præsens ratione quantitatis sed ratione substantiæ.

SCHOLIUM.

A quæstione circa divisibilitatem materiæ seu corporis quantitate affecti, abstineo, non solum brevitatis sed utilitatis quoque amore; quandoquidem, ejusmodi controversia utilitate practica pro Theologia caret, et præterea, quæstionem istam habemus tanquam demonstratæ solutionis incapacem pro humana mente. Sufficiat adnotare, D. Thomam stare pro divisibilitate infinita corporis, si mathematice solum spectetur, pro finita vero divisibilitate corporis physice seu quoad propriam essentiam et substantiam spectati. Quo circa, ut alia plurima omittam, hæc habet: (1) « Corpus mathematicum est divisibile in infinitum, in quo consideratur sola ratio quantitatis in qua nihil est repugnans divisioni infinitæ. Sed corpus naturale, (quatenus habet naturam physicam determinatam) quod consideratur sub tota forma, non potest in infinitum dividi, quia quando jam ad minimum deducitur, statim propter debilitatem virtutis convertitur in aliud. »

(1) *De Sensu et Sensat.* lect. 15.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° D. Thomas essentiam quantitatis in divisibilitate constituit; siquidem in 1.° *Sent.* Dist. 19.°, q. 1.ª, art. 1.° scribit: «Ratio quantitatis in communi, consistit in quadam divisibilitate;» quod idem aliis in locis repetit: ergo.

Resp. 1.° D. Thomam ibi essentiam quantitatis non determinare, sed describere tantum per divisibilitatem, utpote notius quantitatis attributum; quod quidem ipsi sufficiebat pro scopo quem ibi prosequitur. Nec infrequens est apud Angelicum Doctorem describere per illud attributum vel effectum, qui controversiæ propositæ definiendæ proximius accedit aut sufficit.

Resp. 2.° Divisibilitatem ibi sumi non pro aptitudine ad divisionem actualem seu separationem partium, quo sensu nos accipimus dum dicimus non esse essentiam quantitatis, sed sumitur pro positione partis extra partem, vel pro divisione intellectuali ac distinctione actuali partis a parte, quæ est ipsamet extensio seu distributio in varias partes. Nam, ut scite adnotavit Suarez: (1) «Illi authores qui divisibilitatem ponunt rationem quantitatis, per eam nihil aliud intelligunt quam extensionem seu divisionem partium... idem ergo est divisibilitas quod extensio quoad rem significatam, nisi quod illud nomen sumptum est ex aptitudine ad divisionem... quæ quidem aptitudo in rigore sumpta cum omnibus quæ includit et connotat, potius est proprietas quædam quam ratio (essentia) quantitatis.»

Objic. 2.° Si essentia quantitatis consisteret in dis-

(1) *Metaphy.* Disp. 40, Sect. 2.ª

tributione partium integralium, actualis distinctio partium substantiæ penderet a quantitate; atqui hoc videtur absurdum: ergo.

Prob. min. Absurdum est prius pendere a posteriori; atqui substantia naturæ ordine prior est quantitate: ergo.

Resp. Neg. min. Ad prob. dist. maj. Absurdum est. etc. *quoad id in quo est prius*, conc. *quoad alia*, neg. Et ad min. dist. Substantia *in ratione entis et subjecti* est prior quantitate, conc. *quoad distributionem et distinctionem actualem in partes integrales*, neg. Utique, substantia prior est quantitate sub ratione entis, quia prior est substantia quam accidens, simulque ens nobilius ac perfectius: prior est etiam sub ratione vel conceptu subjecti, quatenus est naturale subjectum quantitatis, quæ proinde eam naturæ ordine præsupponit. Ast vero, eadem substantia posterior est quantitate quoad distinctionem actualem partium, quatenus partes actu distinctas ac integralem extensionem obtinet sub quantitate et ratione quantitatis; quandoquidem, remota quantitate, ut ait D. Thomas, substantia remanet indivisibilis; ac proinde sine partibus actu distinctis.

Objic. 3.° simul instando: Si corporea substantia partes actu distinctas non haberet nisi per quantitatem et sub quantitate, non posset esse subjectum quantitatis: ergo: Prob. ant. Si corporea substantia non haberet partes actu distinctas nisi sub quantitate et per quantitatem, illa substantia pro priori ad quantitatem esset indivisibilis; atqui res divisibilis qualis est quantitas, nequit recipi in subjecto indivisibili: ergo.

Resp. Neg. ant. Ad prob. dist. Illa substantia pro priori ad quantitatem esset indivisibilis *negative*, neg. *privative*, conc. Et ad min. Quantitas nequit recipi in subjecto indivisibili, *indivisibilitate tam negativa quam privativa*, conc. *indivisibilitate solum privativa*, neg. Illud quod par-

tes integrales nec habet nec habere potest, ut contingit in substantiis spiritualibus, quæ ex propria essentia substantiæ sunt omnino simplices, recte dicitur indivisibile negative, cum excludat ipsam aptitudinem vel capacitatem ad habendas partes. Illud vero, quod quamvis *ex se* partes integrales actu non habeat, simul tamen aptitudinem habet ad eas recipiendas, merito dicitur indivisibile privative. Atque hujus generis est corporea substantia, quæ quamvis ex se ac in se sola spectata integrantes partes non habeat, habet tamen naturalem aptitudinem et veluti exigentiam ex propria natura ad quantitatem, cujus proprium est integrales partes tribuere rei in qua recipitur.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Motu.

Veteres Scholastici ajebant objectum adæquatum seu attributionis Physicæ, quæ cum recentiorum Cosmologia partim convenit, esse *ens mobile:* objectum vero formale, esse motum seu *mobilitatem.* Nec prorsus quidem immerito; nam cum vetus illa Physica, corpora universa tanquam propriam materiam vel *objectum materiale* suo ambitu complecteretur, physicus ea solum præcipue considerabat quatenus motui sensibili subjiciuntur. Quod si corporum ipsorum intimam essentiam, principia et proprietates vestigabant veteres illi in Physica, id perficiebant quatenus præfata omnia motum respiciunt ac modificant; siquidem, juxta varia corporis cujusque principia atque essentiam, diversus exurgit

in ipso motus. Sed cum postea vestigationes ad Physicam spectantes in immensum fere excreverint, usus invaluit amandandi ad speciales scientias physicas, ac præsertim ad experimentalem, non pauca ex his de quibus prius in Physica agebatur. Cum ergo nos hic versemur in Cosmologia, quæ, ut jam prænotavimus, affinitatem magnam obtinet cum *Physica Generali* veterum, generalem doctrinam circa motum dignoscere maxime expedit. Ea porro hisce summatim continetur:

1.° Quia apud physicos tritum est *naturam esse principium motus*, præ oculis habere oportet, nomen hocce *natura*, multiplici ac plane diverso sensu accipi posse.

Nam, ut aliæ significationes prætermittantur, sumi potest: 1.° pro Deo naturæ auctore, qui proinde apud juniores *natura naturans* dici solet, et melius proculdubio a D. Augustino, *natura creatrix:* 2.° pro cujusque rei essentia, cum indiscriminatim ac veluti synonyme rei essentiam et naturam dicamus: attamen in rigore philosophico, *essentia* significat rem quatenus dicit ordinem ad esse seu existentiam, *natura* vero quatenus est principium alicujus actus vel operationis; (1) quo sensu solemus dicere naturam angeli esse perfectiorem humana: 3.° pro universitate seu collectione rerum creatarum; quo sensu dicimus, naturam esse effectum entis intelligentia prædíti: 4.° pro eo ad quod aliquis naturalem ac insitam aptitudinem et inclinationem habet; quo sensu dicimus, peccatum esse contra naturam hominis: 5.° pro eo quod quis operatur ex necessitate et per determinationem ad unum; quo sensu dicimus, sanguinis circulationem vel nutritionem in homine esse

---

(1) «Nomen autem naturæ, inquit D. Thomas, *De Ente et Ess.* cap. 1.° videtur significare essentiam rei, secundum quod habet ordinem ad propriam operationem rei, cum nulla res propria destituatur operatione.»

operationem *naturalem:* 6.° pro eo quod vires et captum humanæ rationis superat; quo sensu dicimus, mysteria fidei esse supra naturam humanam sive *supernaturalia:* 7.° pro nativitate seu conceptione in viventibus; quo sensu primogenitus dicitur prælatus ac superior fratribus ex ipsa natura, et ex Apostolo, nos sumus *natura filii iræ.*

2.° Porro, cum natura dicitur principium motus, intelligitur ipsa essentia seu quidditas rei, cui tribuitur vel quæ supponitur esse principium motus de quo agitur. Principium, inquam, non quodcumque, sed quod sit internum rei motæ, ipsique ex propria essentia insidens et non extrinsecus accidentaliter adveniens, ut vita in plantis vel brutis: unde accidentia quæ extrinsecus rei adveniunt, quamvis motus seu operationes naturales juvent ac perficiant, ut scientiæ vel virtutes morales, quæ intellectus et voluntatis operationes perficiunt, in rigore non sunt natura hoc sensu; tum quia non sunt principium internum sicut ipsa essentia hominis; tum quia non sunt initialiter prima principia operationis, sed præsupponunt non solum essentiam sed intellectum et voluntatem. Hocce vero principium motus quod *natura* nuncupatur, vel est proximum et adæquatum, nempe, essentia rei; vel inadæquatum et radicale, scilicet, forma substantialis, quæ habetur tanquam prima radix et ratio activitatis in re, cujus etiam essentiam determinat, constituit ac ab aliis distinguit. (1)

3.° Atque omnia hæc intelligenda veniunt de motu

---

(1) Veteres naturam, de qua hic sermo habetur, definiebant cum Aristotele: *Principium et causa motus et quietis, ejus in quo est, primo et per se et non secundum accidens.* Motum vero in genere sumptum sic: *Actus entis in potentia prout in potentia.*

Quæ quidem definitiones, subobscuræ satis sunt, prout non raro contingit apud Stagiritam, maxime vero quoad eos qui hujus philosophi

strictiori ac proprio physicorum sensu accepto, hoc est, de mutatione sensibili corporum, sive ea instantanea sit, ut generatio substantiæ, sive succesiva, ut alteratio et motus localis; cui postremæ tantum in rigore convenit allata motus notio et definitio, priori vero per quamdam accommodationem.

Cæterum, motus quandoque latissime sumitur pro omni operatione vel actu; quo sensu Deo etiam tribuitur: quandoque vero minus late pro qualibet mutatione qua aliquid acquiritur vel amittitur; quo sensu Deo qui est prorsus immutabilis non congruit, congruit tamen angelis qui mutationi accidentali subsunt, ac etiam spiritualibus operationibus intelligendi et volendi. Cum de motu apud physicos et sine addito agitur, excludantur ejusmodi significationes latiores motus.

4.° Cartesiani cum aliis quibusdam e recentioribus, docent motum non distingui realiter a corpore moto. Sed hæc opinio rationi minime consentanea existit. Nam

---

terminologiam penitus ignorant. Cæterum, quamvis allatæ definitiones obscuritati quoad terminos subsint, verissimæ tamen sunt quoad rem significatam. Prima etenim significat, naturam de qua hic loquimur, esse principium motus naturalis, sensu a nobis exposito. Altera significat, rem motam, quatenus actuali motui subjectam, esse simul in potentia et actu, juxta duos terminos quos respicit: sic dum homo movetur a loco A ad locum B, dum actu pertransit spatium interjectum C, est in actu respectu loci A quem deseruit et a quo incepit motus, et simul in potentia respectu loci B quem nondum assecutus est. Similiter, dum aqua succesive calefit, est in actu respectu frigiditatis quam habebat antequam inciperet calefactio, et simul in potentia respectu caloris perfecti seu potius intensioris, quem nunc nondum possidet et ad quem tendit. Ad rem D. Thomas: «Illud igitur movetur, quod medio modo se habet inter puram potentiam et actum, sive quod partim est in potentia, et partim in actu. Patet hoc in alteratione: cum enim aqua est solum in potentia calida, nondum movetur; cum vero est jam perfecte calefacta, terminatus est motus calefactionis; cum vero participat aliquid de calore, sed imperfecte, tunc movetur ad calorem sive calefit. Calefieri enim est paulatim participare calorem.» *Physic.* 3.° lect. 2.ª

1.° nemo sanæ mentis dixerit, lapidem qui nunc movetur cum antea quiesceret, nullam realem mutationem passum fuisse, aut nullam realitatem habere nunc quam non habebat antequam motum reciperet: 2.° experientia ac communi hominum sensu testibus, motus lapidis, v. g. realiter ac vere augetur ac minuitur, quin augeatur aut diminuatur ipsa entitas et substantia lapidis: ergo si motus identificatur realiter cum lapide et non est accidens vel modus realis ab ipso distinctus, res eadem augetur simul et non augetur.

5.° Ergo motus, præsertim succesivus et localis, habendus est tanquam accidens quoddam reale ab essentia corporis moti distinctum. Quod quidem iterum falsitatis convincit opinionem Cartesii ejusque asseclarum. Nam cum motus proculdubio sit aliquid reale et non merum nihilum, si realiter non distinguatur ab essentia corporis moti, erit corpori moto essentialis, sicut est ipsa essentia ac substantia. Ergo falsum erit quod ipsimet juniores docent circa inertiam corporum vel materiæ. Atque istam materiæ inertiam, quam quidam a recenti philosophia detectam existimant, jam agnoverant Scholastici cum docebant, corpora, qua talia, aptitudinem quidem ad motum seu *mobilitatem* habere, ast minime motum, quem nonnisi ab alio, ac proinde a substantia spirituali originaliter ac primum recipere possunt.

6.° Ex dictis plane consequitur, corpus non posse corpus aliud movere vel in corpus agere, nisi eidem vel immediate, vel mediate conjungatur. Cum enim accidens de subjecto in subjectum migrare nequeat, corpus A nequit motum communicare vel imprimere et producere in corpore C ab eo sejuncto et remoto, nisi movendo prius corpus B interjectum, quod semel motum, si immediate contingat corpus C, ipsum movere aut in illud agere poterit. Quod ipsum confirmatur experientia et communi sensu, quibus edocemur, dum ali-

quid patimur vel impressionem sensibilem recipimus, causam statim quærere, vel in corpore aliquo nos circumstante, vel in corpore saltem ratione et ope cujus vis et actio causæ ad nos usque pertingere potuerit.

7.° Igitur non immerito ajebant Scholastici quod *movens et motum oportet esse simul;* quia, nimirum, corpus agens et movens, debet conjungi corpori moto et patienti, vel contactu *quantitatis*, vel saltem contactu *virtutis*, agendo in corpus patiens dum prius agit in corpora intermedia, eaque immutat. Idem exprimi posset dicendo, corpus agens esse præsens corpori patienti, vel præsentia *suppositi*, vel præsentia *virtutis*.

8.° In quolibet motu physico, sive succesivo, sive instantaneo, illud a quo motus incipit dicitur *terminus a quo*, illud vero ad quod terminatur, *terminus ad quem*. Sic in generatione substantiali, res vel substantia quæ corrumpitur, dicitur terminus a quo generationis, res vero ipsa vel substantia de novo generata, dicitur terminus ad quem. Similiter in motu locali, locus a quo motus incipit, et ille in quo quiescit, designant terminum *a quo* et terminum *ad quem* ejusdem.

ARTICULUS TERTIUS.

De tempore.

Quia motus ipsaque corpora quæ Cosmologia universim considerat, tempore dicuntur mensurari, hujus naturam vestigare oportet. Quod ut breviter perficiamus pro ratione elementarii operis, quid nobis in perdifficili hac controversia probabilius videatur, hic exhibemus.

1.° Quoniam tempus ut duratio quædam concipitur, scire oportet durationem nihil esse aliud quam *permanentiam rei in esse* seu existentia. Cum ergo permanentia ejusmodi nihil sit aliud quam mera continuatio rei existentis, realiter non distinguitur ab ipsa rei existentia, cui nihil proinde addit nisi ens rationis, quatenus ratio concipit existentiam ut continuam et permanentem in re. Cæterum, utrum realiter distinguatur ab ipsa re durante, determinandum erit juxta opinionem quam quis amplectatur circa realem distinctionem essentiæ ab existentia; qui enim hujusmodi distinctionem inficiantur, inficiari quoque debent realem distinctionem durationis a re vel essentia durante.

2.° Res autem quæ in suo esse perdurant ac permanent, ad tria genera revocari queunt. Nam Deus ita permanet in suo esse, ut sit omnino immutabilis tam quoad essentiam quam quoad operationem, nihil in eo incipit aut desinit esse, nihil acquirit aut amittit. Quædam vero sunt naturæ, quæ immutabilitatem quandam participant quoad esse, quatenus proprium esse semel receptum, perpetuo ac immortali ratione servant ex propria natura; attamen mutationi sunt obnoxiæ quoad operationes, cujusmodi sunt angeli et animæ rationales. Quædam tandem res mutationi sunt obnoxiæ, non solum quoad operationes, sed quoad ipsum esse; cujusmodi sunt substantiæ materiales, quæ generationi ac corruptioni subsunt, ac præsertim accidentia ea quorum natura in variatione sive alteratione consistit, ut motus succesivus.

3.° Igitur, juxta triplex hocce rerum genus, triplex quoque durationis genus non incongrue assignatur. Horum primum dicitur *æternitas*, quæ est duratio rei prorsus immutabilis tam quoad esse quam quoad operationem: secundum, est duratio seu permanentia in esse rei, quæ sit invariabilis quoad esse receptum, sed

non quoad accidentia vel operationes; quod durationis genus *ævum* appellari solet: tertium genus, constituitur per durationem vel permanentiam in esse ejus rei, quæ sit mutationi obnoxia quoad esse simul et operationem; atque ad hocce durationis genus spectat *tempus*, de quo hic agitur. Æternitas definitur a Divo Thoma cum Boetio: *interminabilis vitæ tota simul et perfecta possesio. Ævum* vero apud eumdem Divum Thomam definitur: *duratio entis permanentis quod compatitur transmutationem,* scilicet, accidentalem. Demum,

4.° *Tempus* ab eodem definitur cum Aristotele: *numerus et mensura motus secundum prius et posterius.*

Ubi magnopere notandum, quod si ly *motus*, accipiatur pro solo motu locali, tunc hæc definitio non convenit tempori *in seipso et absolute* sumpto, sed tantum tempori *quoad nos* sive quoad usum et applicationem communem ad vitam humanam, quatenus, nempe, motus numeramus ac mensuramus accipiendo prius et posterius in ipsis per comparationem ad alium motum superiorem et magis uniformem, ut motum horologii per comparationem ad motum solis vel stellarum. Si vero ly *motus* accipiatur non pro solo motu locali, sed pro qualibet mutatione et alternatione rerum, sive ea motus proprie dictus sit, sive instantanea mutatio, eaque sive materialis, sive spiritualis, dummodo eamdem percipere ac experiri possimus, tunc præfata definitio convenit tempori secundum se et absolute sumpto, quia revera temporis notionem seu ideam efformamus quatenus accipimus seu consideramus prius et posterius in rebus mutationi et successioni obnoxiis. Hinc etiam in hypothesi quod perturbarentur motus, quos, ut plurimum, adhibemus ad alios motus ipsorumve durationem mensurandam, adhuc temporis notio ac realitas apud nos perseveraret, propter perseverantiam aliarum rerum, ac præsertim nostrarum operationum et affe-

ctionum, quarum mutationes et successiones, et percipere, et cum aliis conferre possumus. (1)

5.° Ergo tempus in seipso spectatum, est quidem aliquid reale, sed non distinctum realiter a motu vel mutatione rerum quæ per ipsum mensurantur: quandoquidem tempus, prout in rerum natura seu extra mentem existens, nihil est aliud quam rerum successio et mutatio. Hujusmodi vero rerum successiones, seu, ut habet D. Thomas, *prius et posterius in motu*, quatenus per nostram mentem invicem conferri ac numerari possunt, constituunt apud nos notionem vel ideam temporis. Unde merito D. Thomas: (2) «Tempus est utcumque ens sine anima, si contingit motum esse sine anima. Sicut enim ponitur motus, ita necesse est poni tempus, quia prius et posterius in motu sunt, et hæc,

---

(1) Qua in re bene habet Balmes dum scribit: «La medida del tiempo no es mas que la comparacion de las mudanzas entre sí.

Para nosotros sirven de medida primitiva aquellas mudanzas que nos parecen inalterablemente uniformes. Por esto hemos tomado el movimiento solar... ¿Qué sucederia, pues, si el sol aumentando su velocidad hiciese su revolucion en la mitad del tiempo? Las horas, ¿permanecerian las mismas? Es preciso distinguir. Si la alteracion se verificase únicamente en el movimiento solar, entonces percibiríamos la discordancia con todos los demás movimientos; y por lo mismo, hallando la alteracion en el sol continuaríamos refiriendo las horas como cosas fijas, á otras medidas, á nuestro movimiento, á nuestros relojes, á los demás astros.

Pero si suponemos que todo se altera á un mismo tiempo y en la misma proporcion... pero de tal modo que la rapidez de nuestros pensamientos no haya crecido; entonces descubriremos una alteracion que no sabremos si atribuir al mundo ó á nosotros...

Si esta rapidez se nos comunica tambien á nosotros, de modo que si tal ó cual série de pensamientos que antes correspondian á tantos minutos, se haga en la mitad, entonces hallaremos en todo una perfecta correspondencia y nos será imposible percibir la mudanza.» *Filos. Fund.*, lib. 7.°, cap. 5.°

(2) *Physic.*, lib. 4.°, lect 23.

scilicet, prius et posterius motus, in quantum sunt numerabilia, sunt ipsum tempus.» Itaque realitas temporis a nostra mente non pendet atque revera extra animam existit, sicut revera existit extra nos realitas motus vel mutationis cum qua identificatur; ast notio rationalis sive idealis et adæquata temporis includit aliquid rationis, seu elementum quoddam subjectivum, nempe, perceptionem relationis inter partes motus, seu diversas rerum mutationes. (1)

6.° Quod si temporis realitas, cum realitate motus identificatur, consequitur plane, nihil temporis actu præsens posse existere nisi aliquid indivisibile, cum etiam motus eo ipso quod transitum de non esse ad esse sive successionem involvat, nihil actu præsens habeat nisi indivisibile quidpiam; quia esse et non esse simul accepta, quæ ad motum et successionem requiruntur, præsentiam simultaneam non patiuntur, saltem juxta perceptionis et rationis ordinem. (2)

Merito igitur dicitur quod tempus nihil habet vere præsens, nisi *nunc*, vel instans indivisibile: ex quo infertur quod in rigore philosophico, nullum datur *tempus præsens*, tum quia præsentia permanentiam quan-

---

(1) Consentiunt in re hac D. Thomas et Balmes, qui scribit: «El tiempo pues, en las cosas, es la sucesion de las mismas; su ser y no ser: el tiempo en el entendimiento, es la percepcion de esta mudanza, de este ser y no ser.» *Filos. Fund.*, lib. 7.°, cap. 4.°

(2) Apposite ad rem D. Thomas: «Motus non habet esse fixum in rebus, nec aliquid actu (præsens) invenitur in rebus de motu, nisi quoddam indivisibile motus... sed totalitas motus accipitur per considerationem animæ comparantis priorem dispositionem mobilis ad posteriorem. Sic igitur et tempus non habet esse extra animam nisi secundum suum indivisibile. Ipsa tamen totalitas temporis accipitur per ordinationem animæ numerantis prius et posterius in motu.» *Ibid.*

dam involvit, quam excludunt entia succesiva; tum quia *tempus*, qua tale, includit successionem, instans vero præsens, utpote indivisibile, successionem excludit.

7.° Ex hucusque expositis colligi possunt subjecta Corollaria:

1.m Tempus, prout sejunctum ac præcisum a motu sive a rerum mutationibus, nihil reale est, possetque dici ens rationis; nam id quod tempus motui superaddit, est comparatio inter varias rerum mutationes, seu inter partes motus, ac proinde rationis quædam relatio.

2.m Tempus locum habere nequit respectu entis quod nulli mutationi subjiciatur. Hinc Deus, qui solus ejusmodi ens existit, non tempore, sed æternitate mensuratur.

3.m Sublatis rebus mutationi obnoxiis, tollitur necessario tempus; cum hujus realitas et esse, cum realitate et esse mutationis rerum identificetur.

4.m Tempus proinde incepit cum ipso mundo motui ac mutationibus obnoxio, nec sine illo subsistere posset. Ergo tempus quod mundum præcessisse concipimus, vel potius imaginamur, non est tempus verum ac reale, sed illusio quædam imaginationis, cui recta ratio minime adstipulatur.

ARTICULUS QUARTUS.

De spatio.

De spatio, ut brevi oratione dicamus, præ oculis habeatur quod nos hic, propter maximam rei obscuritatem, (1) probabilia potius quam demonstrata insectabimur et offeremus. Nihilominus tamen,

1.° Ut demonstratum ac omnino certum tenemus, spatium non esse ipsam Dei immensitatem. 1.° Quia spatium, quævis tandem sit ejus realitas ac intima natura, dimensiones seu extensionem quantitativam

---

(1) Hujus rei obscuritas ac difficultas maxima, satis constant, vel ex ipsis Philosophorum sententiis variis, ac non raro oppositis. Nam, ut omittamus Epicurum, qui vacuum spatium annumeravit inter principia interna corporum, non defuere inter Scholasticos ipsos, qui asserent, spatium esse ipsam immensitatem Dei, ut Lessius, apud quem « immensitas divina est primum et intimum intervallum, seu spatium, origo omnis intervalli, et spatium omnium spatiorum.» Huic sententiæ, ex toto vel ex parte adhæsserunt Morus, Clarke, Fenelon, Newton cum aliis, qui ajunt spatium esse ipsum Deum, ac proinde ens infinitum: quos inter postremus addit, Deum res ipsas cernere *in spatio infinito tanquam sensorio suo.* Cartesius, apud quem corporum essentia constituitur per trinam dimensionem, spatium confundit cum ipsis corporibus, eumque infinitum simul supponit, non secus ac ipsam materiam vel extensionem. Quidam existimant, spatium esse substantiam a corporibus in eo positis realiter distinctam. Alii, inter quos Gassendi, putant quod spatium non est nec substantia, nec accidens, sed ens quoddam incorporeum, a spiritibus, spiritualibusque accidentibus distinctum. Leibnitz docet, spatium nihil esse aliud quam ordinem, seu relationem quandam inter res non solum actu existentes, sed etiam mere possibiles. Nota demum est sententia Kant asserentis, spatium nullam objectivam realitatem habere, sed esse meram formam subjectivam, in subjecto corpore percipiente positam *a priori.*

includit; spatium enim nihil aliud est quam *intervallum interjectum inter duas vel plures corporum superficies*, ut inter parietes cubiculi, si de spatiis particularibus loquamur. Quod si ad spatium in genere conceptum quis confugiat, cum illud sit *capacitas quædam, quæ corporibus repleri potest*, consequitur plane, spatium quodvis reale concipi tanquam mensuræ, ac proinde extensioni subjectum, eo ipso quod extensa ac mensurabilia sunt corpora, quæ in eo locari queunt. (1) Ergo spatium est aliquid extensione, ac proinde partibus constans. Atqui immensitas Dei, utpote proprietas sive attributum divinum, identificatur cum ipsa Dei essentia et substantia, quæ proculdubio simplex omnino ac inextensa existit. Ergo repugnat spatium reale, seu in quo continentur corpora realia, esse immensitatem Dei, aut quodvis Dei attributum. (2)

2.° Immensitas est attributum quo Deus intimam præsentiam habere potest quoad corpora etiam possibilia; unde immensitas æque Deo convenit, sive mundus existat, sive nullus existeret. (3)

---

(1) Dico spatium *reale*, quia quod attinet ad spatium illud quod extra mundum, sive destructo mundo concipimus, ostendemus postea, verum spatium non esse, sed merum imaginationis lusum et figmentum.

(2) «Si el espacio, inquit Balmes, es una propiedad de Dios, es Dios mismo; pues todo lo que hay en Dios, es Dios. Luego, siendo el espacio esencialmente extenso, Dios será extenso tambien.» *Filos. Fund.*, lib. 3.°, cap. 10.

(3) Siquidem, aliud est *immensitas*, aliud *ubiquitas* in Deo; sicut aliud est in ipso omnipotentia, et aliud realis mundi creatio qua Creator denominatur. Sicut ergo si Deus mundum non produxisset non diceretur *Creator*, et tamen vere diceretur *Omnipotens*, seu potens ad creandum infinita, ita si mundus non existeret Deus non esset *ubique*, quia realis præsentia non habetur ad nihilum, sive ad res quæ non existunt; esset tamen *immensus*, quia habet in sua essentia aptitudinem, seu vim ad in-

Porro, si mundus nullus esset, nec spatium reale esset: siquidem, sublato mundo, solum remanent Deus ex una parte, et nihilum ex alia, quorum neutrum extensionem habent. Atque

3.° Ex hoc facile ac necessaria consecutione infertur, spatia illa quæ concipimus, sive extra mundum, sive in loco actualis mundi antequam hic produceretur, identificari cum nihilo, ac proinde nullam objectivam realitatem habere, sed esse puras illusiones imaginationis, quæ et mundi magnitudinem indefinite auget, et nihil sibi repræsentare aut percipere potest, nisi sub specie et ratione extensionis. Præterea, spatium illud, quod extra mundum, et ante mundum imaginamur, vel est substantia, vel accidens; et cum accidens necessario supponat substantiam in qua recipiatur, si spatium illud supponatur reale, supponere simul oportet aliquam substantiam realem. Jam vero ejusmodi

---

timam præsentiam quarumlibet rerum statim ac existant. Cujus rei ac discriminis philosophicam rationem assignat D. Thomas, verbis hisce: «Cum dicitur: *Deus est ubique*, importatur quædam relatio Dei ad creaturam fundata super aliquam operationem, per quam Deus in rebus dicitur esse. Omnis autem relatio quæ fundatur super aliquam operationem in creaturas procedentem, non dicitur de Deo nisi ex tempore, sicut Dominus, et Creator, et hujusmodi; quia hujusmodi relationes, actuales sunt, et exigunt actu esse utrumque extremorum.» *Sentent.*, lib. 1.° Dist. 37, q. 2.ª, art. 3.°

Ex quibus colliges, non omnino exactam esse notionem quam circa immensitatem adoptare videtur Balmes, dum scribit. «La inmensidad es aquel atributo por el cual Dios está en todas partes: este atributo es el que dice relacion á la extension.» *Loc. sup. cit.* Duo inexacta hic habentur. Nam. 1.°, id quo Deus actu *est* vel *existit* in rebus, est *ubiquitas*, hoc est, applicatio actualis, seu actus secundus immensitatis, potius quam immensitas, quæ in Deo reperitur, etiam dum in nullo loco existit. 2.° Immensitas non ad solam extensionem dicit aut includit relationem; quandoquidem, Deus immensitatem habet, quatenus est intime et substantialiter præsens omnibus creatis rebus, sive extensis, sive inextensis, quales sunt Angeli.

substantia, vel est increata, vel creata: si primum, illud spatium erit ipse Deus, qui est unica substantia increata, habebimusque Deum extensum et mensurabilem: si secundum, destruitur ipsa hypothesis spatii extra mundum existentis; quidquid enim reale et creatum est, mundo ipso continetur, cum non aliud sit mundus quam universitas rerum creatarum realem existentiam extra Deum habentium.

4.° Rejicienda similiter sententia, tum illorum qui ajunt spatium esse substantiam, tum illorum qui spatium habent ut ens incorporeum dimensionibus *spatialibus* præditum, quæ improductæ et a Deo independentes sint. Nam illa substantia, si daretur, corporea, seu extensa esset, cum spatium extensionem involvat: ergo 1.° ipsa indigeret alio spatio, cum omnis res extensa spatium necessario exigat et occupet: 2.° opus esset ut corpora reliqua in eo locata cum ipso penetrarentur, darenturque proinde duæ res extensæ in eodem loco. Quod attinet ad gassendianam opinionem, ea magis adhuc abhorret a recta ratione et philosophia christiana, quæ uno ore nos docent nihil reale extra Deum existere, quod ab ipso productum non sit, ab eoque non pendeat: ergo ens illud incorporeum cum dimensionibus *spatialibus*, vel nihil reale est in se ipso, ac proinde spatium erit nihil, vel non est improductum et independens a Deo, ut comminiscitur Gassendi theoria.

5.° Igitur, cum spatium ex una parte sit aliquid reale, cum distantiæ, dimensionibus ac mensurabilitati subjiciatur; et ex alia parte nequeat esse aliquid Dei, aut substantia a mundanis corporibus distincta, solum superest ut dicamus, ipsum nihil esse aliud in rerum natura sive prout extra nostram mentem, quam ipsam corporum extensionem.

Itaque: 1.° *spatium particulare* v. g. spatium hujus cameræ, sunt dimensiones corporum ejus capacitatem

occupantium: 2.° *spatium universale*, sunt dimensiones corporum omnium ex quibus mundus coalescit, simul per intellectus abstractionem acceptæ: 3.° *spatium infinitum*, est extensio a quâ per intellectum removemus terminum sive finem: 4.° *spatium imaginarium*, hoc est, spatium illud quod extra mundum, et ante mundum ut realiter extensum ac existens sibi objicit imaginatio, hujus est illusio, cui nulla realitas objectiva respondet. (1)

6.° Ergo si spatium sumatur *formaliter*, hoc est, quoad id solum quod superaddit extensioni corpo-

---

(1) Nobiscum in re hac consentit Balmes, qui simul ex hac doctrina corollaria quædam infert, quibus et nos adsentimur, nec abhorrent a mente D. Thomæ. En ejus verba: «Resumiendo esta doctrina, y deduciendo sus consecuencias, podriamos decir:

1.° Que la idea del espacio es la idea de la extension misma de los cuerpos.

2.° Que la idea del espacio es la idea de la extension. (Utique: sed non extensionis secundum se spectatæ, sed sub ratione formali capacitatis ad corpora extensa recipienda; unde spatium addit extensioni non quidem aliquid reale, sed relationem rationis, quatenus extensio concipitur ab intellectu cum præcisione a determinata natura corporis, et cum potentia seu *capacitate* ad alia recipienda).

3.° Que las diferentes partes concebidas en el espacio, son las ideas de extensiones particulares, en las que no hemos prescindido de sus límites.

4.° Que la idea del espacio infinito es la idea de la extension en toda su generalidad, y por tanto prescindiendo del límite.

5.° Que la imaginacion de un espacio indefinido nace necesariamente del esfuerzo de la imaginacion que destruye los límites, siguiendo la marcha generalizadora del entendimiento.

6.° Que donde no hay cuerpo, no hay espacio.

7.° Que lo que se llama distancia no es otra cosa que la interposicion de un cuerpo.

8.° Que en desapareciendo todo cuerpo intermedio, no hay distancia; hay pues inmediacion, hay contacto por necesidad absoluta.

9.° Que si existiesen dos cuerpos solos en el universo, es metafísicamente imposible que disten entre sí.

10. Que el vacío grande, ó pequeño, coacervado, ó diseminado, es absolutamente imposible.» *Filos. Fund.* L. 3.° cap. 12.

rum, nihil reale est: quandoquidem, ut nunc adnotavi, extensioni solum addit abstractionem, et relationem quandam rationis. Ergo realitas objectiva spatii est ipsa realitas objectiva extensionis, quæ in corporibus universi invenitur.

CAPUT QUARTUM.

De legibus naturæ ipsarumque derogatione.

ARTICULUS PRIMUS.

De notione et existentia legum naturæ.

Magni ponderis esse hujus capitis argumentum vel ex eo satis constat, quod controversiam de miraculi possibilitate et natura attingat. Porro, ut dilucide in ea procedatur, prænoscere oportet quid naturæ nomine, quid legis, ordinis, ac cursus naturæ, intelligendum sit. Unde,

a) *Naturæ* nomine hic intelligitur: *complexus, vel universitas omnium substantiarum creatarum, quatenus vim obtinent ad determinatos effectus producendos.* Quæ definitio congruit *naturæ universæ*, quæ subaudienda est dum de miraculis sermo habetur, nisi aliud exprimatur. Unde dum agitur de natura ac derogatione legum ipsius per miracula, ut minus exacta est habenda definitio illa qua natura dicitur: *universitas causarum corporearum ac sensibilium*, quam, inter alios, proponit et amplectitur P. Cuevas.

b) Lex naturæ, nihil est aliud quam *constans determinatio causarum creatarum ad similes effectus producendos in similibus rerum adjunctis:* sic, dicimus aquam constanter determinari ex naturæ lege ad æquilibrium vindicandum, si nihil obstet.

c) *Ordo naturæ* exprimit ac significat præfatas causas creatas, quatenus effectus qui ex eis enascuntur, ad determinatum finem collimant; qui particulares fines, quatenus invicem connectunctur, *ordinem universalem* mundi constituunt. Tandem,

d) *Cursus naturæ*, est *consecutio invariabilis phænomenorum ex causis creatis, quatenus subjiciuntur certis legibus.* Sic, ut allato exemplo insistamus, aqua, quia operatur ex determinatis legibus, æquilibrium adsequitur ex propriæ *naturæ cursu*, hoc est, juxta modum agendi invariabilem. Quibus prænotatis sit

THESIS.

Existunt leges naturæ, ad quarum normam substantiæ creatæ constanter agunt.

Prob. 1.° Idem est adstruere existentiam legum naturæ, ac adstruere existentiam rerum quæ in eisdem vel similibus rerum adjunctis et conditionibus, eosdem vel similes effectus ac phænomena constanter producant; atqui existentia rerum hujus generis experientia ipsa aperte constat: ergo. Min. patet: siquidem ex perspicua experientia eaque universali quoad loca, tempora, et personas, scimus ac videmus constantes dierum et noctium vicissitudines, astrorum revolutiones uniformi ratione peractas, lapidem sibi relictum deorsum cadere, generationes plantarum et animalium fixa ratione ac ad normam constantem perfici, aquam, si igni admoveatur, incalescere, fervere ac in vapores attenua-

ri, aerem redigi in brevius volumen pro ratione vis comprimentis, cum sexcentis aliis, in quibus videmus quotidie, positis determinatis conditionibus, determinata phænomena necessario ac constanter exoriri. Ergo vel rejicienda penitus experientia ipsa sensibilis et universalis, vel fatendum, res naturæ agere et moveri ad normam stabilis ac fixæ legis.

Prob. 2.° Si nullæ existerent naturæ leges, ad quarum normam creatæ substantiæ phænomena producerent, nec extare posset in homine providentia, quæ prævisioni et præscientiæ futurorum innititur: similiter existere non possent ullæ scientiæ, nec artes; quandoquidem scientiæ et artes, præsertim physicæ et naturales, nec existere nec concipi quidem possunt, nisi quatenus continent axiomata quædam ex experientia deducta, quæ proinde præsupponunt ac exprimunt totidem leges stabiles et fixas naturæ.

ARTICULUS SECUNDUS.

De derogatione legum naturæ, seu possibilitate miraculi.

Prænotanda:

1.° Quoniam ex demonstratis, substantiæ creatæ agunt juxta leges determinatas et stabiles, ex quibus exurgunt ordo et cursus naturæ, effectus *naturales* illi appellantur, qui oriuntur ex præfatis substantiis, quatenus legibus et ordini consueto naturæ subjiciuntur. Contra vero, phænomena illa quorum existentia suspensionem legum et ordinis naturæ creatæ involvunt, effectus *supernaturales* dicuntur, quia præter leges et ordinem consuetum naturæ existentiam adipiscuntur.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

2.° «Hæc autem, inquit D. Thomas, (1) quæ præter ordinem communiter in rebus statutum quandoque divinitus fiunt, miracula dici solent. Admiramur enim aliquid, cum effectum videntes, causam ignoramus. Et quia causa una et eadem, a quibusdam interdum est cognita, et a quibusdam incognita, inde contingit quod videntium simul aliquem effectum, aliqui mirantur, et aliqui non mirantur: astrologus enim non miratur videns eclipsim, quia cognoscit causam; ignarus autem hujus scientiæ necesse habet admirari, causam ignorans... Illud ergo simpliciter mirum est, quod habet causam simpliciter occultam; et hoc sonat nomen *miraculi*, ut scilicet, sit de se admiratione plenum, non quoad hunc vel quoad illum tantum. Causa autem simpliciter occulta est Deus; probatum est enim supra, quod ejus essentiam nullus homo in statu hujus vitæ intellectu capere potest. Illa igitur simpliciter miracula dicenda sunt, quæ divinitus fiunt præter ordinem communiter servatum in rebus.»

3.° Ex his D. Thomæ verbis, quæ continent summariam theoriam philosophiæ christianæ circa miracula, colligitur: 1.° *miraculum*, quoad nominis originem, convenire cum *effectu mirabili*, quatenus miraculum nomen suscepit ab admiratione, quasi res admiratione digna: 2.° miraculum differre tamen ab effectu mirabili quoad rem ipsam significatam; potest namque aliquis effectus esse *mirabilis* seu admirationem producens, saltem quoad plures homines, ut patet in exemplo allato de eclipsi, et tamen non verum miraculum, quia procedit ex viribus, et juxta ordinem naturæ.

4.° Nec sufficit ad rationem miraculi quod causa sit occulta vel utcumque ignota, sed requiritur quod sit oc-

---

(1) *Sum. cont. Gent.* lib. 3.° cap. 101.

culta vel ignota homini ex ipsa sua natura sive *simpliciter*, ut habet D. Thomas, ut est Deus, cujus nec essentia ipsa, neque agendi virtus, utpote infinita, ab homine ullo comprehendi possunt, quamvis certo scire ac demonstrare possit ejusmodi virtutem esse infinitam, ac proinde posse producere effectus superantes vim totius naturæ creatæ et finitæ. Hinc, quamvis phænomena quædam electricitatis, ac præsertim magnetismi animalis, et mira sint in seipsis, et eorum causa ignota dici queat quod intimam ipsius essentiam aut determinatam agendi rationem, miracula tamen non sunt: 1.° quia ejusmodi phænomena simili ratione constanter eveniunt in determinatis et similibus rerum adjunctis, quod ostendit ea subjici legibus stabilibus, ac determinatis conditionibus naturalibus: 2.° quia ipsorum causa, quamvis ignota quoad intimam essentiam et *a priori*, cognita tamen est quoad ejus finitudinem; certo namque agnoscimus præfatam causam necessario finitam existere, eo ipso quod nonnisi sub determinatis conditionibus agat, et præsertim quia effectus ejus sub determinato ordine, ac certis limitibus circumscribuntur: nec enim unquam electricum aut magnetismus, poterit cursum solis sistere, aut hominem post quatuor dies mortuum, resuscitare.

5.° Ast ad rationem miraculi, proprie ac strictiori sensu accepti, requiritur præterea, quod effectus producatur insolita ratione, sive independenter a determinatis conditionibus ac rerum adjunctis. Itaque, si effectus aliquis constanti ratione a Deo producatur, positis determinatis rerum naturalium conditionibus juxta leges providentiæ generalis circa universum, effectus ille non erit proprie miraculum. Cujus rei exemplum habetur in anima rationali, quæ, quia a Deo constanti et veluti uniformi ratione producitur, posita congrua corporis organizatione, ejus creatio seu productio ex nihilo, miraculum proprie non dicitur, quamvis aliunde revera sit, et effectus mi-

rabilis, et effectus habens causam simpliciter occultam, nempe, Deum, a quo solum producitur, et effectus superans vim totius naturæ creatæ.

6.° Atque ex his jam colligere licet congruam definitionem miraculi, ita ut illud ad mentem D. Thomæ dicatur: *Effectus mirabilis virtute divina productus præter ordinem naturæ communiter servatum in rebus.* Siquidem, hæc definitio continet omnia quæ, juxta nunc exposita, ad miraculi rationem requiruntur: nempe, 1.° ut sit effectus mirabilis in seipso: 2.° ut sit effectus insolitus: 3.° ut virtute divina fiat: 4.° ut excedat vel superet vires totius naturæ. Attamen quoad postremum hocce,

7.° Sedulo animadvertendum, non omnia miracula vires totius naturæ superare quoad effectum ipsum in se ipso, sive cum præcisione a circumstantiis, spectatum. Quandoque enim effectus dicitur *miraculosus*, non quod in natura non suppetant vires pro illo effectu absolute producendo, sed quia non suppetunt ad ipsum producendum tali modo, vel sub his adjunctis ac conditionibus, in quibus producitur. Atque exinde profluit partitio eaque aptissima, qua D. Thomas tria miraculorum genera assignat. Nam, ut ipse merito habet, (1)

8.° «Summum gradum inter miracula tenent ea in quibus aliquid fit a Deo, quod natura nunquam facere potest, sicut quod duo corpora sint simul... Et inter hæc adhuc ordo attenditur; nam quanto magis sunt remota a facultate naturæ, tanto miraculum majus est, sicut majus est miraculum quod sol retrocedat, quam quod mare dividatur.

Secundum autem gradum in miraculis tenent illa, in quibus Deus aliquid facit quod natura facere potest, sed non per illum ordinem: (hoc est, non in tali subjecto, aut

(1) *Sum. cont. Gent.* lib. 3.° cap. 101.

præsupposita tali conditione) opus enim naturæ est, quod aliquod animal vivat, videat, et ambulet; sed quod post mortem vivat, post cæcitatem (a nativitate) videat, post debilitatem claudus ambulet, hoc natura facere non potest, sed Deus interdum miraculose operatur. Inter hæc etiam miracula gradus attenditur, secundum quod id quod fit, magis est a facultate naturæ remotum.

Tertius autem gradus miraculorum est, cum Deus facit quod consuetum est fieri operatione naturæ, tamen absque naturæ principiis; (intellige, absque applicatione virium naturæ, quæ pro illo effectu applicari consueverunt) sicut cum aliquis a febre curabili per naturam, virtute divina (subito et absque medicina) curatur.» Ex quibus D. Thomæ verbis colligitur opera dici posse *miraculosa*, vel quia aperte superant vires totius naturæ, ut penetratio corporum, quod motus solis, vel terræ sistatur: vel quia superant vires naturæ, non absolute, sed ratione subjecti aut adjunctorum, in quibus fiunt, ut dum cæcus a nativitate propter defectum vel carentiam oculi, aut nervi optici, visum recipit, aut dum homo ad vitam revocatur postquam ejus corpus jam putrescebat: vel tandem quia vires naturæ superant solum quoad modum quo perficiuntur, ut dum homo ex gravi ac diuturno morbo curatur subito, ex solo verbo vel imperio hominis. Opera prioris generis, dici queunt miracula, *quoad substantiam:* secundi generis, miracula *quoad subjectum:* tertii tandem generis, miracula *quoad modum.*

9.° Cæterum, quamvis inter præfata miracula, *summum gradum*, ut ait D. Thomas, obtineant miracula quoad substantiam, id tamen nihil obstat quominus miraculis secundi aut tertii generis, ratio ac definitio miraculi vere conveniat. Attamen *quoad nos*, seu potius quoad ipsorum existentiam dignoscendam ac determinandam, miracula quoad substantiam, reliqua antecellunt, quatenus facilius ea quam cætera dijudicare pos-

sumus: siquidem, facilius ac tutius agnoscimus miraculum adesse, si videamus motum solis deficere, aut duo corpora extensa eundem locum occupare, quam si videamus, vel cœcum a nativitate, vel febri gravi laborantem, subito sanitatem recuperare.

10. Hinc accurate secernenda est possibilitas miraculi hujusque existentia in communi spectata, seu datis certis conditionibus et adjunctis, ab existentia ejusdem in particulari seu hic et nunc spectata, ad quam asserendam ac tuto determinandam, requiritur ut rei adjuncta et conditiones accurate perpendantur: sic, quamvis videam, v. gr. hominem a nativitate cœcum visum recipere, non statim miraculum pronunciabo, sed magna diligentia perquirere prius oportet causam et naturam illius cæcitatis, num, scilicet, ex carentia totali, vel partiali ipsius organi, vel tantum ex defectu aliquo accidentali, qui per artem, aut vires naturæ restitui possit: deinde, quodnam medium adhibitum fuerit, num medium effectui minime respondens ex ipsa rei natura, ut verba sola; num e contra, medicamina, vel vires naturæ potentissimæ, quamvis mihi parum cognitæ, ut electricum, vel magnetismus; num instantanea, vel sucessiva; num completa, vel incompleta; num in confirmationem erroris, vel veritatis, approbationem peccati, vel virtutis, etc. patrata sint opera illa, sicque de reliquis quibus prudens ac tuta factorum singularium crisis constituitur. Itaque, quamvis miraculi ratio indubia ac facile manifesta sit in quibusdam factis, ut dum ad vocem Christi Lazarus e sepulchro exivit, in aliis tamen, in quibus ea ratio minus aperte apparet, sedulo cavendum a præcipiti judicio, eo vel maxime quod Deus Deique vera Religio, non falsis, nec dubiis miraculis indigeat, cum vera et indubia plurima habeat. Sed hæc ad criticos et theologos, ad quos spectant existentia, et notæ seu characteres miraculi; nos enim essentiam et possibilitatem mi-

raculi solum vestigamus. Quorum primo jam peracto, sit nunc,

THESIS.

Miracula sunt possibilia.

Prob. 1.° Ad rationem miraculi sufficit quod Deus producat opus insolitum præter ordinem et legem naturæ, seu derogando et suspendendo leges, quibus natura in agendo subjicitur: ergo miraculum est possibile, si leges naturæ derogationem pati possint virtute divina. Atqui revera Deus legibus naturæ potest derogare: ergo. Min. subs. prob. 1.° quia leges mundanæ, ex quibus mundi hujus ordo exurgit, nequeunt esse magis necessariæ quoad existentiam actualem, quam ipsæ res ex quibus derivantur, et quæ ad ipsarum normam operantur; atqui res vel naturæ, ex quibus mundus coalescit, non sunt necessariæ sed contingentes respectu Dei, quoad existentiam actualem; posset enim Deus easdem in nihilum redigere sicut potuit ab initio non creare: ergo a fortiori contingentiæ subjiciuntur leges naturæ respectu Dei: 2.° quia etiam in hypothesi existentiæ hujus mundi, Deus, utpote supremus ejusdem Dominus ac creator, potuisset alterum ordinem, colligationem, ac relationem rerum instituere, ut plures planetas, aut velociorem motum, aut in aliam directionem imprimere, majores distantias, vel minores constituere, etc.: ergo leges actuales naturæ subsunt contingentiæ absolutæ respectu Dei.

Prob. 2.° Tanquam verum miraculum profecto et ad minus haberi debet opus insolitum, quod superat vires totius naturæ creatæ, sive opera ea quæ miracula *quoad substantiam* dicuntur; atqui Deus ejusmodi opera potest perficere: ergo. Et revera quidem, Dei potentia,

utpote infinita, hujus mundi naturas et leges prætergreditur ac superat; unde sicut potest alias naturas, et alium mundum producere, ita potest aliquem effectum, qui hujus mundi vires prætergrediatur et excedat producere. Neque enim divina potentia exhauritur per productionem effectuum, qui in hocce universo cernuntur. Ergo Deus miracula patrare potest, non solum quatenus ut supremus mundi et naturæ auctor, naturæ leges suspendere et derogare potest, ut dum aquas lacus sub plantis Petri solidavit, aut dum suspendit efficaciam comburendi in igne fornacis Babylonis quoad tres pueros, sed etiam quatenus extra numerum causarum naturalium existit, omnemque naturam transcendit. (1)

---

(1) Atque ex his, quæ tam in probationibus, quam in prænotatis thesis allata sunt, facile quisque potest colligere, vel falsas, vel minus exactas esse miraculi quasdam definitiones, quæ in philosophicis ac theologicis libris non raro reperiuntur, quasque sigillatim expendere nec vacat, nec operis ratio permittit. Sic, e. c. Spinoza miraculum definit: «Opus, cujus causam naturalem exemplo alterius rei solitæ explicare non possumus, vel saltem ille non potest qui miraculum scribit, aut narrat;» in qua sane definitione, confunditur et identificatur miraculum cum eventu miro vel extraordinario, cujus causa nobis sit incognita. Ad hujus definitionis normam, miracula dicenda essent, non solum creatio animæ rationalis, sed quæcunque phænomena naturæ, quorum causam et productionem explicare non possumus, ut phænomena quædam electrici, aurora borealis, monstra quæ quandoque enascuntur, etc. Alii, ut Bonnet, ajunt, «miracula comprehendi intra sphæram legum naturæ, esseque modificationes earumden legum;» quæ sane definitio miraculi propriam rationem, ac præsertim miracula quoad substantiam, e medio tollit. Alii, ut Dock, cui concinunt fere Grew et Clarke, nihil aliud intelligunt nomine miraculi, nisi *opus naturale* quidem, sed *insolitum* vel *extraordinarium*, vel operationem sensibilem, «quæ cum spectatoris superet captum, ipsiusque opinione cursui naturæ constituto contraria sit, ab eo pro divina habetur.» Ubi vides miraculum, vel confundi cum effectu mirabili vel extraordinario, quamvis non superet naturæ vires, nec ex divina virtute procedat, vel ad captum et opinionem hominis reduci. Rejicienda demum sententia Houtteville, qui existimat miraculum vires naturæ revera non superare, nec præter leges et vim naturæ perfici, quamvis

Corollarium.

Ex dictis colliges, quod in re hac ille prudenter se geret, qui imitetur praxim Ecclesiæ, quæ de miraculis non pronuntiat nisi post diligentissimam crisim; quamvis enim certo sciamus in communi quid sit miraculum, quidve ad ejus existentiam requiratur, ast sæpenumero ignoramus, nec facile dignosci potest, num in hoc casu particulari adsit miraculum necne; vel utrum phænomenum hocce sibi vendicet conditiones omnes ad verum miraculum requisitas.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Miraculum, ex dictis, est effectus supra leges et vires totius naturæ creatæ; atqui nunquam certo constare potest effectum aliquem esse supra vires et leges totius naturæ: ergo. Prob. min. Supra vires et leges naturæ sensibilis, quæ a nobis cognoscitur, existunt spirituales substantiæ sive angeli, quorum agendi

---

insolito, seu præter cursum naturæ ordinarium fiat; adeo ut, juxta ejus theoriam, dum sol e. c. stetit ad jussum Josue, miraculum ibi adfuit, quia res insolita et extra ordinem consuetum contigit, ast opus non fuit ut lex aliqua naturæ suspenderetur aut derogaretur ex virtute divina; quinimo, phænomenum illud consecutum fuit ex ipsis naturæ legibus, ita ut sol illa die stetisset, etiam absque jussu Josue. Quæ quidem theoria rationem miraculi prorsus evertit: 1.° quia miraculis quibusdam applicari ulla ratione nequit; ¿quis enim dixerit Lazarum jam quatriduanum, ex naturæ lego aliqua et vi resurgere posse, aut revera resurrecturum, etiamsi Christus eum ad vitam non vocasset?: 2.° quia in ea gratis et ad arbitrium finguntur leges naturæ, ex quibus miracula originem ducant: 3.° quia miraculum cum effectu miro, sive extraordinario confundit, quodque pejus est, falsitatem arguit in viris sanctis, qui, dum miracula edebant, non ex naturæ legibus et efficacia, sed ope et *virtute* divina se operari significabant et profitebantur.

vim ignoramus: ergo nunquam certo constare nobis potest de existentia miraculi; fortasse enim illud, quod miraculum nos pronunciamus, erit effectus virtutis angelicæ.

Resp. Pro solutione hujus argumenti, quod, mea sententia, præcipuum est in hac quæstione, præ oculis habere oportet quæ sequuntur: 1.° miracula secundi et tertii generis, vel quæ talia dicuntur solum quoad subjectum, vel quoad modum, miracula *simpliciter* seu in toto rigore non sunt, nisi aut excedant vires totius naturæ ex datis adjunctis, aut si non excedant, saltem illo in casu perficiantur directe per virtutem divinam, et non utendo aliquo agente, quod ex sua natura vim habeat pro effectu illo.

2.° Quando effectus aliquis secundum se spectatus produci potest ab aliquo agente creato, si producatur ab hoc agente ex speciali, vel jussione, vel permissione Dei, non erit miraculum simpliciter ac proprie tale, eo ipso quod continetur intra sphæram activitatis causæ naturalis; poterit tamen dici miraculum imperfecte seu *secundum quid*, quatenus est effectus insolitus, qui non producitur hic et nunc nisi ratione jussionis, aut permissionis specialis ex parte Dei. Sic, in hypothesi quod angeli febrem subito curare queant, si febre laborans sanitati restituatur directe per virtutem divinam, non adhibendo operationem ullam, nec medicinam effectui proportionatam, tunc effectus ille erit miraculum verum ac simpliciter, quia modus quo fit, v. e. sola voce, vel imperio, superat vires totius naturæ: si vero sanitati subito restituatur quia angelus ex Dei jussione et voluntate, sua virtute ægroti corpus immutavit congrua ratione pro febri depellenda, tunc ejusmodi sanitas non erit simpliciter miraculosa, utpote contenta, ex hypothesi facta, intra sphæram activitatis agentis creati; erit tamen miraculosa secundum quid, quatenus et insolito

modo, et nonnisi ex speciali Dei jussione producta fuit.

3.° Quamvis in quibusdam casibus non facile dijudicare possimus, utrum res de qua agitur vires totius naturæ superet, at in aliis facile quisque agnoscit, vel rem illam vires naturæ prorsus excedere, ut penetratio corporum, revocatio cadaveris putrefacti ad vitam, ejectio dæmoniorum etc., vel saltem, quidquid sit de vi absoluta naturæ respectu ejus, hic et nunc oriri ex virtute divina, habita ratione modi ac mediorum, quæ ad effectum producendum adhibentur, ut dum cæcitas a nativitate solo luto, aut surditas, vel claudicatio ex vitiosa conformatione pedum solo verbo expelluntur, præsertim si is qui ejusmodi mira patratur, sanctitate polleat, hujusmodi opera ut vera miracula ex Dei virtute prædicet, atque in confirmationem cœlestis doctrinæ efficiat. Quibus prælibatis, ad objectionem,

Resp. 1.° argumentum hocce propositam a nobis thesim nec vel minimum infirmare; quia etiam data tota objectione, ex illa tantum consequeretur, hominem non posse per certitudinem discernere ac dijudicare vera miracula, ast minime idcirco evertitur possibilitas miraculi, ut constat ex probationibus et prænotaminibus thesis. Objectio ergo, quam impii quidam nimis extollunt, criterium miraculi ex parte hominis attingit, non vero ipsam possibilitatem miraculi, de qua hic solum est sermo. Nihilominus,

Resp. 2.° Neg. min. Falsum namque prorsus est, nos nunquam per certitudinem scire posse, opus aliquod superare vires totius naturæ, ut patet ex exemplis supra adductis, et aliis, quæ aperte virtutem divinam exigunt, ut prædictio futurorum quæ ex libera hominis determinatione pendent, cognitio internæ cogitationis, existentia corporis extensi absque occupatione loci, etc. Ex objectione ergo solum consequitur, nos non semper tuto ac facile miraculi existentiam et discrimen ab opere

agentis spiritualis dijudicare posse, præsertim in his quæ miracula dicuntur solum vel ex parte subjecti, vel ex parte modi.

Resp. 3.° Etiam quoad hæc postrema, et, ut ita dicam, inferiora miracula, facile et tuta ratione dijudicari queunt, saltem *negative*, hoc est, agnosci potest quandonam non vera miracula sint, sed tantum insolita opera ex operatione dæmonum, Deo permittente, producta. Sic, si videam opera mira et præter vires naturæ sensibilis produci, simulque videam ejusmodi opera ad confirmationem erroris et impietatis vergere, statim ac tuto agnosco, ejusmodi opera non procedere ex Deo, cui repugnat agere ad confirmationem mali moralis, tam per seipsum quam per angelos bonos, qui Dei mandata et voluntatem exequuntur; ac proinde non esse vera miracula, sed ad summum effectus substantiæ spiritualis præstantiori vi supra naturas corporeas operantis ex permissione Dei.

Objic. 2.° cum Rousseau. Cum per miraculum derogentur, vel suspendantur naturæ leges, ipsius existentia certo nobis constare nequit, nisi cognoscamus cunctas naturæ leges; atqui homo cunctas naturæ leges minime cognoscit: ergo nec naturam et existentiam miraculi.

Resp. Neg. maj. Etenim, consecutio illa in majori posita, omnino gratis affertur; imo etiam, rectæ rationi ac communi hominum sensui repugnat. ¿Quis namque serio dicat opus esse universas naturæ leges noscere, ad hoc ut certo atque tuto agnoscamus, hominis cadaver quatriduanum et jam fœtens, ad vitam revocari non posse solo verbo, juxta naturæ leges, aut quinque millia hominum quinque panibus saturari non posse? Ex objectione itaque consequitur ad summum, id quod jam superius adnotavi, nempe, maximam adhibendam curam in perpendendis factis mirabilibus, præsertim dum

ad ipsorum productionem operationes chimicæ vel agentia naturalia efficacissima adhibentur; sed minime consequitur opus esse universas naturæ leges prænoscere, ut per certitudinem *quandoque* pronunciemus adesse verum miraculum. Prudentia adhibenda, sed scepticismus absolutus fugiendus.

Objic. 3.° cum Spinoza. « Quidquid fit, per voluntatem et æternum decretum fit, hoc est, quidquid fit, id secundum leges et regulas, quæ æternam necessitatem et veritatem involvunt, fit; natura itaque leges, et regulas, quæ æternam necessitatem et veritatem includunt, quamvis omnes nobis notæ non sint, semper tamen observat, adeoque etiam fixum et immutabilem ordinem:» ergo miraculum impossibile est, sicut impossibile est mutari decreta Dei leges naturæ constituentis. (1)

Resp. 1.° falsum esse leges naturæ esse Dei decreta, ut Spinoza supponit; nam leges naturæ non sunt ipsa Dei decreta, quæ se tenent ex parte voluntatis divinæ cum qua identificantur, sed potius sunt terminus extrinsecus, ac veluti productum decretorum Dei. Unde in forma posset dici: leges naturæ sunt Dei sive voluntatis divinæ decreta, sumpta *objective* et *terminative*, conc. sumpta *subjective*, neg. Aliud namque est actus quo Deus decernit talem legem naturæ creatæ imponere,

---

(1) Hæc Spinozæ argumentatio, si involucris pantheisticis, ac inutili verbositate spolietur, revocatur ad objectionem, quam sibi D. Thomas proposuerat, his paucis ac perspicuis verbis: «Causas naturales Deus voluntate sua instituit: ergo contra eas nihil facit nec facere potest, sicut non potest esse mutabilis.» *QQ. Disp. De Pot.*, q. 6.ª, art. 1.° Quod idem argumentum in *Sum. Th.*, 1.ª P., q. 105, sic breviter proponit: «Ordinem naturæ Deus instituit: si igitur præter ordinem naturæ Deus aliquid faciat, videtur quod ipse sit mutabilis, quod est inconveniens.»

aliud ipsa lex naturæ indita, sicut aliud est actus quo Deus vult creare Adamum, et aliud Adamus qui terminat hanc volitionem Dei. Sicut ergo ex eo quod Adamus semel creatus per liberum Dei decretum, a Deo postea in nihilum iterum redigeretur, non idcirco mutaretur Dei interna voluntas, ita nec mutatur ex eo quod hic et nunc suspendatur lex determinata naturæ, sive producatur effectus supra illam. Sed tamen,

Resp. 2.° Dist. cons. Impossibile est etc., *si Deus simul non prænosceret ac prædeterminaret futuras derogationes legùm naturæ per miracula*, conc. *si prænoscat et prædeterminet*, neg. Argumentum penitus evanescit si mente recolatur, quod Deus eodem actu quo stabiles leges ac determinatum ordinem naturæ indidit, simul prævidit atque determinavit, se quandoque operaturum contra hunc ordinem, et supra illas leges: unde cum miraculum edit, id ipsum facit, quod facere ab æterno decreverat, sicque nulla mutatio realis adest ex hoc in divina voluntate. « Deus, inquit D. Thomas, sic rebus certum ordinem indidit, ut tamen sibi reservaret quod ipse aliquando aliter ex causa esset facturus: unde, cum præter hunc ordinem agit, non mutatur.» (1) « Nam Deus, subdit alibi, (2) ab æterno prævidit et voluit facere quod in tempore facit: sic ergo instituit naturæ cursum, ut tamen præordinetur in æterna sua voluntate, quod præter cursum istum quandoque facturus erat.»

Objic. 4.° Repugnat miraculum a Deo patrari, nisi propter aliquem congruum finem, qui alius esse nequit nisi nos perducere ad Dei cognitionem; atqui nec finis iste, nec alius quispiam qui assignetur, obtineri potest per miraculum: ergo. Prob. min. Miraculum ex-

---

(1) *Sum. Theol.*, loc. cit.
(2) *QQ. Disp.*, loc. cit.

cedit cognitionem nostram; id autem quod cognitionem excedit in cognitionem alterius rei ducere nequit.

Resp. Omiss. maj. Neg. min. Ad prob. dist. Miraculum excedit nostram cognitionem *quoad modum et virtutem quibus fit*, conc. *quoad existentiam ejus et virtutis divinæ, per quam fit*, neg. Sicut existentiam Dei, ejus unitatem et alia attributa, per certitudinem scimus atque demonstramus, quamvis intimam essentiam Dei, ejusque infinita attributa non penetremus, ita etiam per certitudinem scire possumus miracula posse existere per infinitam Dei virtutem, quamvis nec infinitam efficaciam hujus virtutis, nec intimum modum quo miracula a Deo patrantur, comprehendamus.

Omiss. maj. quia plures congrui fines assignari possunt miraculis, præter assignatum in objectione; v. c. hominem a suo torpore excitare, patefacere Dei providentiam specialem erga homines, ac præsertim hominis mentem ad divina attollere per sensibilem et extraordinariam ostensionem divinæ virtutis, cui universa natura ad nutum obedit; «nullo enim modo, inquit D. Thomas, melius manifestatur quod tota natura divinæ subjecta est voluntati, quam ex hoc, quod quandoque ipse (Deus) præter ordinem naturæ aliquid operatur.»

Objic. 5.° Miraculum, prout a nobis est definitum, repugnat penitus: 1.° quia est violatio legis naturæ, repugnat vero violatio legis ex parte Dei: 2.° quia absurdum est dicere Deum evertere naturam et ordinem universi; ast per miraculum, ex dictis superius, evertit ordinem naturæ et universi.

Resp. breviter ad utrumque:

Ad 1.^{m} Miraculum est quidem derogatio legis *physicæ* naturæ, ast non violatio legis naturæ, idque non solum quatenus nomine *legis naturæ* comprehenditur naturalis moralis hominis, quam Deus nec violat, nec

derogat, sed etiam quoad ipsas leges physicas naturæ, sive humanæ, sive alterius. Siquidem, violatio est transgressio legis ab eo qui lege obstringitur; unde si quis non servet legem, cui non subjicitur, non dicitur legem *violare*, sed tantum legem non servare, seu potius præter aut extra illam legem operari. Sicut ergo infidelis non jejunans in quadragesima, non vere violat legem jejunii, cui non subjicitur, sed tantum agit extra et præter hanc legem, ita etiam in miraculis Deus operatur quidem extra vel supra legem naturæ, sed non *violat* legem naturæ, cum Deus non subjiciatur legibus physicis naturæ.

Ad 2.^{m} Miraculum evertit quidem ordinem *particularem* unius naturæ vel rei ad aliam, sed non evertit nec ordinem universalem naturæ, nec finem generalem mundi. Nam, ut scite habet D. Thomas, (1) «quando Deus agit contra cursum naturæ, non tollitur totus ordo universi, sed cursus, qui est ex ordine unius particularis rei ad aliam: unde non est inconveniens, si aliquando contra cursum naturæ aliquid fiat ad salutem hominis, quæ consistit in ordinatione ipsius ad ultimum finem Universi.»

ARTICULUS TERTIUS.

De Magnetismo animali seu Mesmerismo.

Homines increduli ac rationalistæ non pauci nostri temporis, miraculorum possibilitatem et existentiam

---

(1) *QQ. Disp.*, *De Pot.*, art. 1.°, ad 21.

vehementer oppugnare sunt aggressi ex miris phænomenis quæ, vel ope, vel occasione *Magnetismi*, hac nostra ætate produntur. Unde opere pretium est quidpiam de re hac breviter delibare, quo catholicus philosophus prudenter se gerere possit in quæstione valde implexa, et periculis obnoxia, sive quis ad dexteram, sive ad sinistram nimium declinet. Sit itaque

§ I.

Notio, divisio, ac phœnomena Magnetismi animalis.

1.° Notio Magnetismi.

Magnetismus hic appellatur: *Ars illa qua phœnomena mira et extraordinaria, in homine præsertim produntur,* (1) *adhibendo ad id media quædam, sive physica et corporalia, sive moralia et spiritualia.* Dico, *vel media physica et corporalia, sive moralia et spiritualia*, quia magnetismi asseclæ utraque adhibere solent, nec inter se conveniunt quoad mediorum efficaciam et necessitatem. (2) Hanc porro magnetismi descriptionem, eamdem

---

(1) Dico *in homine præsertin*, quia phænomena quæ magnetismo tribuuntur, in hominibus, ut plurimum, producuntur et manifestantur, quamvis ipsorum quædam, ut motus aliqui, in corporibus aliis exerantur.

(2) Hinc merito Bizouard: «Quoique les procedés varient selon les ecoles, tous produissent les mêmes effets. A Mesmer, par exemple, qui trouvait des pôles, qui reconnaissait l' influence des planètes etc., il fallait des baguettes de fer; à Puysegur il ne fallait que l' attouchement et la volonté: l' abbe Faria disait: «Je le veux, et il était obei: Plusieurs magnétiseurs enseignent qu' il suffit de vouloir et de croire... Tardy de Montravel dit qu' il faut une volonté forte, point d' hésitation:

Mesmerismo accommodamus; quandoquidem Mesmerismus, a Mesmer ejus inventore sic dictus, nihil est aliud quam hodierni Magnetismi veluti prima manifestatio et evolutio.

2.° Divisio Magnetismi.

Triplex Magnetismi genus assignari potest: *vulgaris*, nempe, *transcendentalis*, et *hypnoticus*.

a) *Vulgaris* magnetismus ille dicitur, qui adhibet media physica et corporalia, ut contactus, vel attrectationes, gestus, oculorum fixum obtutum, insufflationes et similia; idque, ut plurimum, pro infirmitatibus agnoscendis et curandis. Unde in eo comprehenduntur non solum inferiora quædam phænomena, ut rotatio mensarum, pandiculationes et motus membrorum, etc. sed etiam somnus magneticus, sonambulismus, sensuum transpositio, prædictio futurorum, cognitio absentium et occultorum; denique, cuncta phænomena, quæ specialiter non assignantur.

b) *Transcendentalis* magnetismus est qui constituitur per commercium hominis cum rebus spiritualibus et invisibilibus, sive illæ sint angeli boni, sive dæmones, sive hominum defunctorum animæ. Breviter: magnetismus *transcendentalis* respicit et complectitur phænomena quæ habentur in evocatione et per evocationem spirituum; unde et *spiritismus* dici solet: *vulgaris*, reliqua omnia magnetismi prhænomena.

c) *Hypnoticus* tandem magnetismus, a vulgari non differt nisi quoad media quæ ad phænomena magnetica

---

Dupotet prétend méme que la foi n' est nécessaire ni chez le magnétiseur, ni chez le magnétisé » *Des Rapports de l' homme avec le Démon*, t. 5, pag. 5. Opus hocce, quo præsertim nos hic utemur quoad partem historicam Magnetismi, sex voluminibus constat, illudque habemus ut egregium et eruditione plenum, quamvis auctor, nostra sententia, nimia credulitate ducatur quoad aliqua ex factis quæ narrat.

producenda adhibentur, quatenus, nimirum, dum vulgaris magnetismus attrectationes, gestus, etc. adhibet, *hypnotismus* adhibet fixitatem oculorum erga corpus aliquod, ut plurimum, lumine et splendore perfusum. (1)

3.° Phænomena Magnetismi.

Cum ea innumera fere assignentur a magnetismi asseclis, difficillimum sane ac pro elementari opere prorsus impossibile enumerare universa. Ea nihilominus ad quatuor genera revocabimus. Nempe:

A) *Phænomena mechanica*, sub quibus continentur rotatio mensarum et aliorum corporum, motus corporis humani, vel alicujus membrorum, attractio, elevatio, translatio, et suspensio corporum quorumdam. (2)

---

(1) L'hypnotisme, ou sommeil nerveux, decouvert en 1843, par le docteur Brasd de Manchester, et obtenu par lui en plaçant un objet lumineux, ou brillant à trente centimètres environ de distance des yeux de celui que l'on veut hypnotiser, est identique avec le magnétisme quant a ses effets.» Bizouard, ib. tom. 5, pag. 569.

Juxta Alfredum Maury, in opere cui titulus: *Le sommeil et les rèves,* homo per hypnotismum constituitur in quodam statu morboso, ex quo originem ducunt phænomena quæ in eo apparent. Ejus verba ad hispanum sermonem translata: «El hypnotizado cae en un estado mas ó menos pronunciado de anasthesia; tiene visiones y sueños como un extático. A causa de la debilitacion de su voluntad y atencion, su pensamiento es conducido por la persona que le habla ó le toca. Se producen en él todas las ideas, todas las sensaciones que se quieren traer á su memoria, las cuales aparecen á su espíritu como las imágenes del sueño, sin que pueda distinguir entre la realidad y la apariencia subjetiva.»

(2) Mira sunt profecto quæ circa ejusmodi corporum motus ope magnetismi tam vulgaris, quam transcendentalis narrantur. Specimins loco, sequentia tantum inter innumera, offero.

1.° Quoad magnetismum vulgarem.

a) M. Cloquet hæc habet de Puysegur ipsius magnetico magistro: «Le maître a non seulement le pouvoir de se faire entendre, mais de se faire suivre partout.»

b) Tardy de Montravel, ait: «On voit tous les jours des somnambules exécuter avec précision les mouvements que les magnétiseurs font dans des appartemens separés par des murs epais.»

B) *Phœnomena physiologica*, ad quæ revocari possunt, convulsiones et tremor membrorum, dilatatio, et contractio pupilæ et nervorum, somnus magneticus, insen-

---

c) Bizouard in op. cit. hæc inter alia narrat: « Le docteur Pigeaire dit qu' on peut se faire suivre dans toutes les directions en tenant à la main soit une pièce de monnaie, soit une bague magnétisée. Le somnambule s'incline à droite ou à gauche, se renverse en arrière... comme un automate, attiré par cet objet tenu à distance et hors de sa vue...

On lit dans le Journal du magnétisme du docteur Ricard, novembre de 1840, que l'epouse de M. Pourrat de Grenoble, ayant eté magnétisée par son père M. Schmit, médecin à Vienne, après quelque passes, au grand' etonnement des ássistants, elle fut soulevée de son lit sans toucher l'un ni l'autre.» Tom. 5.°, pag. 35.

2.° Quoad magnetismum transcendentalem.

a) «Le courrier des Etats-Unis du 18 juin 1852 contient une lettre datée de Saint-Louis, dans laquelle on raconte que les demoiselles Fox ont comparu dans l'amphithéatre de l'Ecole de médecine de l'université de Missouri devant cinq à six cent personnes. La réunion était présidée par un ancien maire de la ville opposé à la doctrine nouvelle. Ces demoiselles furent placées sur la table de dissection, de manière à ce que le moindre de leurs mouvements ne put echapper à personne. L' assemblée muette dans son attente les comtemplait. Un dialogue par *oui* et *non* s'est alors etabli entre le doyen de la faculté et les esprits qui ont répondu fort à propos aux questions scientifiques par de lègers coups de marteau... Les demoiselles Fox étant isolées ensuite sur de tabourets de verre, les bruits ont continué, et on a vu que le galvanisme et le magnétisme terrestre n'y était pour rien. M. le doyen, vieux matérialiste, a déclaré qu' il croyait à la présence des esprits.

Un pasteur protestant, M. Hammond raconte ce qu' il a vu chez les demoiselles Fox. A peine assis, on entendit des bruits qui augmentèrent de rapidité, et d' intensité, jusqu' à ce que la salle entière fut agitée d' un tremblement...

Ayant tous les mains posées sur la table, celle-ci s'eleva en l'air; voulant la retenir, elle s'echappa, et fut transportée à une distance de six pieds. Il n'y avait ni fil, ni corde pour la trainer: la table revint. La famille Fox entonna le chant des esprits, et cette table battait la mesure ; une main transparente se présenta devant le visage du pasteur; une main très-froide, s' appliqua sur son visage; il sentit plusieurs coups sur le genou gauche, et les epaules, sa chaise fut entrainée avec lui. Un morceau de carton parcorut la chambre en tous sens... un sopha dansa violemment, etc. » Bizouard op. cit. tom. 6.°, pag. 147 y 48.

sibilitas major aut minor, somnambulismus lucidus, transpositio, seu translatio sensuum, ut videre, vel audire per epigastrum, per occipitium, etc.

C) *Phœnomena cognoscitiva* seu perceptionis: talia sunt, præter alia, visio seu cognitio intuitiva morborum cum eorumdem remediis, duratione et crisibus, (1) cog-

---

b) «M. Rogers, dans sa *Philosophy of mysterious agents humane and mundane*, rapporte des expériences faites à Boston en 1853. L'auteur cite les noms des expérimentateurs: parmi eux figurent des savants, des professeurs, qui ont signé le procès-verbal: Mr. Hume ici était le medium.

La table se meut avec force, s'avance sur eux, les répousse: MM. Edwards et Wells luttent en vain contre le pouvoir invisible qui l'anime; qoique pressée, elle s'éleve en l'air et y flotte quelque secondes. M. Wells s'assoit sur ce meuble, qui le secoue violemment: elle se leve sur ses deux pieds, s'y maintient durant trente secondes; nul ne la touchait. Trois personnes s'y assirent, et furent promenées dans diverses directions.» *Ibid.* pag. 149.

Paulo fusius hæc retulimus, ut lector ideam aliquam præaccipiat phænomenorum omnis generis, quæ transcendenti magnetismo tribuuntur; quæque sic in compendium redigi possunt cum cit. Bizouard, cujus verba hispanice vertimus. «Estos seres (nempe spiritus qui evocantur in magnetismo transcendentali) tocan marchas, siguen el ritmo de una sonata, indicado ó cantado, imitan los ruidos de la sierra... de la lluvia, del mar, del trueno..., tocan campanas, ejecutan magníficos trozos de música militar, etc. Otras veces, á peticion de los asistentes, los muebles de todo género abandonan su sitio ó quedan adheridos al suelo, sin que sea posible moverlos... Mesas enormes cargadas de centenares de libros recorren las habitaciones, se inclinan mas de 45 grados, sin que se trastornen los objetos: otras danzan sobre un pié, no obstante el peso de muchas personas que arrastran consigo. Los hombres son transportados repentinamente de una habitacion á otra levantados en el aire, permaneciendo suspendidos en este por algun tiempo. Se ven y sienten manos sin cuerpos, las cuales estampan firmas de personas muertas, y escriben sobre papeles, á los cuales nadie se ha acercado. Vense formas humanas diáfanas, se oyen voces... se encienden y apagan las bugías, etc.» *Ibid.* pág. 138.

(1) «Dans la longue maladie de la dame Comet, rapportée par le docteur Teste, celle-ci prédit qu' elle aura le 7 decembre 1839 un point de côté. Sans avoir nul égard à ses règles, elle prescrivit une saignée de vingt onces. Le 7, en effet, vive douleur au côté gauche... Les extases, la

noscere occulta et absentia quoad locum, videre res etiam interposito corpore opaco, prævidere ac prædicere futura contingentia, idque non solum quoad ea quæ ex causis naturalibus pendent, quæ nos in posterum brevitatis gratia *futura naturalia* nuncupabimus, sed etiam futura *libera*, seu quæ ex libero hominis arbitrio pendent, perfectius ratiocinari, et loqui, scientias aut linguas antea ignotas addiscere, et loqui.

D) *Phœnomena transcendentalia* seu *suprasensibilia*. Eo nomine designata hic volo phænomena præcipua ac magis prodigiosa, quæ sibi speciatim vendicat magnetismus transcendentalis, qui, ut diximus, evocatione spirituum innititur. Ejusmodi sunt, elevatio et descensus mensarum, et aliorum corporum, prædicere occulta, remota,

---

catalepsie, la marche de la fluxion, tout est annoncé, et la délivrance prédite pour le mercredi 18 decembre, eut lieu le jour dit.» Bizouard, op. cit. tom. 5.° pag. 23.

« Madame Perier, déjà citée, voyait les plaies qui allaient se fermer, celles qui se formeraient de tel et tel côté; elle voyait sa fistule se guerir, une nouvelle poche d'humeurs se former, montrait la place qu' elle occupait, etc. »—*Ibid.* pag. 34.

« Voir à travers les corps opaques, jouer aux cartes les yeux bandés, lire dans un livre fermé ou lire une lettre pliée dans la poche, etc., sont des faits, si connus que bientot les plus ignorants en magnétisme ne les nieront plus. En présence de soixante personnes, le docteur Ricard met Calixte en somnambulisme chez M. Frapart. Calixte étant endormi les sceptiques de la societé lui placent sur les yeux un de ces bandeaux qui ne laissent pas d'espoir à la supercherie. Mais Calixte fait plusieurs parties de cartes avec tous ceux qui se présentent; ces cartes avait été achetées et apportées par les assistants, cependant le somnambule qui joue avec une rapidité incroyable, gagne constamment, parce qu'il connait le jeu de son adversaire.»—*Ibid.* pag. 44.

Ab aliis factis enarrandis, tam ad hunc phænomenorum ordinem, quam ad alios spectantibus, supersedeo; video enim notas hasce nimium excrescere. Qui exempla quoad præfata quatuor phænomenorum genera a nobis assignata, desideret, consulat Bizouard in op. cit. passim.

et futura, responsa accipere circa artes, scientias, et religionem, tam per ictus et alia signa, quam per scripturam: etenim, ope hominum, qui *medium* dicuntur, (1) non solum habentur apparitiones manuum, spectrorum, audiuntur concentus musici, etc., sed obtinentur dissertationes, sive ore prolatæ, sive scriptura exaratæ ad plurimas paginas implendas.

---

(1) *Medium* appellantur homines illi quibus inest facultas vel facilitas habitualiter communicandi cum spiritibus, ita ut habeantur quasi instrumenta permanentia, quibus spiritus suas exerunt multiplices manifestationes. Ipsorum conditionem, officia et discrimina, sic exponit Bizouard : « Il n'y avait que certaines personnes qui fussent des intermediaires obligés ; on les designa sous le nom de *mediums;* rien ne les indique d'avance, ils se révélent tout à coup, ou bien d'autre *mediums* les indiquent; ils appartiennent à tout age, à toutes les conditions, sont de tout sexe, et incredules ou croyants. On a vu parmi les *mediums* un juge de la cour supreme, plusieurs ministres de diverses sectes...

Des *mediums* tres-développés obtiennent presque toujours à volonté et partout les manifestations... On appelle *rapping mediums* ceux qui conversent au moyens de coups, dont le nombre designe les lettres de l'alphabet. Un mode de communication plus simple fut ensuite adopté ; les *mediums* servirent d'instruments : alors les uns, sous l'influence de l'esprit, tombent dans un etat automatique; les esprits disposant a leur gré de leurs organes, repondent aux questions verbales ou mentales par des mouvements spasmodiques de la tête, du corps, des doigts avec tant de rapidité, qu'il est difficile de les suivre; chez d'autres (ce sont les *Writing mediums*) une roideur tetanique saisit leur bras, qui armé d'une plume ou d'un crayon, sert d'instrument passif aux esprits pour écrire ou dessiner ce qu'ils veulent faire connaître, ce qui forme parfois des volumes entiers; l' intelligence des *mediums* y reste étrangère.

Les *speaking mediums* sont de vraies pythonisses qui d'une voix differente de la leur, eveillées ou endormies, prononcent les paroles mises dans leur bouche; ceux qui ont voulu resister sont tombés dans de violentes convulsions.

On a entendu des *mediums* prononcer des discours entiers complétement opposés a leurs opinions politiques ou religieuses.» *Op. cit.* t. 6.°, pags. 140 et 41.

§ II.

Sententiæ pro explicandis phænomenis Magnetismi animalis.

Theologi, philosophi et medici, in multiplices ac pene innumeras abeunt sententias, dum exponere aggrediuntur originem et causas phænomenorum magnetismi. Quas multiplices sententias, nos, brevitatis et perspicuitatis studio, ad quinque capita revocamus, nempe: ad theoriam *negationis*, theoriam *fluidorum*, theoriam *imaginationis*, theoriam *animæ humanæ*, theoriam denique *spirituum*. Itaque,

1.° *Theoriam negationis* amplectuntur illi qui magnetismi phænomena, quotquot narrantur, vel habent ut gratis ficta et asserta, vel adscribunt fraudibus, illusionibus, præstigiis et astutiæ callidorum hominum. Adhærent huic sententiæ plures medici, adhæsseruntque initio Debreyne, ac etiam Perronne, apud quem magnetismo «falso et gratuito tales effectus adscribuntur,» solumque concedit nonnullos ex effectibus circa valetudinem recuperandam, qui magnetismo tribuuntur, revera existere, qui tamen non magnetismo, sed imaginationis persuasioni adscribi debent: postea tamen opinionem mutavit.

2.° *Theoria fluidorum* propugnatur ab his, qui in phænomenis magnetismi nihil aliud vident nisi manifestationes et effectus cujusdam fluidi, quod quidem communi nomine *magneticum* nuncupatur, varie tamen a variis, imo etiam impie, a quibusdam describitur. Siquidem, fluidum istud, apud aliquos, est ignis ipse ele-

mentaris, qui dum universas pervadit substantias, uniuscujusque conditionem et proprietates induit, ita ut in mineralibus corporibus, fluidum *minerale* evadat, in animalibus ac homine, fluidum *nerveum*, etc. (1)

Apud alios, est ipsum fluidum nerveum, sive forma quædam et manifestatio calorici; (2) apud alios, fluidum magneticum nihil est aliud quam manifestatio quædam seu forma fluidi luminosi, quod est veluti primordiale, et origo reliquorum imponderabilium (3); apud alios tandem, magneticum fluidum est substantia quædam universalis, non solum lumine et calore, sed intelligentia prædita, imo ipse Deus: unde nihil mirum, si per ipsum homo possit occulta et absentia cognoscere, futura prædicere, cæteraque phænomena magnetismi prodere. (4)

3.° *Theoria imaginationis* adscribitur illis, qui inter phænomena magnetismi, quædam habent tanquam imaginationis hallucinationes, quædam vero ut realiter exis-

---

(1) Sic inter alios Tardy de Montravel, qui habet: «Le fluide est le feu élementaire, substance qui penetre tous les corps, dont l'essence est le mouvement qu'il communique à toute la nature; fluide nerveux dans les animaux, fluide mineral dans les minereaux...

L'homme le reçoit par ses pores, l'arbre par se feuilles.» *Essai sur la theor. du somnambulisme.*

(2) «Selon le docteur Ricard, l'agent magnetogene n'est autre que le fluide nerveux... une forme de calorique.» Bizouard, op. cit. tom. 3.°, pag. 287.

(3) Sic inter alios Charpignon, et Chardel, quorum primus hæc, inter alia, habet: «On découvrira un jour que tous les imponderables appartiennent à un imponderable primordial, qui est le fluide luminéscible des physiciens, le *lux* de la Genèse;» *Physiolog. du Magnet*, p. 1.ª c. 1.°.

(4) Ita ad impietatem usque oggannit ad pantheistarum commenta, Gentil, qui hæc scribit: «Il existe une substance universale, qui est lumière, chaleur, intelligence; Dieu est cette substance.» Alibi: «La lumière et la chaleur portant en elles l'intelligence ne peuvent émaner que du soleil; donc le soleil est Dieu.» *Initiat. aux myst. du magnet.*, pag. 55.

tentia, sed quæ oriantur ex insita vi aucta et excitata ejusdem imaginationis.

4.° *Theoriam animæ*, sive *animismum* profitentur, qui autumant magnetismi phænomena esse effectus virium latentium et ignotarum rationalis animæ. Has porro vires latentes et extraordinarias animæ humanæ, quidam pantheistice exponunt, ajentes hominis animam identificari cum anima universali mundi, esseque veluti manifestationem Dei, seu substantiæ universalis, quæ haberi potest tanquam fluidum, intelligentia præditum. (1) Alii in anima fingunt vibrationes nescio quas, quibus vim specialem exerit ad communicandum cum objectis externis, etiam procul existentibus. (2). Alii animismum quemdam materialistam inducunt, docentes ex hominis anima effluere materiam quamdam subtilissimam, quam *od* appellant, sive fluidum *odylum*, cujus ope communicatio quædam statuitur inter hominem et reliqua objecta. Porro, ex horum sententia, ex communicatione atque unione *od* humani cum *od* alio-

---

(1) Eminet inter hosce cit. Gentil, apud quem, ut supra diximus, fluidum magneticum identificatur cum Deo, cum quo identificatur quoque hominis anima. «L'âme de l'homme, inquit, ainsi que l'âme de la terre c'est l'âme de l'univers: c'est Dieu... L'agent magnetique s'offre partout mais ne peut être compris qu'en se rendant compte, en libre penseur, de Dieu, substance universelle... Les trajets nerveux librant passage au fluide intelligent qui connait tout. L'homme peut transmettre à une table une chose dont il n'a pas conscience à l'etat de veille.»

(2) Sic Morin, qui hanc theoriam fuse evolvit in opere cui titulus: *Comment l'esprit vient aux tables*, cujus sententiam summatim exhibent hæc ejus verba. «Les actions de l'âme produisant une vibration organique en rapport avec elle-même, la communiquent par contact à des objets quelconques, qui leur rendent la vibration similaire ou l'accord; c'est ce qui constitue le langage des tables. Les même vibrations peuvent se communiquer à distance... de lá les auditions de bruits.» pag. 169.

rum corporum, originem ducunt magnetismi phænomena et prodigia. (1)

5.° *Theoriam spirituum* consectantur, qui existimant phænomena magnetismi, maxime transcendentalis, produci a spiritibus. Quorum quidam veterem errorem Platonis et Origenis partim renovantes, animarum quandam metempsycosim, seu varias incarnationes et reincarnationes adstruunt: horum systema, *spiritismus* dicitur: alii præfata phænomena, vel angelis, vel dæmonibus tribuunt; quorum systema *spiritualismus* dicitur,

---

(1) Hanc opinionem amplectitur ac præcipue evolvit Rogers, cujus theoriam sic summatim exponit Bizouard, cujus verba hispanice reddimus: «Este fluido (el *od* ó fluido odilo) se desprende de ciertas sustancias, y de ciertos lugares, y viene á obrar sobre el sistema nervioso; entre el mundo inorgánico y el organismo humano establece este fluido una simpatía, pero con mas facilidad en las personas *sensitivas*; afectadas estas de cierto estado nervioso ejercen una reaccion sobre dicho fluido por medio del que se desprende de su centro nervioso. Producense entonces los fenómenos que la religion considera como sobrenaturales; el *od* de las personas sensibles, escápase de su cerebro como un dardo, se precipita sobre el *od* del cerebro de otra persona, uniéndose ó combinándose con él. ¿Qué sucede en seguida? El *od* mas poderoso domina el alma de aquel, cuyo *od* es mas débil, se la sujeta magnéticamente, hace ver á esta persona, á pesar de sus repugnancias, todo cuanto quiere, le dicta sus voluntades, sus palabras, etc.

Esos golpes débiles ó fuertes, que se oyen, esas melodías, esos conciertos que resuenan en una habitacion, reconocen por causa este fluido odylo, que desprenden los nervios enfermos; el sugeto *sensitivo* lejos de apercibirse de esto, se espanta, y atribuye estos fenómenos á los demonios, mientras que la verdadera causa es su propio *od* que se combina con las emanaciones universales ó terrestres. Esta fuerza obra á lo lejos lo mismo que de cerca, es la que hace dar vueltas á una mesa, la suspende en el aire, la pasea en él, apaga las bugías, toca el tambor, veja, hiere, mata, incendia, cura, hace conocer muchas lenguas;... Es tambien este *od* el que crea las apariciones de espectros, unas veces desprendiéndose del cerebro de un enfermo, otras de las partículas de un cadáver para reproducir la imágen del enfermo ó del difunto en un vapor luminoso; unas veces el espectro es objetivo, y hasta temible, otras existe solamente en el cerebro de los espectadores.» *Op. cit.* t. 6.° pag. 291 y 92.

ejusque asseclæ spiritualistæ, sicut prioris propugnatores *spiritistæ* vocantur.

§ III.

Judicium de præfatis sententiis; atque de vera phœnomenorum magnetismi origine et causa.

Priusquam nostram sententiam in re hac proponamus, theologorum, philosophorum, ac medicorum theorias nuper expositas, breviter expendere oportet. Itaque.

a) Prima sententia, seu theoria *negationis* rejicienda prorsus nobis videtur: 1.° quia omnia magnetismi phænomena, tanquam falsa vel fraudulenta traducere, ipsorumque veracitatem et existentiam inficiari, cum ea millies coram viris sapientibus, coram medicis, coram hominibus gravibus et probatæ fidei patrata sint, intolerabilem scepticismum historicum sapit; quippe id fieri non posset, nisi eversis moralibus legibus hominis in societate degentis. Dixi *omnia*, quia ipsorum aliqua, falsa et fraudulenta existere, libenter concedo. (1)

---

(1) Hac in re plane adsentior Bizouard scribenti: «Pour plusieurs faits, que l'on suppose, si l'on veut, l'exageration, le mensonge, il n'est pas moins constant qu'un trés-grand nombre d'entre eux sont si authentiques, quo'n ne peut les revoquer en doute sans attaquer les personnages les plus eclairés, et les plus honorables; magistrats, medecins, professeurs, evêques, ministres du culte, etc., etc.; une foule d'ouvrages les publient. Dans un seul catalogue, on compte quarente publications: l'une, de huit cents pages, contient les révelations de J. Davis; en 1852, elle était a sa onzième edition: une douzaine de revues, et de journeaux étaient consacrés à ce sujet en 1853.» *Op. cit.* t. 6.° pag. 139.

2.° Quia ejusmodi theoria latam viam sternit inimicis Ecclesiæ pro denegandis miraculis catholicæ Religionis. Nam si licet in dubium revocare magnetismi phænomena, quæ et coram hominum multitudine sunt patrata, et attestantur a viris sapientibus, gravibus, sagacibus, probatæque fidei, quorum quidam præterea magnetismum contemnebant, ejusque phænomena prius inficiabantur, si liceat, inquam, facta ejusmodi testimoniis stipata in dubium revocare ¿quid respondere licebit incredulis hominibus, dum objiciunt non satis constare miracula christianæ Religionis? ¿Nonne etiam via sternitur quodammodo Renan in dubium revocanti miracula christiana, eo quod patrata non fuerint in conditionibus scientificis?

b) Rejicienda similiter theoria *fluidorum:* siquidem, quamvis non repugnet magnetismi phænomena quædam, præsertim ex mechanicis et physiologicis, ope alicujus fluidi produci, ast communi hominum sensui et rectæ rationi prorsus repugnat, fluidorum ope produci plurima alia, præsertim ex his quæ ad cognoscitiva et transcendentia phænomena spectant. Nemo enim sanæ mentis dixerit, ope cujusvis fluidi effici posse, ut homo e. c. novas scientias acquirat, idiomata prius ignota loquatur, responsa ab ente intelligentia prædito accipiat, occulta ac remota videat, aliaque hujus generis.

c) Porro theoriæ *imaginationis* et *animismi*, iisdem ferme vitiis ac præcedens laborant, si ad universa magnetismi phænomena protendantur. Et reapse quidem, ejusmodi theoriæ: 1.° meræ et gratuitæ hypotheses sunt, in quibus imaginationis, et rationalis animæ vires ad libitum dicentis extenduntur et augentur, absque ullo solido fundamento, ut ex earundem expositione liquet: 2.° absurdum esset, visionem e. c. per epigastrum, cognitionem rei multis leucarum centenis distantis, res-

ponsa scriptura exarata, quæ in evocatione spirituum obtinentur, elevationem et suspensionem mensarum, imaginationi, aut animæ rationali tribuere, quæcumque latentes vires in eis supponantur, nisi divinam virtutem ipsis quis tribuat, prout revera tribuunt fere omnes animismi asseclæ; ex quo: 3.° rejiciendæ veniunt præfatæ theoriæ, quia cunctæ fere vergunt, vel ad materialismum, vel ad pantheismum. Cæterum, quoad aliqua magnetismi phænomena minus præcipua explicanda, si seorsim illa sumantur, deservire possent ejusmodi theoriæ.

d) Quod attinet ad theoriam *spirituum*, in primis rejiciendus *spiritismus*, qui totus quantus est innititur hypothesi *reincarnationis* animarum. Sive enim reincarnatio ista accipiatur proprie ad sensum eorum, qui ajunt hominum animas diversa corpora successive informare in nostro orbe terrestri; sive ad sensum eorum qui ajunt, eas dum hic mortem oppetunt, corpora alia induere, quibus conjuncta, astra seu alios orbes planetarios inhabitent; sive ad sensum eorum, qui adstruunt hominis animas dum e corpore isto per mortem egrediuntur, evolare ad spatium nos circumstans, ibique existere unitas corpori subtili, seu *aromatico*, ut Fourier loquitur, vitam voluptatibus sensibilibus plenam ibidem degentes, nemo non videt ejusmodi *spiritismi* theorias seu potius figmenta, et omnino gratuitas esse, et, quod pejus est, catholicam doctrinam circa hominis destinationem et finem post hanc vitam, prorsus evertere.

Ad alteram partem hujus theoriæ, sive ad *spiritualismum* devenientes, dico primo, magnetismi phænomena tribui non posse spiritibus bonis sive angelis; tum quia angeli, utpote divinæ voluntati subjecti, non operantur extraordinaria vel prodigiosa nisi in finem bonum, utilem, aut necessarium, et non pro hominum pe-

riculosa curiositate, vitiis, et passionibus fovendis; (1) tum maxime quia angeli boni minime docere possunt impia dogmata adversus Religionem et civilem societatem, quæ frequenter obtinentur in evocatione spirituum, ita ut hic vere dicere possimus cum Apostolo: *licet nos, aut angelus de cælo evangelicet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* (2) Er-

---

(1) Apud omnes notum est, praxim magnetismi tam vulgaris, quam transcendentalis, immoralitate et periculis omnis generis esse plenam, sicut facile patebit cuicumque evolventi libros de hac re agentes. Quod fortasse non omnes sciunt, est magnetismum, præsertim transcendentem, amentiæ et suicidiis non semel occassionem præbuisse. «Les journeaux des Etats-Upis rapportent sans cesse des cas de suicide ou de folie amenés par ce commerce avec les esprits.

On lit dans le *Courier and Inquirer* du 10 mai: Six personnes ont eté admises à l'hopital de fous de l'Etat d'Indiana le mois dernier; la cause est attribué aux *esprits frappeurs.*»

Dans le *Herald* du 30 avril, on lit que M. Junius Alcott citoyen respectable d'Utica, s'est pour la même cause volontairement précipité dans une roue de moulin, qui l'a instantanement broyé.

Le *Courier and Inquirer* du 18 juin dit que chaque jour les journeaux rapportent des exemples de cette horrible influence.» Bizouard, tom. 6.°, pag. 157.

(2) Nemo sane catholicus, qui vel leviter attigerit responsa doctrinalia et religiosa, sive ope hominum qui *medium* dicuntur, sive per directam scripturam in magnetismo transcendentali habita, vel minimum dubitabit, non angelos, sed dæmones adesse ibi, si qui spiritus adsint. Inter plurima hæc pauca accipe:

In gravi ephemeride *Le Correspondant* habetur, inter alia, ad diem decimam augusti 1852: «Los espíritus dicen que la Biblia es un tejido de imposturas, que todas las religiones son falsas, que los hombres deben proceder á una particion igual de las propiedades, etc., etc.»

In sessione magnetica in Gallia habita anno 1854, spiritus evocatus et interrogatus, hujusmodi responsa edidit.=« *El cielo es una cosa imaginaria.—La muerte es nada.=Los malos no serán separados de los buenos.=El alma entra en la inmensidad.*= Nuper cit. Bizouard sequentia facta, ut alia prætermittam, adducit:»

«Consulté (spiritus) sur le Magnétisme, sur l'âme, sur l'enfer, etc., il repond *que l'enfer veritable c'est la terre;* le pecheur, après sa mort, reçoit de Dieu une douce reprimande; le coupable habite un lieu d'expia-

go magnetismi ea phænomena, quæ vel vires humanas aperte excedunt, vel per evocationem spirituum habentur, dæmonibus tribuere oportet, cum nec causis naturalibus, quæ adhibentur, nec Deo, ejusve angelis tribui possint.

Nostram itaque sententiam de re hac implexa, simul et complexa, subjectæ propositiones summatim exhibent:

1.ª Quamvis in magnetismi experientiis ac sessionibus, *quandoque* et fortasse non raro, hominum mendacia, exaggerationes, fraudes, atque etiam imaginationis hallucinatio intervenerint, asserere tamen id *semper* contigisse, et intolerabilem scepticismum sapit, et periculosum est catholicæ Religioni. Si tamen sermo sit de aliquo determinato phænomeno, præsertim ex his quorum exempla rara afferuntur, ut v. g. pævisio futuri liberi, poterit quis realem existentiam inficiari.

2.ª In hypothesi ergo quod revera existant omnia *genera* phænomenorum quæ magnetismo attribuuntur, non repugnat ipsorum quædam ope causarum naturalium produci: sic, e. c. simplex rotatio mensarum, somnus magneticus, insensibilitas major aut minor, membrorum tremor, exactius ratiocinari, vel elegantius loqui, apparitiones quorumdam objectorum, aliaque hujus generis phænomena, vel ope fluidi invisibilis, vel ope determinati status systematis nervei, vel ope imaginationis excitatæ, fortasse producuntur vel saltem produci queunt, præsertim cum ex historia Medicinæ constet, morbos quosdam, catalepsim v. c. originem præbere phænomenis non absimilibus. (1)

---

tion avec un societé qui convient à ses gouts; il s'y purifie sans souffrir... Le ciel est l'immensité, les esprits sont l'air, ils ont vecu sur la terre, etc.» *Op. cit.* p. 112.

(1) Et sane, quod in persona magnetizata mentis perceptio, et imaginationis vis et acies ad certum gradum et mensuram augeantur,

3.ª Sunt vero quædam alia phænomena, quæ et cujuscumque materialis fluidi, et humanæ animæ vires aperte superant, non vero superant vires naturæ angelicæ, quæ super corpora, locorum distantias, motum localem, etc. dominatur. Hujus generis sunt, ut alia prætermittantur, suspensio, et motus in aere magnæ mensæ, vel alterius corporis ponderosioris, responsa verbalia, vel scriptura exarata ab ente invisibili, et intelligentia prædito recipere, scientias, vel linguas antea penitus ignotas ostendere, occulta aut valde remota loco, scire et videre.

4.ª Si ergo hujusmodi phænomena revera producantur ope, vel potius occasione magnetismi, existimari merito potest ea produci ope dæmonum, quibus justo Dei judicio permittitur mirabiles hosce effectus edere, fortasse pro punienda inani et superstitiosa hominum curiositate; (1) cum, ex supra jam dictis, ejusmodi effectus, nec hominum animabus, nec angelis bonis possint tribui.

5.ª Ergo praxis magnetismi illicita est habenda, ut

---

ita ut quasdam perceptiones et præsensiones obtineantur, rerum naturæ et hominis conditioni, non contrarium, sed potius consentaneum existit. Siquidem, ut scite habet D. Thomas: «anima, quando abstrahitur a corporalibus, aptior redditur ad percipiendum influxum spiritualium substantiarum, et etiam ad percipiendum subtiles motus, qui ex impressionibus naturalium causarum in imaginatione humana relinquuntur, a quibus percipiendis anima impeditur cum fuerit circa sensibilia occupata... prout, scilicet, percipit tunc etiam modicas impressiones.» *Sum. Theolog.* 2.ª, 2.æ q. 172 art. 1.° ad 1.m

Qui hanc D. Thomæ philosophicam profecto doctrinam serio animo meditetur et evolvat, rationem reddere poterit phænomenorum quorundam, quæ tum in determinatis morbis, morborumque statibus, tum in somno sive naturali, sive artificiali apparent et exeruntur.

(1) Nec his obstat quod evocati spiritus, quandoque bona et vera loquantur, et doceant, quia, ut ait Chrysost. «Concessum est diabolo interdum vera dicere, ut mendacium suum rara veritate commendet.»

plurimum, triplici ratione: 1.° quia ejus usus immoralitati, atque peccatis facile occasionem præbet. 2.° Quia quædam ex ipsius phænomenis nonnisi, vel ope dæmonis, vel ope fraudum, et mendaciorum produci queunt. 3.° Quia si dæmonis operatio interveniat in quibusdam ejus phænomenis, facile quoque intervenire poterit etiam quoad ea phænomena, quæ, absolute loquendo, per causas naturales angelis inferiores produci possent (1).

SCHOLIUM.

Postquam praxis, phænomena, theoriæ, et manifestationes magnetismi in immensum excreverunt, nec theologo catholico, nec christiano philosopho satis est in re hac denegatione uti. Non sufficit inficiari, non sufficit contemnere, non sufficit irridere: facilia sunt hæc, sed periculosa simul, ac sobrietati christianæ scientiæ non satis consentanea. Opus est nunc: 1.° scepticismum de-

(1) Adstipulatur his S. Officium Rom. Inquis. in epistola Encyclica ad magnetismi abusus compescendos, ex qua hæc pauca decerpimus. «Etenim compertum est novum quoddam superstitionis genus invehi ex phænomenis magneticis... Adeo crevit hominum malitia, ut neglecto licito studio scientiæ, potius curiosa sectantes, magna cum animarum jactura, ipsiusque civilis societatis detrimento, ariolandi, divinandive principium quoddam se nactos glorientur. Hinc somnambulismi, et claræ intuitionis, uti vocant, præstigiis, mulierculæ illæ gesticulationibus non semper verecundis abreptæ, se invisibilia quæque conspicere effutiunt, ac de ipsa religione sermones instituere, animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota, ac longinqua detegere, aliaque id genus superstitiosa exercere ausu temerario præsumunt... In hisce omnibus, quacumque demum utantur arte vel illusione, cum ordinentur media physica ad effectus non naturales, reperitur deceptio omnino *illicita*, et hæreticalis, et scandalum contra honestatem morum.»

vitare: 2.° patefacere pericula quæ ex magnetismo, prout sæpe exercetur, moribus, religioni, ac civili societati imminent: 3.° ostendere quædam ejus phænomena, si vere existant, dæmonis interventum, aut periculosam superstitionem redolere: 4.° magneticas theorias, ut plurimum, vergere, vel ad pantheismum, vel ad naturalismum, vel ad materialismum. Nec prorsus gratis quidam suspicantur, magnetismi phænomena esse veluti præparationem quamdam et inchoationem ad *mysterium iniquitatis*, quod revelabitur *in novissimis diebus*. Scimus etiam ex Scriptura, quod *filius perditionis dabit signa magna et prodigia*, ac teste Apostolo: «Spiritus manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum.» (1)

CAPUT QUINTUM.

DE CORPORIBUS VITA PRÆDITIS.

ARTICULUS PRIMUS.

De vitæ notione, et gradibus.

Notio.

1.° «Ex his quæ manifeste vivunt, inquit D. Thomas, (2) accipere possumus quorum sit vivere, et quorum

---

(1) 1.° Timoth. C. 3.°, v. 1.°

(2) *Sum. Theol.* 1.ª P., q. 18, art. 1.°

non sit vivere. Vivere autem manifeste animalibus convenit. Unde secundum illud oportet distinguere viventia a non viventibus secundum quod animalia dicuntur vivere; hoc autem est id quo primo manifestatur vita, et in quo ultimo remanet. Primo autem dicimus animal vivere, quando incipit ex se motum habere, et tandiu judicatur animal vivere, quandiu talis motus in eo apparet: quando vero jam ex se non habet aliquem motum, sed movetur tantum ab alio, tunc dicitur animal mortuum per defectum vitæ.»

2.° Perspicua hæc Div. Thomæ doctrina, et rationi et experientiæ apprime consentanea, nos edocet, primam ac communem vitæ rationem, saltem quoad nos et *a posteriori*, constituendam esse in *motu*, *seu actione interna et immanenti, qua substantia aliqua seipsam movet vel agit;* adeoque hæc sit veluti definitio vitæ universim accepta. Siquidem, ut idem Ang. Doctor subdit, «illa proprie sunt viventia, quæ seipsa secundum aliquam speciem motus movent... ut sic viventia dicantur quæcumque se agunt ad motum vel operationem aliquam.»

3.° Quod si quis vitam pressius velit definire, ea dici potest, *activitas primaria et substantialis, qua ens seipsum movet.* Dicitur *activitas primaria*, seu apud Scholasticos, *actus primus*, quia id quod est principium et ratio sufficiens operationum vitalium, non aliquid potentiale et iners, sed actuosum potius ex propria natura esse oportet. Additur *substantialis*, quia activitas illa, seu actus primus unde vitales operationes primo seu radicitus oriuntur, accidens esse nequit, sed vel substantia ipsa, ut in Deo, vel saltem pars substantiæ, ut in belluis et aliis corporeis viventibus: hic enim non loquimur de vita accidentali seu *in actu secundo*, quæ identificatur cum ipso motu vel operatione vitali; sed de vita substantiali seu in actu primo, quæ identificatur cum ipso esse viventis: esse autem viventis proculdubio est substantia

et non accidens. Quod postremo adducitur, *qua ens seipsum movet*, innuit tam principium, quam terminum motus vitalis, esse intra et non extra ipsum vivens. Animadvertendum quoque, τὸ *movet* hic significare non solum motum proprie dictum sive localem, sed operationem ad quam ens utcumque seipsum agit aut determinat; quandoquidem, allata definitio viventia cuncta sub se comprehendit. (1)

4.° Colligitur ex hucusque dictis, conditiones quatuor in vita reperiri, seu ad vitam requiri: 1.° *ut principium motus intra viventem substantiam sit*, ita ut hæc ad agendum determinetur activitate sibi insita; defectu hujus conditionis motus aquæ e fistula erumpentis, non est vitalis, quia a pressione aeris vel alia externa causa originem ducit. 2.° *Ut vitalis actio ad ipsum vivens terminetur:* sic functiones vitales non belluæ modo sed ipsarum plantarum terminantur ad belluas et plantas, quæ,

---

(1) Sicut in aliis bene multis contingit, philosophi quidam, ac physiologi juniores, qui D. Thomæ et Scholasticorum doctrinam, atque definitionem vitæ, vel ignorant, vel contempserunt, varias, easque minus exactas, parumque philosophicas vitæ definitiones ediderunt. Speciminis loco quasdam commemoremus.

Apud Stahl, vita est *conservatio corporis in sua mixtione corruptibili, sine omni corruptionis hujus actuali eventu.* Apud Richerand: *complexus phænomenorum, quæ sibi succedunt in corporibus organicis intra limitatum temporis spatium.* Apud Bichat: *Collectio, seu complexio functionum, quæ morti resistunt.* Quæ definitiones multipliciter peccant; atque, ut alia prætermittam: 1.° nulla earum communem notionem vitæ exhibet, sed solum aut vitam vegetativam, ut stahliana, vel ad summum, vitam corruptibilium viventium, ut duæ reliquæ: 2.° confusioni subjacent, nec soli definito congruunt: sic definitio Stahl, aptari posset tum composito chimico caute a dissolventibus custodito, tum cadaveri per aromata conservato: Bichat definitio, præter aliarum vitia communia, vitam definit per mortem, hoc est, realitatem positivam, per realitatis destructionem vel carentiam: denique definitio Richerand, non vitam in seipsa, sed vitæ accidentales et secundarias manifestationes, vel potius vitæ subjectum continet.

dum eas exerunt, iisdem perficiuntur; atque hujus conditionis defectu, quamvis admittatur solem lucis radios activitate interna profundere, vivens dici nequit, quia radii ejusmodi, non ad ipsum solem terminantur, nec ipsum perficiunt, sed res externas. 3.ª *Ut exercitium vitæ involvat perfectionem viventis:* quæ conditio ex præcedenti sequitur; cum enim vita sit perfectio realis, si vitalis actio ad vivens terminatur, consequitur plane vitæ exercitium ad subjectivam viventis perfectionem tendere. 4.ª *Ut vitæ functiones vel motus sint actiones immanentes:* quæ similiter conditio corollarium est præcedentium; actio enim, cujus principium et terminus sunt in ipso subjecto agente, immanens dicitur.

Gradus.

1.° In motu vel operatione viventis, tria spectari possunt: 1.° *Finis* propter quem ponitur, seu ad quem tendit motus. 2.° *Forma* ex qua oritur, et a qua determinatur motus. 3.° *Executio* ipsius motus, dum vivens actu exercet, et veluti ex se profundit motum vel operationem. Cum ergo ex nuper disputatis constet, vitæ rationem consistere in activitate quadam primaria, qua substantia nata est seipsam movere, consequitur plane: 1.° vitam eo perfectiorem esse, quo perfectior est modus seipsum movendi: 2.° gradus vitæ constituendos et asignandos esse, juxta modos quibus viventia seipsa movent.

2.° Ergo tria sunt genera, seu gradus vitæ, nempe, vita *vegetationis*, vita *sensitiva*, vita *intellectiva*. Nam quædam sunt viventia, ut plantæ, quæ seipsa movent quoad *executionem*, non vero quoad formam, et finem motus; quia quamvis operatio vel functio illa, v. g. nutritio, procedat a principio interno plantæ, et ad ipsam, et in ipsa terminetur, ast non movet seipsam, nec ad acquirendam formam ex qua oritur, et per quam determinatur nutritio, quæ est ipsa anima vegetativa, nec ad

sibi præstituendum finem; utrumque enim habet ex ipsa natura. Alia vero sunt viventia, ut animalia, quæ seipsa movent etiam quoad *formam*, quatenus per sensus percipiunt corpora; ex qua perceptione seu repræsentatione objectorum determinatos motus exerunt. Tandem, viventia intellectualia seipsa movent, non solum quoad executionem et formam, sed etiam quoad *finem* motus, prout facile patet in homine, qui sibi ipsi finem præstituit, nec ipsi necessario determinatur a natura, ut in belluis. Ergo tres sunt gradus fundamentales vitæ, sicut tres sunt gradus vel modi, quibus vivens substantia seipsam movere potest. (1)

Corollaria:

1.m *Ergo vitæ ratio perfectissima Deo congruit.* Siquidem, et habet vitam intellectivam, quæ duabus aliis perfectior existit, et seipsum ita movet, ut ipsius operatio identificetur cum divina substantia, quoad executionem, quoad formam, et quoad finem.

2.m *Ergo vita Dei revera prætergreditur ac excedit genus vitæ creaturarum, quamvis cum ea analogice quodammodo conveniat.* Quod ideo dico, quia Deus, cum ipse sit sibi ipsi et finis ultimus agendi, et objectum adæquatum intelligendi, perfectissima et absoluta ratione seipsum movet, non solum quoad executionem, sed

---

(1) Apposite ad rem D. Thomas: «Inveniuntur quædam, quæ movent seipsa, non habito respectu ad formam vel finem, quæ insunt eis a natura, sed solum quantum ad executionem motus..... Quædam vero ulterius movent seipsa, non solum habito respectu ad executionem motus, sed etiam quantum ad formam, quæ est principium motus, quam per se acquirunt. Et hujusmodi sunt animalia, quorum motus principium est forma, non a natura indita, sed per sensum accepta..... Supra talia animalia sunt illa, quæ movent seipsa etiam habito respectu ad finem, quem sibi præstituunt: quod quidem non fit nisi per rationem et intellectum, cujus est cognoscere proportionem finis et ejus quod est ad finem, et unum ordinare ad alterum» *Loc. sup. cit.*, art. 3.°

quoad formam et finem. Ast vero viventia creata, etiam intellectualia, non movent seipsa perfectissima et absoluta ratione, nec quoad executionem, nec quoad formam, nec quoad finem: non *quoad executionem*, quia indigent concursu vel motione Dei ad operandum: non *quoad formam*, quia repræsentationes objectorum seu ideas habent et recipiunt quodammodo a re externa, nempe, objecto: non *quoad finem*, quia quamvis præstituant sibi fines particulares, seu circa determinata et particularia objecta, ast finem ultimum non sibi præstituunt, sed præstitutum habent ab ipsa natura.

ARTICULUS SECUNDUS.

De vitæ principio.

Prænotanda:

1.° Fatentur omnes, obviaque ac sensibilis experientia confirmat, viventia a non viventibus realiter ac multipliciter discriminari, præsertim vero quatenus seipsa movent et agunt, ut ex præcedenti constat articulo.

2.° Exinde necessario colligitur, aliquid inesse corporibus viventibus, quod sit ratio sufficiens ac principium, tum distinctionis viventis a non vivente, tum functionum vel operationum vitalium ex ipso dimanantium. Atque hoc *aliquid* quod viventibus inest, et quo differunt a non viventibus, appellari solet *principium vitale*, atque etiam *anima*, quamvis postremum hocce nomen, si etymologice sumatur, solis belluis adscribatur, utpote ab animali desumptum.

3.° Porro, quamvis in agnoscenda existentia principii vitalis nulla adsit difficultas, maxima tamen adest

pro determinanda natura ejusmodi vitalis principii. Unde non parva philosophorum dissensio de re hac; quorum sententias, ut summatim attingamus:

a) Scholasticorum plurimi, duce D. Thoma, docent in quolibet vivente corporeo esse formam substantialem, eamque unicam, quæ sit primum principium non solum functionum vitalium, sed etiam ipsius esse corporis in quo ejusmodi functiones exercentur; ita ut, juxta hanc sententiam, anima, seu principium vitale, sit ipsa forma substantialis viventium.

b) Scotus autem existimat corporeis viventibus duas inesse formas substantiales, quarum prima constituat corpus organicum independenter ab anima; altera, ipsum ut animatum constituat, sitque principium vitalium functionum. Sicut hæc posterior *anima*, ita prior, forma *mixtionis* vel *corporeitatis*, a Scotistis appellatur. Quos inter

c) Aliqui docebant formam istam *corporeitatis*, non unicam et homogeneam esse, sed multiplicem, et heterogeneam, ita ut forma substantialis ossium distincta sit a forma carnis, musculorum etc.

Major tamen ac periculosior dissensio existit inter posterioris ætatis philosophos. Siquidem,

d) *Jatromathematici*, vitam plantarum et brutorum per solas leges mechanicas motus explicare contendunt. Hujus systematis parens Cartesius habetur, quem Boerhaave, Haller, plurimique e cartesianismi asseclis sequuntur. Ast quique vel mediocriter eruditus scit, ejusmodi systema hispano Gomez Pereira potiusquam Cartesio adscribendum.

e) *Jatrochimici*, legibus mechanicis, chimicas vires substituunt, atque ex ipsis quidam, ut Paracelsus, et Van-Helmont, principium quoddam sui generis materia sensibili subtilius induxerunt, quod *archeum* ab ipsis nuncupatur.

f) *Vitalistæ* contendunt, vitæ saltem sensibilis, et vegetalis phænomena, explicanda esse per vires quasdam *vitales* seu *organicas;* a chimicis et mechanicis prorsus diversas, sed quarum et naturam, et originem, frustra ab ipsis quæres.

g) *Antivitalistæ* ajunt e contra, phænomena seu varias vitæ manifestationes, oriri ex viribus cosmicis naturæ, ita ut res quæ vitale principium appellatur, nihil sit aliud quam vires et motus corporibus et fluidis imponderabilibus inhærentes, ut electricitas, affinitas chimica, magnetismus, attractio molecularis, dum vel seorsum, vel simul operantur.

h) *Materialistæ* tandem, vitalismi et antivitalismi theorias evolvendo, vitæ non solum vegetativæ, et sensitivæ, sed intellectivæ quoque rationem et originem, reponunt in viribus et motibus materiæ. (1)

Quoniam operis ratio non sinit universas hasce sententias sigillatim expendere, quid nobis vero videatur similius, sequentibus exhibemus.

---

(1) Præ oculis tamen habendum, vitalistas et antivitalistas, confuse admodum et varie suam exponere sententiam. Quidam etenim *vim vitalem* nominant omnes vires naturæ; alii eam reducunt ad vires mechanicas et chimicas sub certis ac determinatis conditionibus constitutas; alii eamdem traducunt ut vim, non solum a mechanicis et chimicis distinctam, sed cum his perpetuo colluctantem; alii aliis sensibus exponunt, in quibus fere omnibus, si probe perpendantur, vel inchoatio quædam, vel facilis transitus ad Materialismum detegitur.

THESIS 1.ª

Principium vitale est aliquid essentiale viventibus.

Prob. Nomine principii vitalis intelligitur illud, quo corpus vivens in ratione viventis constituitur, et quo primario a non viventibus distinguitur; atqui viventia corpora a non viventibus essentialiter discriminantur: ergo cum principium vitale nihil sit aliud quam principium formale vitæ, ac prima ratio suficiens et origo proprietatum atque functionum vitalium in vivente, debet esse aliquid ad essentiam viventis pertinens. Minor constat 1.° ratione, et ipso communi sensu, queis nisi quis velit refragari, amplectendo cartesiana figmenta de belluis-machinis, fatebitur, plantas et bruta, ut de homine sileamus, esse naturas vel essentias ab essentia lapidis, v. g. aeris, metalli, prorsus distinctas.

2.° Eadem minor probatur experientia. Profecto nos distinctionem, gradus, ac diversitatem essentiarum, agnoscimus, et dijudicamus ex distinctione, gradibus, et diversitate proprietatum et operationum ex essentiis dimanantium, cum rerum essentias immediate intueri aut observare non possimus. Jam vero, proprietates et functiones viventium, ut se nutrire, alia generare, vel reproducere, videre, audire, imaginari, dormire, evigilare etc. proculdubio toto cœlo differunt a proprietatibus et motibus materiæ inorganicæ. Ergo viventia a non viventibus quoad ipsam essentiam discriminantur, ac proinde vitale principium quo viventia, qua talia, constituuntur, quodque dicitur principium pro-

prietatum, et functionum vitalium, aliquid est ad essentiam viventis spectans.

THESIS 2.ª

Principium vitale a viribus physicis et chimicis discriminatur, iisdemque superius existit.

Prob. Vitale principium vires chimicas et physicas superat, ab eisque proinde distinguitur, si ejusdem effectus et manifestationes discriminantur ab effectibus et manifestationibus virium chimicarum et physicarum: atqui revera effectus et manifestationes principii vitalis prorsus superant effectus et manifestationes virium, quibus materia bruta seu corpora non viventia chimice et physice subjiciuntur: ergo. Minor constat, et colligitur ex multiplici discrimine, quo corpora inorganica seu mineralia a corporibus viventibus separantur. Differunt namque,

a) Quoad *organizationem*. Etenim mineralia partibus homogeneis reperiuntur instructa, nec partium seu membrorum varietatem præferunt ad diversos fines vel functiones destinatam. Ast viventia non sensibilia modo, sed ipsa vegetalia ex partibus heterogeneis coalescunt, ut cortice ligno, foliis etc. eisque ad diversos fines destinatis; imo etiam, vasa et cellulæ aliis substantiis, sive fluidis, sive liquidis replentur.

b) *Quoad chimicam constitutionem*. Nam mineralia, vel sunt substantiæ simplices, vel si sint compositæ, ex binariis exurgunt componentibus varia quidem ratione, sed semper secundum proportiones valde simplices. Contra, vegetalia ultimo resolvuntur in tria vel quator elementa sui generis, quæ idcirco elementa *organogena* appellantur, hydrogenium, nempe, oxygenium, car-

bonium, quibus quandoque adjungitur nitrogenium, in animalibus etiam azotum.

c) *Quoad figuram.* Corpora mineralia determinatas figuras geometricas sibi vendicant dum nullum impedimentum adest ipsorum crystalizationi, lineasque rectas et angulos affectant; quod si impedimentum adsit, amorpha, seu sine determinata figura extrinsecus præsertim evadunt. Corpora vero viventia, semper determinatam figuram, eandem partium dispositionem obtinent, ac potius curvas quam rectas lineas et angulos induunt.

d) *Quoad ortum.* Corpora non viventia efformantur et coalescunt ex accessu plurium molecularum, sive fortuito, sive ex influxu complexo diversarum causarum. Viventia, semper ex semine oriuntur in substantia aliqua præcontento, per generationem proprie dictam enascuntur, ac individua alia sibi similia queunt producere. Verbo: non viventia exurgunt ex varia ac sæpe fortuita accessione molecularum vi attractionis molecularis, et affinitatis chimicæ: viventia vero seipsa multiplicant atque *reproducunt* ex propria, peculiarique activitate seminis decisi.

e) *Quoad incrementum.* Mineralia crescunt per accessionem novarum molecularum, ita ut augeantur quasi per simplicem *juxtapositionem* materiæ; unde et indefinite massam et volumen augere possunt. Viventia autem seipsa adaugent per *intussusceptionem,* quatenus, videlicet, varias absorbent substantias, quas sibi gradatim assimilant interna quadam efficacissimaque elaboratione; unde et determinatum terminum sibi vendicant quoad sui evolutionem et explicationem.

f) *Quoad conservationem.* Mineralia nullo durationis periodo subjiciuntur, ita ut diutissime valeant in suo esse conservari, nisi ab exteriori agente corrumpantur. Viventia fixa durationis periodo circunscribuntur, quæ

varia existit pro varia viventis natura et conditione. Hinc etiam abstrahendo a causis extrinsecis viventis corruptionem accelerantibus, ipsius motus internus, quo seipsum nutrit, substantias externas absorbendo, elaborando, et sibi adsimilando, intra determinatum tempus cessaret. Hinc mineralia et inorganica desinunt esse per separationem molecularum; viventia quatenus motum internum, seu vitale principium amittunt: priora obnoxia sunt corruptioni, posteriora obnoxia sunt *morti*, quæ est quædam determinata species corruptionis.

Itaque, quicumque serio perpendat exposita discrimina, non poterit non agnoscere, viventia cuncta, ipsaque proinde vegetalia, instructa esse quibusdam viribus, quæ vires physicas et chimicas materiæ sive organicæ, sive inorganicæ longe superant et excedunt.

THESIS 3.ª

Principium vitale in viventibus est ipsa viventis forma substantialis.

Hæc thesis constat, et probatur,

1.° Ex his quæ supra constituta sunt circa prima corporum principia. Etenim rationes omnes, quæ pro theoria compositionis rerum ex materia et forma substantiali universim militant, *a fortiori*, ut ajunt, urgent quoad viventia, in quibus perfectior unitas ac vegetior activitas conspiciuntur.

2.° Consequitur ex præcedentibus thesibus, et superiori articulo. Nam si principium vitale est aliquid ad essentiam viventis spectans, simulque præsefert ac involvit vim quandam sui generis a viribus physicis et chimicis longe diversam ac superiorem, consequitur plane principium vitale in vivente esse formam substantialem, cum nihil aliud intelligatur nomine formæ sub-

stantialis, quam realitas quædam incompleta seu partem essentiæ constituens, per quam res ab aliis discriminatur, et quæ habetur ut prima ratio sufficiens ac principium proprietatum et operationum illius rei. Jam vero, principium vitale, ut ex dictis patet, et est realitas quædam parsque viventis, et est quid viventi essentiale, et est id quo vivens in natura viventis constituitur, atque a non viventibus discriminatur, et est principium ac ratio sufficiens primaria proprietatum, et functionum vitalium. Ergo ratio seu notio formæ substantialis perfectissime accommodatur et congruit entitati seu realitati illi, quæ principium vitale audit.

3.° *Ex analogia.* Philosophis fere omnibus fatentibus, principium vitale in homine et bellua est forma substantialis ipsorum, quæ *anima* etiam nuncupatur: atqui vegetalia, qua viventia seu in genere viventis, univoce conveniunt cum homine et belluis: ergo agnoscere oportet in vegetalibus principium vitale quod sit ejusdem ordinis ac generis cum principio vitali hominis et belluæ.

THESIS 4.ª

In quolibet vivente non est nisi unicum vitale principium.

Prob. 1.° Nulla substantia potest habere nisi unicam formam substantialem: atqui principium vitale est ipsa forma substantialis viventis ex præcedenti thesi: ergo. Major constat ex ipsa notione formæ substantialis, cujus proprium est esse actus primus materiæ, ac rei vel naturæ, cujus est forma, dare esse primum et substantiale, seu *esse simpliciter*, ut ajebant scholastici: ergo in qualibet essentia substantiali nequit esse nisi unica forma substantialis; si enim duæ supponantur, secunda dum rei adveniret, ipsi non daret esse primum et substantiale, sed secundarium et accidentale, quippe necessario

supponeret primum et substantiale esse rei jam præstitutum per priorem formam substantialem.

2.° Adstipulatur experientia. Quandoquidem observare licet cujusvis viventis operationes multiplices ac inter se diversas ad finem eundem collineare, nempe, ad perfectionem ipsius viventis, et quod potissimum est, intimum nexum invicem habere, prout constat ex influxu ac veluti *refluentia* unius erga aliam, etiam quoad eas quæ magis ex propria natura et conditione distant. Ita in ipso homine observatur, functiones vitales, etiam infimas seu vegetativas, influere in ipsas operationes intellectivas. Quod si in homine in quo maxime viget functionum vitalium multiplicitas et diversitas, unicum adest vitale principium, ut experientia et observatio indicant, id ipsum potiori jure adfirmare oportet de animalibus et plantis in quibus minor viget multiplicitas et diversitas vitalium functionum.

Ex hucusque expositis inferri possunt subjecta Corollaria:

1.m Rejicere oportet sententiam vitalistarum et antivitalistarum quorumdam qui vitale principium non unum agnoscunt, sed vitales vires multiplicant singulas singulis organis vel functionibus assignando, quin easdem reducant ad aliquam vim primitivam et essentialem, ex qua radicitus oriantur ac deriventur.

2.m Rejicienda similiter sententia illorum, qui docent vires quibus vegetalia functiones vitales perficiunt, nihil esse aliud quam ipsas vires mechanicas et chimicas, quatenus determinatis conditionibus organicis obnoxiæ sunt. (1)

---

(1) Miramur profecto, Tongiorgi S. J. recentiorem philosophum, in hanc sententiam descendisse. Etenim postquam agnovit vegetaliavera vita potiri; postquam agnovit existere in vegetalibus vires peculiares in materia inorganica minime vigentes, imo ab eis *essentialiter distinc-*

3.m Ergo rejicienda quoque sententia illorum qui ajunt, principium formale vitæ, saltem in vegetalibus, esse ipsum organismum (1). Profecto qui hoc comminiscuntur, effectum cum causa confundunt; etenim tantum abest ut organismus sit ipsum principium vitale, ut potius sit ejus effectus, ac veluti signum *a posteriori*. Cum enim organismum quempiam videmus, illico conjicimus vel adesse, vel adfuisse ibi vim quandam superiorem viribus chimicis et mechanicis materiæ, atque ab ipsis prorsus diversam, ex qua organismus ille originem et perfectionem duxit. Adde his, quod si quis semel concedat organismum esse formale principium vitæ in vegetalibus ¿quid respondebit adfirmanti organismum in animali et in homine esse quoque in ipsis formale principium vitæ? Nam si organismus imperfectior potest esse principium vitæ imperfectioris, organismus perfectior, qualis proculdubio existit in animali et homine, poterit esse principium vitæ perfectioris, quæ in ipsis reperitur.

---

tas, subdit nihilominus: «Hæ tamen vires non aliud esse videntur quam variæ resultantes virium mechanicarum, et chimicarum, prouti hæ sub organismi conditionibus operantur.» Institut. phil. tom. 3.°, pag. 21.

(1) Et hanc quoque opinionem tuetur laudatus, Tongiorgi, qui ita habet. «Formale in plantis vitæ principium est ipse organismus. Per hoc enim principium functiones plantarum proprie peraguntur.» *Ibid.*, pag. 24.

ARTICULUS TERTIUS.

De viventibus vegetalibus.

Quamvis de vegetalibus fusius diserere ad botanicos spectet, indignum tamen esset philosopho, qui de vita vitæque principio disserit, prorsus ignorare ea quæ vegetalium naturam constituunt. Itaque cosmologo satis erit vegetalium vitam, potentias, functiones, compositionem, discrimen ab animalibus in genere ac summatim attingere.

1.° *Vita.*

Vegetalium vita essentialiter et radicaliter spectata, est ipsamet ipsorum substantialis forma, quæ *anima vegetativa* a veteribus scholasticis etiam nuncupari solet: nec immerito prorsus, cum ejusmodi principium primum ac formale vitæ, sit, ex supradictis, substantialis quædam vis, viribus chimicis ac physicis materiæ supereminens. Imo, principium hocce vitale varias partes corporis vegetalis, ea vi qua pollet, continet, regit ac in unitatem naturæ et suppositi redigit.

Ergo principium vitale plantarum definiri potest: *vis seu actus primus substantialis, ad informandum, perficiendumque organismum vegetalium essentialiter ordinatum.* Dicitur *actus primus*, quia ut pote forma substantialis, vegetali non solum vitam sed esse substantiale tribuit.

Additur, *essentialiter ordinatum* ad informandum organismum vegetalium, quia est substantia incompleta,

quæ existere nequit absque consortio materiæ determinata ratione organizata, cui ex propia essentia coaptatur ac veluti commensuratur.

2.° *Potentiæ.*

Prædicta porro vegetalium vita essentialis ac fundamentalis explicatur atque evolvitur per potentias seu facultates quasdam, quæ ad tres commode possunt revocari; ac nominantur: 1.° potentia *nutritiva*, cujus proprium est munus viventis naturam conservare et reparare per conversionem alimenti in propriam substantiam: 2.° potentia *augmentativa* ex qua et per quam vivens incrementum substantiale et quantitativum suscipit: 3.° potentia *generativa*, cujus munus est vegetale propagare nova individua ejusdem speciei producendo.

Equidem, recentiores physiologi et historiæ naturalis tractatores duas solum facultates vegetalibus adscribunt, nutritivam, scilicet, et generativam. Sed immerito; nam incrementum, quod hi cum nutritione confundunt, ab ipsa oppido est secernenda; tum quia conceptus proprius nutritionis solum continet conservationem substantiæ viventis cum reparatione deperditarum partium, minime vero quod illa augeatur; tum etiam quia, quamvis facultas augmentativa, nutritivam supponat, at hæc consistere potest absque illa, ut videre est in plantis et animalibus, quæ non amplius augentur. Ergo minime recedere oportet in re hac a sententia D. Thomæ et veterum Scholosticorum, dum adstruunt potentiam augmentativam a nutritiva distingui.

3.° *Functiones.*

Sicut vita essentialis et radicalis plantarum evolvitur et explicatur per potentias, ita vicissim potentiæ exercentur ac manifestantur per operationes sive functiones, quarum præcipuæ sunt,

a) *Absortio:* sicut animalia ore alimenta insumunt, ita vegetalia, per extremitates radicum humorem ex

terra trahunt, et intus suscipiunt, quod absortiónis nomine designatur.

b) *Circulatio:* Humor ille ex terra haustus per interna quædam spatiola, quæ et *vasa* et *meatus intercellulares* a botanicis appellantur, ascendit usque ad folia, ex quibus iterum per ramos et truncum ad ima descendit.

c) *Digestio:* Quamvis nomen hocce animantibus solum communiter tribuatur, sua tamen inest plantis veluti peculiaris digestio, quæ animalium digestioni respondet. Etenim, humor ille ex terra haustus per radices, dum per truncum ascendit ad folia, modificationem quandam et transmutationem subit, cujus ope in laticem (savia) vertitur: in foliis item amplius adhuc transmutatur et perficitur, respirationis ope, ita ut habilis reddatur ad plantæ nutritionem. Itaque, latex dum ex radice ad folia ascendit, respondet *chilo* animalium; dum vero a foliis ad inferiora descendit, respondet et analogiam habet cum *sanguine* in animalibus.

d) *Respiratio:* Latex (savia) ad folia vel partes determinatas plantæ perveniens, elementa quædam ex aere circumstante haurit, simulque alia in ipsum profundit, ad eum fere modum quo animalia dum respirant. Nimirum, plantæ virides, vel saltem earum partes virides, oxygenium ex aere absorbent, simulque acidum carbonicum emittunt nocturno tempore: contra vero tempore diurno acidum carbonicum absorbent, simulque oxygenium profundunt. (1) Unde respiratio

---

(1) Dixi *saltem partes virides;* hæc namque habet *Historia naturalis* sub direct. Galdi, edita Matriti, 1837, tom. 8.°, pag. 61. «Los únicos órganos que presentan este fenómeno son las partes de color verde, especialmente las hojas, los peciolos foliáceos, y los tallos jóvenes. Las raices, los troncos añosos cubiertos de corteza oscura, los órganos florales, y los frutos que no son verdes, las criptógamas que tienen otro color, las plantas blanqueadas (*descoloridas*) por oscuridad, no desprenden

atmospheræ, ubi abundant ejusmodi plantæ, salubrior habetur diurno quam nocturno tempore. Cæterum, respiratio illarum plantarum, quæ partibus viridibus privantur, magis est analoga respirationi animalium; siquidem oxygenium absorbent, et acidum carbonicum profundunt.

e) *Exhalatio*, quæ etiam *transpiratio* nuncupatur, locum habet in vegetalibus, quatenus vaporem aqueum ex se profundunt per aperturas tenuissimas (estomas) ovalis figuræ, quæ in foliis præsertim abundant: atque hæc proprie *exhalatio* dicitur, nam præter eam alia existit quæ *insensibilis* appellatur, ac perficitur per omnes plantæ superficies. Exhalatio copiosior habetur diurno quam nocturno tempore, quippe lux solis super aperturas ovales, quibus perficitur, plurimum influit. (1)

f) *Assimilatio:* Quatenus, nempe, diversæ partes plantæ, ex succo nutricio (savia) in foliis præparato ac veluti digesto, elementa sibi insumunt, quibus egent ad conservationem reparationemve propriæ substantiæ.

g) *Productio florum:* ex quibus semina ad propagationem deservientia originem ducunt.

---

oxígeno. No es el color verde la causa de la accion química, sino por el contrario su efecto; y así seria mas exacto decir que las plantas y los órganos que desprenden oxígeno, son verdes ó se vuelven así.»

(1) «En este hecho de la transpiracion vegetal hay dos fenómenos diferentes: 1.° una *pérdida insensible* por todas las superficies: 2.° una *emanacion* ó *exhalacion* abundante por las superficies provistas de estomas... Antes que se conociera el importante papel de los estomas, y su abertura por la accion de la luz, se habia observado que esta influye directamente sobre la transpiracion de los vegetales. Hales habia notado que las plantas aumentan en peso durante la noche, lo cual se esplica por la supresion regular de la exhalacion en este tiempo, durante el cual las raices continúan absorbiendo. El agua absorbida es al agua exhalada como tres es á dos. Así una tercera parte del agua absorbida queda en el vegetal, y las otras dos son exhaladas por toda la superficie, ó por los estomas.» *Hist. Nat. cit.*, ibid. pag. 60.

h) *Fœcundatio :* quæ fit per pollinem super ovula decisum, ex quibus grana vel semina exsurgunt.

i) *Germinatio* demum, qua vegetalis semina in nova individua evolvuntur.

4.° *Compositio :* substantiæ, ex quibus vegetalium corpora coalescunt, sunt hydrogenium, oxygenium, carbonum, ac respectu quorumdam ex ipsis, azotum, in minori tamen quantitate. Unde sicut in animalibus abundat et dominatur azotum, e contra in vegetalibus dominatur carbonum. Quod tamen accipere non oportet per omnimodam exclusionem aliorum elementorum ex vegetalibus. (1)

5.° *Discrimen ab animalibus.* Præter discrimina ea quæ vegetalia ab animalibus secernunt, juxta nunc exposita, quoad digestionem, compositionem etc. et alia, quæ mox subjiciemus quoad potentias et functiones vitales, primarium ac essentiale discrimen inter plantas et animalia constituendum esse in vi seu facultate sentiendi, qua animalia pollent, nemo est qui nunc ambigat, oblivioni ac contemptui jam tradita Pereiræ, Cartesii, cartesianorumque peregrina opinione de brutis *automatibus*, utpote non minus rationi ac experientiæ, quam communi hominum sensui opposita.

Quod vero plantæ ejusmodi sentiendi vi careant, facile constabit cuicumque homini, qui præjudiciis mentem occupatam non habeat: 1.° ex communi hominum sensu, ab ipsa natura proculdubio originem du-

---

(1) « On a signalé aussi dans les végétaux quinze autres corps simples qui entrent quelquefois dans leur composition en petite quantité; enumérons-les dans l'ordre de leurs aptitudes electriques en partant du plus electro-négatif : ce sont le souffre, le phosphore, le chlore, le brome l'iode, le fluor, le silicium, le cuivre, le fer, le manganése, l'aluminium, le magnésium, le calcium, le sodium, et le potasium. » *Enciclop. du XIX siecle*, art. Vegetaux, t. 25.

cente. 2 ° Quia nulla apparent in vegetalibus veræ sensationis vestigia, (1) nec organa apta pro sensationibus exerendis, qualia in animalibus, et homine existunt.

3.° Finis proximus plantarum is est, ut per vitæ vegetativæ functiones seipsas conservent et propagent; mediatus vero, ut animalium hominumque usibus inserviant: atqui ad neutrum horum finium requiritur in plantis sensus. Et quidem plantæ seipsas non indigent movere ad alimenta quærenda, cum terra, et atmosphera circumstans, ea ipsis ultro offerant: aliunde, cum facultate se de loco in locum transferendi careant, si sensationibus gauderent, hæc ad nihil aliud in ipsis deserviret nisi ut inutiliter cruciarentur, cum non possint sibi consulere noxia fugiendo: quod plane divinæ providentiæ penitus repugnat.

Ex his infertur, rejiciendam esse opinionem quæ statuit, inter regnum animale et vegetale existere viventia *vegeto-animalia*, a quibusdam nuncupata, quæ nec animalia, nec vegetalia sint, imo vero, quæ quandoque vegetalia, quandoque vero animalia evadant pro temporis diversitate. (2) Quæ quidem opinio, et erronea,

---

(1) *Veræ*, inquam, *sensationis:* nec enim ad veram sensationem sufficit mera receptio impressionis organicæ, sed requiritur præterea ejusdem perceptio, et organizatio congrua principio sensitivo, quæ in vegetalibus minime spectantur.

(2) «Daubenton, et Munchausen, ne sachant où fixer la limite entre les plantes et les animaux, avaient proposé d' établir un régne intermédiaire, composé des zoophytes, des algues, et des champignons... et tout récemment, MM. Agardh, Bory de Saint-Vincent, et Gaillon ont cru avoir saisi le nœud de transition qui lie la disposition particulière des animaux à la condition végétale. Ils ont cru voir que certains êtres long temps considerés comme végétaux, et d' autres qu' on avait continué de ranger parmi les animaux présentaient les phénomènes de l' animalité pendant un temps déterminé de leur existence, et qu' ils offraient ainsi une espèce d' etat oscillatoire entre les deux règnes.» *Encicl. loc. cit.*

et periculosa est habenda. *Erronea* quidem, quia illa viventia *vegeto-animalia*, vel gaudent vi sentiendi, vel non: si primum, ad regnum animale pertinent; si alterum, ad regnum vegetale.

Periculosa; quia si semel admittantur vegetalia, quæ lapsu temporis animalia evadunt, ¿quid ni admittemus quoque animalia, quæ temporis lapsu humanitatem induant? Itaque, sicut homo essentiali diferentia ab animali secernitur, ita et animal a planta. Quod si quædam sunt viventia, de quibus dubitatur utrum inter animalia, vel potius inter vegetalia recensenda sint, ex hoc solum consequitur, nos adhuc plene perspectam non habere ipsorum naturam, minime vero quod in seipsis aut animalia, aut vegetalia revera non sint.

ARTICULUS QUARTUS.

De anima brutorum.

Prænotanda:

1.° Vix quæstio in philosophia existit, quæ majorem obscuritatem et difficultatem, atque exinde sententiarum diversitatem præseferat. Quidam enim, ut Pereira, Cartesius cum plurimis e cartesianis, nihil aliud vident in anima brutorum, nisi meram vim mechanicam. Alii, eamdem habent tanquam tenuissimum et invisibile corpus. Sunt qui ad extremum oppositum declinantes, intellectu et ratione præditam autumant. (1) Nec defuere

(1) Huic sententiæ adhærere videntur omnes ferme recentiores physiologi, ac historiæ naturalis periti: vix enim unum aut alterum repe-

olim qui existimarent brutorum animas esse vel spiritus superioris ordinis, vel hominum animas ex corpore in corpus migrantes. Sunt tandem qui opinantur, animam brutorum esse veram substantiam spiritualem, quæ possit per se esse sine corpore, quæ per creationem oriatur, et quæ in nihilum redigatur, ita ut ab anima rationali solum differat quia intellectu, ratione, et voluntate libera carent: quæ sententia apud recentiores quosdam satis invaluit. (1) Harum porro senten-

---

ries, qui non tibi loquatur de *animalium intelligentia*, *voluntate*, *motibus voluntariis, de ideis* etc. Omnium loco, et exemplo audiatur Edwards, cujus verba ad hispanum sermonem vertimus.

«Otros animales mas privilegiados gozan además de facultades intelectuales, ó de la facultad de representar al espíritu las ideas producidas precedentemente por las sensaciones, de compararlas, de sacar de las mismas ideas generales, y de deducir de estas motivos de conducta.

»Finalmente hay tambien otros seres animados que gozan de la facultad de comunicar á sus semejantes las ideas que poseen, bien sea por medio de ciertos movimientos, bien sea produciendo sonidos diversos.

»Los variados fenómenos, con ayuda de los cuales los animales se ponen en comunicacion con los objetos que los rodean, pueden referirse, como se ha visto, á seis facultades principales: la *sensibilidad*, la *contractibilidad*, la *voluntad*, el *instinto*, la *inteligencia*. la *expresion*. Las cuatro primeras existen en todos los animales, y las dos últimas en un pequeño número solamente.» *Cours Elem. d' Hist. Natur. à l' usage des Colleges et des Maisons d' education, redigé conformement au programme de l' Université, par MM. Milne Edwards, A. Jussieu et Beudant*, Zoologie, pag. 122.

(1) Ita censent præter alios Balmes ac Tongiorgi, qui circa brutorum animam hæc statuit: 1.° *anima brutorum est substantia*: 2.° *est simplex et indivisibilis*: 3.° *non educitur ex potentia materiæ*: 4.° *non potest oriri nisi per creationem*: 5.° *a corpore non dependet quoad ipsum esse*: 6.° *a corpore soluta, vivere, ac esse desinit per annihilationem*. Quæ omnia non solum cum doctrina D. Thomæ ac veteris philosophiæ christianæ directe pugnant, verum qua ratione conciliari hæc possint cum differentia essentiali inter hominem et bruta, ac cum doctrina ejusdem auctoris, dum statuit quod brutorum anima dependet a corpore quoad omnes operationes, plane nescio.

tiarum diversitas, partim ex terminorum abusu et varia significatione originem ducit. Unde ut via resolutioni hujus perdifficilis quæstionis aperiatur.

2.° Æquivocatione laborant qui ex eo quod anima brutorum nequeat esse corpus vel materia, statim inferunt eam esse substantiam spiritualem, sive ens animæ rationali simile quoad substantiam et modum essendi. Etenim, ratio entis, utpote universalissima, non solum accommodatur et congruit entibus completis et perfectis, prout sunt corpora, et spiritus, sed etiam entibus imperfectis, et incompletis. Perfectum namque in creatis supponit imperfectum, præsertim cum agitur de entibus perfectis *compositione*, seu substantiis *compositis*, prout sunt substantiæ ex quibus mundus corporeus, a quo non excluditur ipse homo, coalescit. Similiter, ens completum, supponit ens incompletum, ac, ut ita dicam, *ens-pars*, *ens-principium*, præsertim quoad entia illa quæ *complentur* ac exurgunt ex unione duarum aut plurium realitatum, prout sunt animalia, quæ nec corpore solo, nec anima sola constant et perficiuntur. Ergo præter corpora et spiritus, quibus proprie congruit denominatio substantiæ corporeæ et spiritualis, admittere oportet substantias corporeas atque spirituales, quæ sint entia incompleta et imperfecta; nimirum, quæ participant de ratione substantiæ, quatenus essentialem aptitudinem habent ad constituendam substantiam tanquam ejusdem principium essentiale.

3.° Ex his legitime infertur, quod si sit aliqua entitas substantialis, quæ essentialem aptitudinem habeat ad constituendam cum alia entitate corporea unam essentiam completam, unumque suppositum vel substantiam completam, ita tamen ut existere et operari possit sine consortio illius, talis entitas substantialis, utpote *vere subsistens*, quamvis imperfecte, absolute potest denominari substantia spiritualis. Si vero illa entitas substan-

tialis sit hujus conditionis, ut nequeat existere et operari sine consortio alterius, cum qua unam naturam et unam substantiam completam constituit, tunc nec ens subsistens, nec substantia spiritualis aut immaterialis proprie dicetur. Poterit tamen dici *entitas substantialis*, quatenus est principium essentiale substantiæ: atque etiam spiritualis et immaterialis *negative*, tum quia *non est* corpus, tum quia ejus vis operativa excedit ac superat communem modum operandi corporis per vires mechanicas et chimicas. Quibus prænotatis, ut certum a probabili secernatur, sit

THESIS 1.ª

Bruta animantia intellectu et voluntate proprie dicta, seu libera, carent.

Prob. 1.° Proprius character intellectus prout a sensu distinctus, ipsoque superior, est cognoscere universalia, atque pertingere ad objecta pure spiritualia, ut sapientiam, Deum, veritatem, etc. dum e contra sensus nonnisi singularia et materialia objecta attingit, prout experientia testatur: atqui bruta nec spiritualia objecta, ut Deum, nec rationes universales rerum etiam materialium attingunt: ergo. Minor constat 1.° quia nullum adest signum bruta animantia, Dei, angelorum, veritatis, virtutis, etc. ideam habere: 2.° quia, ut scite habet Divus Thomas, (1) «omnia animalia ejusdem speciei similiter operantur, quasi a natura (ex instinctu naturali, ac proinde non voluntario) mota, et non ex arte operantes; omnis enim hirundo similiter facit nidum, et omnis aranea similiter telam; quod quidem evidens signum est cognitionis singularis, qui enim universales rerum ra-

(1) *Sum. contr. Gent.* lib. 2.° cap. 82.

tiones, proportiones, et relationes cognoscit, diversis mediis ac viis finem attingit, ut videre est in homine: 3.° quia quamvis ipsorum quædam, organa apta ad voces articulatas emittendas obtineant, proprias affectiones non nisi naturalibus signis manifestant, nec voces ad arbitrium significantibus adinveniunt, immo nec uti sciunt aut discunt, quantumvis continuo inter homines versentur, hosque colloquentes audiant. Ergo non solum objectorum spiritualium cognitione, sed universalibus conceptibus carent.

Prob. 2.° Si intellectu aut libera voluntate bruta gauderent, reflectere possent supra proprias operationes, easque succesive perficere; ast nullum reflexionis, aut libertatis signum in eis apparet: etenim, eadem ratione in vitæ initio et fine, in circumstantiis A ac in circumstantiis B uniformiter operantur, ita ut nulla nova industria, nova ars, novus progressus detegatur: ergo nec intellectu, nec libera voluntate gaudent, cum facultates ejusmodi necessario secum ferant progressum aliquem, vel saltem mutationem industriæ et artis, quibus opera perficiuntur, prout apparet vel in ipsis hominibus incultis prorsus ac barbaris, apud quos semper reperies progressus, aut saltem mutationem industriæ et artis, vel ad minus facilitatem addiscendi ex frequentia aliorum hominum, quorum tamen neutrum apud bruta reperies. (1)

---

(1) Apposite ad rem Bonald, cujus verba hispanice versa sic habent. «Este es pues el rasgo mas marcado de la diferencia que existe entre ellos, (el hombre, y el animal) y que no permite acercar el animal mas industrioso al hombre mas inferior. El hombre nace con la ignorancia de todo cuanto debe saber, pero con la capacidad de aprender de sus semejantes lo que ignora, de conocerlo todo, y de conocerse á sí mismo. El bruto por el contrario, nace instruido de todo lo que tiene que hacer, pero incapaz al propio tiempo de ir mas lejos... Lo repito; el animal nace perfecto, ó mejor dicho, finito: el hombre nace perfecti-

Accedit, quod si semel admittatur bruta gaudere intellectu et libera voluntate, occluditur via ad statuendum essentiale discrimen inter hominem et belluam, ac proinde ad immortalitatem animæ stabiliendam, quæ si semel corruant, corruit quoque integra Christiana Religio. Igitur Religionem produnt philosophi, qui catholicam doctrinam tueri profitentur, et tamen vel rationem, vel liberam voluntatem belluis concedunt. (1)

THESIS 2.ª

Prorsus rejicienda est opinio quæ statuit brutorum animam nonnisi intellectu et voluntate a rationali differre.

Thesis hæc directe impetit eos catholicos philosophos, qui, quamvis fateantur, belluas intellectu et voluntate non gaudere, ajunt tamen ipsarum animam esse substantiam simplicem, spiritualem, non eductam de potentia materiæ, sed per creationem ex nihilo productam, ac demum subsistentem ad modum animæ humanæ,

---

ble é infinito, por decirlo así, pues como dice Bossuet, *puede llegar hasta lo infinito.» Recherches Phil. sur les prem. objets des connaiss. mor.* cap. 13.

(1) Rejiciendus ergo Noget-Lacoudre, canonicus Bajocensis, qui activitatem liberam belluis concedit, dum hæc scribit. «Agnoscenda est insuper apud belluas activitas voluntaria... Demum, et deprehenditur apud belluas activitas libera. Activitas libera illa est qua producuntur actus, quos ad arbitrium ponere, vel non ponere potest agens.» *Inst. Phil. in Seminar. Bajoc habitæ* tom. 2.°, pag. 409. Priora verba inexactitudinem ad minus redolent; quippe belluis non activitatem *voluntariam* quæ ex voluntate oritur, sed spontaneam, vel potius instinctivam tribuere oportet. Posteriora parum consentiunt cum catholica philosophia, immo cum ipso scriptore; quandoquidem activitas libera fundamentum habet in ratione, quam proinde necessario præsupponit; et tamen auctor iste, qui liberam activitatem belluis concedit, eisdem denegat rationem.

seu independentem a corpore quoad esse: hæc quippe omnia tribuit animæ brutorum Tongiorgi supra citatus, cum aliis qui in eadem opinatione versantur.

Prob. 1.° Quia ubi est eadem aut similis substantia et essentia, eædem quoque aut similes potentiæ et operationes exurgunt; cum certum sit potentiam agendi, et operationes cujusque rei ab ejus essentia profluere, ipsique commensurari: ergo si anima brutorum assimilatur animæ rationali quoad ipsam essentiam vel entitatem substantialem, ut volunt adversarii, assimilari quoque debet quoad vim agendi et quoad operationes. Subsumo: atqui ex ipsis adversariis, animæ brutorum et hominum non conveniunt, nec assimilantur quoad potentias et operationes; siquidem bruta intellectum et voluntatem non obtinent, sicut homines: ergo nec assimilari aut convenire queunt quoad essentiam vel entitatem substantialem.

Prob. 2.° Inter attributa ea quæ propugnatores hujus opinionis animæ brutorum concedunt, primum ac fundamentale, est subsistentia seu independentia a corpore quoad esse; quandoquidem sine dubio reliqua ex hoc legitime consequuntur, ipsumque supponunt. Revera enim, si semel ponatur brutorum animam subsistere ad eum modum quo subsistit anima humana, quatenus, scilicet, non dependet a corpore quoad esse, ex hoc necessario consequitur quod sit substantia simplex et spiritualis; quod non educatur de potentia materiæ, quia illud quod non dependet a materia quoad esse, ex ea non educitur; quod per creationem producatur etc. Ergo si brutorum anima non est subsistens, etiam ea subsistentia imperfecta, quæ animæ rationali congruit, nec ei convenient cætera attributa seu prædicata, quæ eam subsistentiam supponunt, tanquam fundamentum et radicem. Atqui revera, brutorum anima non habet ejusmodi subsistentiam, sive quod in idem redit, non est indepen-

dens a corpore quoad esse. Et re quidem vera, juxta philosophorum commune effatum rationi et experientiæ consentaneum, operari sequitur esse et juxta modum operandi est modus essendi; vis namque agendi, ab ipsa rei essentia dimanat ipsique commensuratur; unde quo nobilior ac perfectior existit quævis natura, nobiliorem ac perfectiorem agendi vim et operationem sibi vindicat: immo etiam, cum nos ipsas rerum essentias immediate cognoscere aut intueri non possimus, de eisdem judicamus ac ipsas maxime cognoscimus, ex viribus agendi et operationibus, quibus gaudent. Ergo cum brutorum anima a corpore dependeat quoad operari, ut experientia compertum est, et ipsimet adversarii fatentur, apud quos brutorum anima « est dependens a corpore quoad omnes suas operationes, » (1) necessario quoque a corpore dependet quoad esse.

Adjicere liceret argumenta alia magni ponderis in eandem rem, sed ni fallor, hæc duo quæ nunc evolvimus, abunde sufficiunt ad demonstrandum, opinionem quam oppugnamus, parum aut nihil probabilitatis habere. Jam ergo quid apud nos sit brutorum anima, (quamvis in salebrosa hac materia, facilius sit dicere quid res non sit quam quid sit) summatim dicemus, juxta hucusque exposita et disputata. Itaque

1.° Anima brutorum non est subsistens, nec etiam ea subsistentia incompleta, quæ reperitur in rationali anima; quia ex hoc ipso quod dependet a corpore quoad omnes operationes, opus est quod ab eodem dependeat quoque quoad esse.

2.° Ergo non est dicenda *substantia* absolute et sine addito, sed ad summum, substantia imperfecta, vel po-

---

(1) Ita cit. Tongiorgi, qui etiam addit: «Nullum actum anima sensitiva exercere potest sine corpore.» *Ibidem*, pag. 45.

tius ens, vel principium *substantiale:* nam quod non subsistit, nec complete, nec incomplete, saltem ut rationalis anima, substantiæ denominationem nec proprie, nec absolute recipere potest.

3.° Brutorum anima educitur de potentia materiæ, non ita quidem quod ea seorsim fiat vel producatur, sed quatenus animal virtute generativa sibi insita, et medio semine, quod est veluti participatio vivens et animalis naturæ generantis, agit in materiam, eam transmutando usque ad productionem substantiæ vel compositi animalis. Nam sensitiva anima, utpote forma substantialis non subsistens, non fit, nec generatur proprie loquendo, sed quod fit et generatur est ipsum animal seu compositum, sicut ejus quoque est esse seu subsistere; ut enim profundissime observat D. Thomas, (1) «in hoc videntur fuisse decepti, (philosophi quidam) quia attribuebant fieri proprie istis formis, cum tamen fieri non sit nisi compositi, cujus etiam proprie est esse: formæ enim esse dicuntur non ut subsistentes, sed ut quo composita sunt; (existunt et vivunt) unde et fieri dicuntur non propria factione, sed per factionem suppositorum.»

4.° Non igitur per creationem ex nihilo, sed per eductionem ex præjacente materia esse incipit; nam quod *est* et *operatur* dependenter a materia, *fit* quoque dependenter a materia: hæc namque tria, *operari*, *esse* et *fieri*, sibi mutuo respondent, ita ut quæ *operantur* cum independentia a materia, etiam *sint* et *fiant* independenter a materia.

5.° Ergo summatim: Brutorum anima 1.° non est *substantia*, quia non subsistit, neque perfecte, nec imperfecte: 2.° non est *immaterialis aut spiritualis positive*,

---

(1) Quodlib. 9, art. 11.

quia nec quoad esse, nec quoad operari assimilatur spiritualibus substantiis: 3.° est forma substantialis, quia est principium formale substantiæ: 4.° perfectior tamen quam aliæ formæ inferiores, quarum perfectionem eminenter continet: 5.° *materialis* vero *positive*, quia operatur, existit, et fit dependenter a materia: 6.° solumque *immaterialis negative*, quatenus non est corpus aut materia; et *similitudinarie* vel per analogiam quandam, quatenus quoad operationes quasdam elevatur supra conditionem corporum et formarum inferiorum, magisque appropinquat operationibus substantiæ spiritualis.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. adversus 1.^am^ thes. Opera industriæ et artis, sunt effectus et signa intelligentiæ; sed bruta animantia accuratissima opera industriæ et artis edunt, ut manifeste apparet in castoribus, apibus, araneis, etc., ergo.

Resp. Dist. maj. Sunt effectus et signa intelligentiæ *si agens in eis successive perficiatur*, *aut per disciplinam acquirat*, conc. *si ex instinctu et impetu naturæ*, subd. sunt signa intelligentiæ, *existentis in ipso exequente*, neg. *existentis in auctore naturæ*, conc. Ex eo quod belluæ ordinate et artificiose operentur, pure colligitur esse aliquam superiorem intelligentiam, quæ belluis et earum operibus aliquem finem præstituerit; ast minime quod eisdem insit intelligentia, si ejusmodi opera ita edant, ut neque rationem formalem finis, aut relationem mediorum cum fine, cognoscant, vel saltem supra sua opera possint reflectere, eaque mutare, et perficere. Ast nihil horum in brutis existit. Nam neque

relationem mediorum cum fine cognoscunt, (1) nec reflexione, aut perfectibilitate gaudent in suis operibus; quandoquidem uniformi ratione operantur, temporibus præteritis ac præsentibus, in initio vitæ, in medio, in fine, in hac, vel in illa regione posita, nec novas artes, aut industrias addiscunt, nec quas ex natura habent, perficiunt. (2)

Objic. 2.° et simul inst. Animalia facultatem obtinent addiscendi significationem vocis articulatæ: ergo universalia et rerum relationes, cum vocis significatio relationem cum re significata involvat. Prob. ant. in canibus et equis, qui ad hominis locutionem opera et motus ordinate perficiunt.

Resp. Neg. ant. Ad prob. dist. Opera et motus perficiunt ex *habitudine per memoriam acquisita*, conc. *ex cognitione significationis vocis*, neg. Allata exempla et alia similia, solum ostendunt animalia quædam, utpote

---

(1) Unde apposite comes de Maistre: «El perro y el mono se acercan al fuego, y se calientan con placer como nosotros, pero no aprenderán jamás á hechar un tizon sobre las ascuas.»

(2) Qua in re bene habet Bonald: «L'animal nait donc parfait ou fini, avec des impulsions données, des goûts déterminés, des habitudes formées d'avance; il nait agé, pour ainsi parler, et instruit, au premier moment qu'il essaie ses forces, de tout ce qu'il fera quand l'age, les aura développées. Si les soins, et l'intelligence de l'homme etendent son instint, perfectionent ses habitudes natives... ces habitudes acquises sont perdues pour les espèces dans les quelles aucun progrès, aucun changement n'a eté remarqué depuis Aristote... L'homme au contraire, nait perfectible et par conséquent imparfait. Il est capable de tout apprendre ou de tout inventer; mais il ne saura un jour que ce qu'il aura appris de la raison des autres ou découvert avec sa propre raison.» *Recherches cit.*, cap. 13.

Quæ verba Bonald haberi possent veluti commentarium horum verborum D. Thomæ: «Animalia bruta in sui principio (cum ipsa natura et esse) accipiunt naturalem æstimationem ad cognoscendum nocivum et conveniens, quia ad hæc ex propria inquisitione pervenire non possunt. Homo autem ad hæc et multa alia potest per rationis inquisitionem pervenire.» *QQ. Disp., De Veritate*, q. 18, art. 7 ad 7.m

memoria sensitiva circa singularia prædita, determinatos habitus ex actuum repetitione acquirere, quos tamen instinctive, minime vero ex perceptione significationis terminorum, exequuntur; cujus rei evidens est signum, quod si verba, post quorum auditionem determinatos motus peragunt, in alia idem significantia mutentur, illos non amplius perficiunt. Sic, si cani assuefacto ad objectum quærendum et ore tenendum, post auditum hoc verbum: *quære:* eadem res per periphrasim seu multa verba imperetur, tranquillus permanebit.

Objic. cum Tongiorgi adversus 2.am thes. Anima brutorum, 1.° ex partibus essentialibus non constat: ergo est simplex: 2.° Non est formaliter extensa, nec in partes integrantes resolvi potest: ergo est indivisibilis.

Resp. Neg. utramque cons. Etenim simplicitas et compositio, substantias seu essentias completas proprie respiciunt; unde cum brutorum anima non substantia sed principium substantiæ, vel forma substantialis sit, nec simplex, nec composita proprie dici potest, sed principium aut' pars essentialis substantiæ compositæ. Potest tamen improprie seu *negative* simplex dici, quatenus seorsim a materia et substantia completa spectata, in alias partes dividi nequit. Atque hoc eodem sensu *indivisibilis* dicitur, quatenus, nempe, non est corpus aut substantia materialis, quibus quantitas, ac proinde divisibilitas propria et positiva solum congruit. Atque hoc est quod vult D. Thomas, dum docet brutorum animas esse *indivisibiles per se.*

Objic. 2.° cum eodem. «Anima brutorum neque corpus est, nec corporis qualitas, aut affectio, aut temperamentum: ergo est substantia,» nimirum, subsistens.

Resp. Neg. cons. Nam brutorum anima potest esse et

revera est *forma substantialis;* ac proinde non sequitur quod sit substantia, quamvis concedatur quod non sit corpus, aut corporis qualitas, affectio, aut temperamentum. Nec possumus non mirari, virum certe solertem ac in philosophicis peritum, sophisma hocce offendere.

ARTICULUS QUINTUS.

De functionibus et potentiis vitalibus animalium.

Quæ in præcedentibus articulis exposita manent, satis ostendunt bruta animantia sibi vendicare potentias ac functiones vitales, quæ vegetalibus insunt. Ast quia brutorum anima perfectior existit principio vitali plantarum, profluit exinde: 1.° inesse brutis potentias et functiones vitales, quæ vegetalibus non insunt: 2.° eas ipsas functiones, in quibus cum plantis conveniunt, superiori ratione perfici in animalibus. Quoniam vero de ejusmodi differentiis disserere potius quam ad philosophos, ad Historiæ naturalis tractatores, physiologosque spectat, nos pauca quædam notatu digna circa functiones vegetativas animalium subjiciemus. (1) Ac deinde de po-

---

(1) Ne autem philosophiæ studentes prorsus jejuni evadant circa convenientiam et discrimen functionum prædictarum in plantis, et animalibus, hæc subjicimus, quæ *Historia Naturalis*, quam supra citavimus, ex Decandolle desumit: «Decandolle ha hecho observar que la nutricion se divide en los reinos orgánicos en siete períodos, ó clases de fenómenos...

1.° La materia sólida ó líquida que sirve de alimento al animal ó vegetal, entra por uno ó muchos orificios. En la mayor parte de los animales, la abertura (la boca) es única, pero hay sin embargo animales inferiores, los rizostomos, que tienen varias. En los vegetales, las es-

tentiis animalibus propriis breviter disseremus. Porro circa functiones vitæ vegetativæ animalium, notatu digna sunt *sanguis* et *calor animalis*. Itaque

a) Animalium *sanguis* in speciebus superioribus et

---

ponjuelas son ordinariamente múltiples, y cada una se compone de un gran número de aberturas muy pequeñas.

2.° El alimento pasa á los órganos que deben elaborarle, es decir, modificarle, para que pueda efectivamente servir para la nutricion: en los vegetales este trayecto se verifica directamente por la raiz y el tallo: en los animales hay además cavidades especiales como estómagos é intestinos donde el alimento es detenido, y sufre la primera modificacion. La parte no nutritiva es arrojada, (los escrementos) y el resto continua su marcha con el nombre de quilo.

3.° El alimento bajo la forma líquida, á saber, el quilo en los animales y la savia en los vegetales, llega cerca de la superficie, ó por lo menos se pone en contacto con el aire exterior. Una parte de él se evapora, ya sea en los dos reinos por la transpiracion de todas las superficies, ya en los animales superiores por la transpiracion abundante de los pulmones, y en los vegetales vasculares por la exhalacion de las hojas.

4.° La materia alimentaria, haciéndose menos líquida, es modificada químicamente por el aire atmosférico; en los animales aumenta la proporcion del oxígeno; en los vegetales la del carbono... La operacion química en que el aire dá á cada uno lo que necesita, se verifica en los animales y los vegetales superiores, en los pulmones, bronquios ó las hojas...

5.° El jugo alimentario por efecto de las operaciones anteriores, se vuelve muy nutritivo: en los animales toma el nombre de sangre, y en los vegetales, el de cambium, y se deposita en el tejido por medio de una circulacion mas ó menos extensa.

6.° Una porcion de las moléculas elementales que contiene, es depositada de tal manera, que pueden mezclarse con la savia ó con la linfa, ser asímismo transportadas por ella de un órgano á otro: así se forma la grasa de los animales, y los tubérculos cotiledones carnosos, receptáculos, y otros depósitos carnosos en los vegetales.

7.° Ciertos órganos particulares, llamados glándulas, pueden extraer del jugo nutritivo sustancias muy variadas; lo cual constituye las secreciones. Aquellas cuyos productos son arrojados al exterior, como la orina, se llaman secreciones *excrementicias;* las otras cuyos productos permanecen en el interior, y aun son útiles, como la saliva, la bilis, son llamadas *recrementicias*. Esta distincion es menos clara en los vegetales.» T. 8, pag. 56.

perfectioribus, ut sunt mammifera, aves, pisces, etc. rubei coloris existit, ast in aliis inferioribus, vel albus, vel aliorum colorum, vel fere pellucidus existit. Sanguis rubeus ex duplici elemento coalescit, ex liquido quodam fere diaphano, quod *serum* appellant, ac ex tenuissimis *globulis* rubei coloris, ex quibus sanguinis color originem ducit. (1) Præcipuæ cavitates quibus sanguis continetur, ac circulationem perficit, quæque idcirco *vasa sanguinea* audiunt, sunt arteriæ, per quas sanguis ex corde ad reliquas corporis partes pervenit; et *venæ*, quarum ope ex reliquis corporis partibus ad cor regreditur. Hinc sanguinis *circulatio* ab Harvey, Caroli Primi Angliæ regis medico, primum detecta, *arteriis* et *venis* tanquam vasis seu conductoribus et *corde* tanquam motore, perficitur.

b) *Caloris animalis* productio comitatur in brutis functiones nutritivas; cujus tamen natura et gradus, varia sunt pro diversitate animalium. Quædam namque calorem minus intensum in se producunt et habent, ita ut gradum caloris independentem a variationibus atmosphericis, non obtineant: hæc dicuntur animalia *sanguinis frigidi*, suntque omnia, præter mammifera et aves, quæ sibi vendicant caloris gradum intensiorem, atque a variationibus circunstantis aeris quodammodo independentem; quamobrem et animalia *sanguinis calidi* appellantur. Nec tamen iidem gradus, intensitasve calo-

---

(1) «En examinant au microscope le sang d'un animal *à sang rouge*, tel qu'un mammifère, un oiseau, un poisson, on voit qu'il est constamment formé de deux parties distinctes: d'un liquide jaunâtre et transparent, auquel on a donné le nom de *serum*, et d'une foule de petits corpuscules solides réguliers, et d'une belle couleur rouge qui nagent dans le fluide dont nous venons de parler, et que l'on appelle les *globules* du sang.» Edwards, *Zoolog.* pag. 54.

ris apud omnia genera, species, aut etiam individua animalium prædictorum existunt. (1) Attamen generatim statui potest calorem animalem in avibus intensiorem esse quam in mammiferis: etenim aves 42 gradus centigrados fere attingunt, mammifera inter 36 et 40 oscillare observatum est.

Quod attinet ad vires seu potentias animalibus proprias ac veluti specificas, præter quinque exteriores sensus, recenseri debent cum D. Thoma.

1.° *Sensus communis*, qui etiam *interior* a D. Thoma appellatur. Etenim bruta non solum percipiunt objecta propria sensuum externorum, sed discrimen unius ab altero, v. g. cibum quem degustant non esse sonum quem audiunt. Similiter, actus externorum sensuum, confusa saltem ac imperfecta conscientia percipiunt; cujus signum est quod sensationes quasdam voluptuose appetunt et excipiunt, ut dum aures arrigunt ad melius audiendam cantilenam; quæ quidem propria sunt munera sensus communis seu interioris, ut in Psychologia

---

(1) « Du reste, la faculté de produire de la chaleur varie dans lés divers animaux de ces deux classes, et varie aussi dans le même individu suivant l'age et les circunstances ou il est placé. Ainsi la plupart des mammifères, et des oiseaux produisent assez de chaleur pour conserver la même température en eté et en hiver, et pour résister aux causes ordinaires de refroidissement, même a un froid très vif. Mais il en est d'autres qui produisent seulement assez de chaleur pour élever leur température de 12 au 15 degrés au-dessus de celle de l'atmosphère; il en résulte que pendant l'eté leur températuræ est à peu près la même que celle des autres animaux a sang chaud, mais que pendant la saison froide elle s' abaisse beaucoup: or toutes les fois que ce refroidissement atteint une certaine limite, le mouvement vital se ralentit toujours, et l'animal qui l'eprouve tombe dans un etat de torpeur ou de sommeil léthargique qui dure jusqu' à ce que la température se reléve de nouveau. On appelle *animaux hibernants* les êtres qui présentent ce singulier phènomène, et sous ce rapport, ils sont en quelque sorte intermédiaires entre les animaux à sang chaud non hibernants et les animaux à sang froid.» Edwardt *Op. cit.* pag. 118.

diximus. Adde his, animalia somno indulgere, somnus autem, ut non improbabiliter Aristoteles opinatur, (1) originem ducit ex ligamine vel impedimento commune sensorium afficiente: inest igitur animalibus communis sensus.

2.° *Imaginatio.* Animalia namque absentia percipere, satis constat: 1.° ex eo quod vias et loca frequentata petant, ad pascua et stabula revertantur, homines, quibus convivunt, agnoscant, etc. 2.° ex eo quod somniis sunt obnoxia; videmus enim canes aliaque bruta, latratus, murmura, gestus et motus somniantium edere. Hæc autem omnia sunt signa et opera imaginationis, cujus proprium munus est uti speciebus seu repræsentationibus per sensus exteriores acceptas, ad quarum « retentionem, aut conservationem, ait D. Thomas, (2) ordinatur phantasia sive imaginatio, quæ idem sunt; est enim phantasia sive imaginatio, quasi thesaurus quidam formarum (specierum vel repræsentationum) per sensum acceptarum.»

3.° *Æstimativa.* Facultas, nempe, qua bruta animantia quædam in corporibus percipiunt, quæ aciem sensuum externorum, ipsiusque communis sensus effugiunt. Videmus enim animalia discernere utilia ab inutilibus, ut materias ad nidificandum utiles, noxia ab innoxiis, ut apparet in ove, quæ « videns lupum venientem fugit, non propter indecentiam coloris vel figuræ, sed quasi inimicum naturæ, ait D. Thomas: » (3) proprios filios ab

---

(1) «Siquidem, inquit ille, hoc sensorium (commune) cum præcipuum sit et ad illud reliqua omnia sensoria referantur, si qua forte re afficitur, cætera quoque omnia simul necessario afficiuntur... Enimvero, somnus obrepit cum imbecillitas usus, nec quodlibet sensorium, nec quamlibet ob causam occupat, sed, ut nunc testati sumus, cum primarium sensorium tentat, quo omnia sentiuntur. Tale enim sensorium, si forte sentire non poterit, necessario cætera quoque sensoria nullo afficientur sensu.» *De somno et vig.* cap. 2.°

(2) *Sum. Theol.* 1.ª p., q. 88, art. 3.°

(3) *Loc. cit.*

extraneis, aliaque hujusmodi quæ omnia ab externis sensibus minime percipiuntur. Unde et hujusmodi intentiones seu qualitates ope æstimativæ perceptæ, *insensatæ*, quasi non sensatæ appellantur a veteribus Scholasticis, non quidem quod absolute insensibiles existant, sed quia superant et excedunt sensibilitatem externam.

Huic facultati, ut pote nobiliori inter pure sensitivas, et quæ majorem obtinet affinitatem cum intellectu, præsertim tribuenda sunt opera illa brutorum, quæ industriæ et artis specimen præ se ferunt. Recentiores eam appellare solent *instinctum*, sed immerito; nam instinctus potius dicit ac significat, inclinationem seu impetum naturæ ad motum aliquem peragendum; ac proinde cum appetitu sensitivo identificatur, non cum æstimativa, quæ continet perceptionem prævium, ex qua ejusmodi instinctus sive appetitus naturalis consequitur.

4.° *Memoria sensitiva:* ex qua et per quam bruta prædictas intentiones seu qualitates insensatas seu speciales objectorum, ope æstimativæ perceptas, apud se retinent et conservant, sicut per imaginationem conservant perceptiones sensuum externorum.

5.° *Appetitus sensitivus*, qui, ut D. Thomas habet, (1) est inclinatio consequens apprehensionem (perceptionem) sensitivam. Enimvero, sicut perceptionem vel cognitionem rationis, sequitur inclinatio rationalis ad bonum intellectu perceptum, quæ voluntas dicitur, ita cognitionem sensitivam consequitur inclinatio instinctiva seu necessaria ad bonum sensibus perceptum, ac proinde aversatio mali sensibus percepti. De quo, ejusque manifestationibus, quæ *passiones* audiunt quia satis in Psychologia diximus, nihil hic ultra addemus.

---

(1) *Loc. cit.*, q. 81, art. 2.°

6.° *Facultas locomotiva:* Appetitus namque seu instinctus quoad bonum aut malum sensibus cognitum, inutilis, imo et noxius animali evaderet, nisi frueretur potestate seipsum transferendi de loco in locum pro utilibus capiendis, et nocivis vitandis. Hanc porro vim motricem, brutis in esse, ipsa quotidiana experientia abunde satis ostendit.

Atque has cunctas facultates et vires brutis perfectioribus, imo maximo animalium numero inesse, pro certo est habendum; utrum autem omnes in speciebus infimis etiam reperiantur, physiologis atque zoologiæ peritis discutiendum libenter relinquimus.

LIBER SEXTUS.

THEODICEA.

Postquam de homine et mundo in præcedentibus egimus, agere nunc oportet de Deo; quandoquidem, ut præclare habet Nazianzenus, «ratio divinitus omnibus insita, et prima in pectoribus nostris condita lex, cunctisque mortalibus innexa, nos ab iis rebus, quæ oculis cernuntur, ad Deum subvexit.» (1) In hac igitur philosophiæ præcipua parte, quæ Theodicea vel Theologia

(1) In phylosophicis scientiis, ea quæ de Deo agit, post alias versatur; contra vero in Theologicis seu divinis, prius de Deo quam de creaturis agitur, quia ut merito observat D. Thomas, «in doctrina quæ creaturas secundum se considerat, et ex eis ad Dei cognitionem perducit, prima est consideratio de creaturis, et ultima de Deo: in doctrina fidei, quæ creaturas in ordine ad Deum tantum considerat, prima est consideratio Dei, et postmodum creaturarum, quæ proinde est perfectior, ut pote similior cognitioni Dei, qui seipsum cognoscens alia intuetur.» *Sum. cont. Gent.*, l. 2.°, cap. 4.°

naturalis audit, 1.° de Dei existentia; 2.° de ejusdem essentia; 3.° de divinis attributis absolutis; 4.° de attributis relativis, totidem capitibus disseremus.

CAPUT PRIMUM.

DE EXISTENTIA DEI.

ARTICULUS PRIMUS.

De possibilitate ac necessitate demonstrationis existentiæ Dei.

Prænotanda:

1.m Inter eos qui adversus Dei existentiam insurgunt, primum locum obtinent Athei, qui si Deum negant ex præconcepto systemate, ita ut Dei existentiam ut theistarum commentum et errorem habeant, athei *speculativi* vel *dogmatici* dicuntur: si vero Deum non confitentur quia ejus existentiam vel ex hebetudine ingenii, vel ex crassa ignorantia non agnoscunt, vel potius nesciunt, *athei negativi* nuncupantur: quod si Deum corde et ore confitentes, vitio et libidini indulgent penitus, sicque in praxi operantur quasi nullus Deus existeret, *athei practici* appellantur.

2.m Demonstrari aliquid potest vel *a priori*, quando, scilicet, res probatur per causam sive physicam, sive metaphysicam; vel *a posteriori*, quando res probatur per suum effectum itidem vel physicum, vel metaphysicum.

3.m Possibilitatem demonstrationis existentiæ Dei explicite vel implicite e medio tollunt: 1.° Petrus de Alliaco paucique alii ex antiquis, qui ajebant Deum probabiliter satis, ac morali quadam certitudine ex creaturis ostendi posse, inficiabantur tamen demonstrari eum posse perfecta demonstratione. 2.° Quidam ex recentibus traditionalistis, qui autumant, nos ad Dei notitiam nonnisi ex revelatione, aut saltem ex disciplina et traditione orali societatis assurgere posse; queis adjungere licet eos qui affirmant, nos Dei notitiam non per rationis conceptus acquirere, sed per instinctum quemdam divinum ac sensum, nescio quem, quo Deum apprehendimus. 3.° Kant, et qui cum eo docent nullam vim inesse humanæ rationi transcendendi sensibilis experientiæ limites, ullamve inferendi realitatem extra sensibilia objecta, ita ut ejus objectiva existentia certo possit demonstrari.

4.m Necessitatem porro demonstrationis præfatæ implicite saltem inficiantur, tum Cartesius, qui hanc demonstrationem ex innata quadam Dei idea eruere conatur; tum maxime Ontologi illi, qui autumant nos Deum intuitione quadam immediata apprehendere.

THESIS 1.a

Possibile est Dei existentiam demonstrare a posteriori, seu per creaturas.

Prob. Ad veram et proprie dictam demonstrationem *a posteriori* tria sufficiunt: 1.° ut existant realiter effectus ex quibus demonstratio causæ petitur: 2.° ut ejusmodi effectus nexum absolute necessarium cum causa per ipsos demonstranda obtineant: 3.° ut tam effectus quam nexus evidenter cognoscantur: atqui tria hæc in demonstratione existentiæ Dei per creaturas apertissime inveniuntur. Siquidem, nemo sanæ mentis inficiabitur, et effectus rea-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

les in hoc mundo existere, et eos necessarium nexum habere cum prima causa, quæ est ratio sufficiens; et nostram rationem, tam illos effectus, quam hunc nexum cum causa prima evidenter percipere: ergo.

THESIS 2.ª

Dei existentia non est per se nota quoad nos, ac proinde aliqua ratione demonstrari indiget.

Dixi *quoad nos*, quia ut certum suppono, Dei existentiam esse per se notam *quoad se*, cum actualis existentia identificetur in Deo cum essentia.

Prob. Illa propositio dicitur per se nota, *quoad nos*, in qua, perceptis terminis, statim ac evidenter percipitur relatio prædicati cum subjecto, ut observare licet in primis principiis: atqui id non habet locum respectu existentiæ Dei; nemo enim dixerit eum qui audit hanc propositionem «*Deus est*,» statim ac evidenter percipere ejus veritatem sicut percipit statim ac evidenter veritatem hujus propositionis: *Totum est majus sua parte:* ergo. Minor, si opus est, probari potest: 1.° quia cum Dei essentiam non intueamur, nec perfecte cognoscamus, non possumus immediate videre seu cognoscere actualem existentiam in ea contineri; ut enim habet D. Thomas, (1) «quia nos non scimus de Deo quid est, non est nobis per se nota, (prædicta propósitio) sed indiget demonstrari per ea quæ sunt magis nota quoad nos et minus nota quoad naturam, scilicet, per effectus:» 2.° quia et videmus rudiores homines de existentia Dei certiores non fieri, salva fide, nisi ratio, aut reflexio aliqua scientifica ipsis proponatur; et sci-

(1) *Sum. Theol.*, P. 1.ª q. 2.ª, art. 1.°

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

mus non defuisse philosophos, qui de existentia Dei dubitarunt, vel eam, saltem ore tenus, etiam negarunt.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Adversus 1.m thesim.

Objic. 1.° Demonstratio etiam *a posteriori* debet esse ex prioribus, ex notioribus, ac ex necessariis; atqui ejusmodi conditiones locum non habent in demonstratione Dei ex creaturis: ergo. Prob. min. Nam creaturæ sunt quid posterius et non prius respectu Dei: deinde, non sunt notiores, quia ipsarum existentia certitudine tantum physica nobis constat, existentia vero Dei certitudine metaphysica: deficit similiter tertia conditio, quia creaturæ sunt contingentes et minime necessariæ: ergo.

Resp. Neg. min. Ad prob. dist. quoad singulas partes. *Quoad primam.* Sunt quid posterius *existentia*, conc. *cognitione*, neg. Ad veram porro ac proprie dictam demonstrationem, sufficit ut effectus ex quibus causa demonstratur, sint priores quoad nos ordine cognitionis, quamvis in se et naturæ ordine sint posteriores.

Quoad secundam. Non sunt notiores *omnes*, conc. *quædam ex ipsis*, neg. Si enim demus existentiam quarumdam creaturarum, sensuum ope, et testimonio, ac proinde physica certitudine nobis constare, sunt tamen aliæ quarum existentia nobis constat certitudine metaphysica, ut existentia intellectus, voluntatis ac rationalis animæ, quæ ex ipsorum actibus evidentia equivalenti metaphysicæ, constant. Adde his, præmissas dici posse notiores non tantum ratione majoris certitudinis, sed etiam ratione majoris facilitatis, qua ipsarum elementa, et veritas percipiuntur.

Quoad tertiam. Creaturæ non sunt necessariæ *absolute*, conc. *hypothetice*, neg. Utique creaturæ contingenter existunt, si in seipsis spectentur; attamem, necessariæ vere dicuntur, tum quatenus necesse est eas esse ex suppositione quod existant vel creatæ sint, tum quia essentialem ac necessariam dependentiam habent a causa creante, ex qua utraque necessitate demonstratio *a posteriori* Dei tanquam ipsarum causæ exurgit.

Inst. Prima veritas demonstrari nequit; sed Deus est prima veritas: ergo.

Resp. Dist. maj. Prima veritas *in cognoscendo*, conc. *in essendo*, neg. Utique veritas quæ sit prima cognitionis ordine, demonstrationi non subest; quia alias demonstrationis processus in infinitum abiret, si ratio in aliqua veritate per se nota non sisteret; ast hinc minime conficitur quod Deus, cujus essentia est veritas ac proinde prima veritas essentialis, sit etiam prima veritas in cognoscendo quoad nos, qui ejusmodi essentiæ intuitionem non habemus.

Objic. 2.° Dei existentia nequit demonstrari nisi ejusdem essentia cognoscatur, cum in Deo existentia et essentia identificentur; atqui Dei essentiam ex creaturis non potest homo demonstrare; ergo.

Resp. Omiss. maj. dist. min. Nequit demonstrari *quoad existentiam ipsam et prædicata aliqua*, neg. *perfecte*, seu quoad prædicata omnia, quæ in divina essentia continentur, conc. Jam vero, pro demonstranda Dei existentia minime exigitur ut ejus essentiam adæquate noscamus, sed sufficit notio quædam imperfecta et inadæquata, quatenus cum cognoscimus ut ens a se, improductum, perfectissimum etc. «et sic ex effectibus Dei, ut cum D. Thoma loquamur, (1) potest demonstra-

(1) *Loc. cit.*, art. 2.° ad 3.m

ri Deum esse, licet per eos non perfecte possimus eum agnoscere secundum suam essentiam.»

Adversus 2.m thesim. Objic. 1.° Dei idea nobis est innata ac proinde Dei existentia nobis per se nota: ergo demonstrari non eget. Prob. ant. Nomine Dei intelligimus ens perfectissimum ac summum, quo majus nequit cogitari; atqui hujusmodi ens necessario realem existentiam habet; nam secus jam non esset ens perfectissimum, majus enim ac perfectius est ens realem existentiam habens quam non habens : ergo.

Resp. 1.° Habes hic argumentum ontologicum, ut vocant, pro existentia Dei a Cartesio et cartesianis tantopere celebratum, cui maximam vim illi tribuunt, quodque tanquam gloriam cartesianæ scholæ prædicant. (1) Jam porro, quamvis gratis daretur ejusmodi argumentum veram demonstrationem constituere, immerito a cartesianis tantopere extollitur; nam cum ejus vis a non paucis primi subsellii viris philosophis et theologis denegetur, concludere nobis licet argumentum illud, vel sophisma esse, prout hi existimant, vel saltem demonstrationem obscuram ac minus perspicuam, quæ idcirco minime erit præferenda argumentis aliis usurpatis in schola tam veterum, quam recentiorum.

Resp. 2.° Neg. ant. Ad prob. neg. min. Siquidem, fit ibi transitus a statu ideali ad realem. Ex eo etenim quod,

---

(1) Quæ tamen gloria, si gloria est, non Cartesio, sed D. Anselmo esset adjudicanda, qui primus argumentum hocce his verbis proposuit: «Certe id quo majus cogitari nequit, non potest esse in intellectu solo; si enim vel in solo intellectu est, potest cogitari esse et in re, quod majus est. Si ergo id quo majus cogitari non potest, est in solo intellectu; id ipsum quo majus cogitari non potest, est quo majus cogitari potest; sed certe hoc, esse non potest. Existit ergo proculdubio aliquid, quo majus cogitari non valet, et in intellectu, et in re.» *Proslog.*, cap. 2.°

quis concipiat Deum per modum entis perfectissimi, solum colligitur Dei essentiam hac ratione conceptam involvere necessario existentiam objectivam, ast minime sequitur hujusmodi existentiam, realem ac physicam esse. Nisi enim aliunde sciam ens hocce, quod tanquam perfectisimum concipio, a parte rei existere, nihil habebo nisi ens perfectissimum in mente mea existens; ac proinde essentiam et existentiam objectivam atque intentionalem, ast non realem et physicam. Hinc merito D. Thomas: «Dato etiam quod quilibet intelligat hoc nomine *Deus* significari hoc quod dicitur, scilicet, illud quo majus cogitari non potest, non tamen propter hoc sequitur quod intelligat id quod significatur per nomen, esse in rerum natura, sed in apprehensione intellectus tantum.» (1)

Objic. 2.° Sensum inditum habemus ad agnoscendum Deum: ergo demonstrari non eget, sicut non eget demonstrari existentia corporum, quæ sensibus percipimus. Ant. probatur: 1.° ex eo quod quisque pronus est valde ad credendum Deum esse, quem assensum semel habitum, exuere nequit, nisi vim ingenio et menti inferat: 2.° ex eo quod discrimen inter bonum et malum agnoscimus; conscientiæ stimulis urgemur; perpetuæ felicitatis desiderio agitamur; ad Deum clamore confugimus dum in periculis versamur, etc. ergo.

Resp. Argumentum hocce, quo recentiores quidam utuntur, ostendit quidem existentiam Dei facili rationis processu demonstrari, multisque viis ac signis ad eam posse assurgere mentem etiam rudiorum hominum; ast minime probat adesse homini sensum aliquem, quo Deum immediate percipiat, ea ratione qua corpora sensibus percipiuntur. Itaque ex allatis in argumento tantum in-

(1) *Loc. cit.* art. 1.° ad 2.m

ferre licet, Dei existentiam a quovis homine facillima reflexione aut ratiocinatione percipi posse, quo sensu hæc cognitio, *quasi-naturalis* homini haberi potest, nec aliter accipiendus D. Thomas, dum ait: « omnibus naturaliter insitum est, unde possunt pervenire ad cognoscendum Deum esse.» (1)

ARTICULUS SECUNDUS.

De demonstratione existentiæ Dei.

THESIS.

Existit Deus.

Prænotanda:

1.° Nomine Dei hic intelligitur: *Ens quoddam supremum a se et necessario existens, a quo rerum universitas dependet.*

2.° In ente necessario *posse* existere, et *actu* existere, identificantur; quia eatenus ens dicitur absolute necessarium, quia essentialiter existit, ac proinde posse existere, et actu existere in eo conveniunt.

3.° Omnis *limitatio* supponit aliquam ipsius causam, vel extrinsecam, vel intrinsecam. Ex quo infertur, nullam limitationem esse posse in ente necessario; etenim, nec limitari potest ab alio *extra se*, cum sit ens a se, prorsus independens ab alio; nec a propria voluntate, tum quia prius est essentialiter esse, quam velle; tum quia illud quod enti necessario congruit, per ipsam essentiam, seu ex necessitate essentiæ, ac proinde immutabiliter congruit.

4.° Plurima, eaque invictissima argumenta, et me-

(1) *De Verit.* q. 10.ª art. 12 ad 1.m

taphysica, et physica, et moralia, pro adstruenda atque demonstranda Dei existentia a philosophis afferri solent; ex quibus nos, brevitati consulentes, unum tantum ex unoquoque genere proferemus. Itaque,

Probatur 1.° argumento metaphysico.

In rerum universitate dantur entia *contingentia* et *producta;* undequaque enim observamus entia quæ possunt esse et non esse, ut motus, et modificationes materiæ, actus liberi hominum, etc.: similiter videmus entia quædam quæ incipiunt esse, cum antea non essent, ac proinde de novo producta: ergo dari debet ens aliquod necessarium et improductum. Prob. cons. Ens contingens, qua tale, indifferens est ad esse vel non esse, ac proinde, si de facto existit, opus est ut ab aliqua causa ad existentiam determinatum sit. Jam vero, illa causa vel necessario et a se existit, vel esse accepit ab alia causa: si primum, habemus ens necessarium et a se existens; si secundum, vel illa causa ab alia dependet, hæcque ab alia in infinitum, vel deveniendum tandem ad aliquam causam, quæ a se et necessario existat. Cum ergo processus in infinitum sit contradictorius, tum quia repugnat multitudo actu infinita, tum maxime quia in hac hypothesi effectus A non posset determinari ad esse, quippe ad hoc opus fuisset ut series infinita causarum præcessiset; infinitum autem nequit pertransiri, ut ex terminis patet. Similiter dic de ente *producto*, quo semel admisso, vel admittenda series infinita causarum efficientium seu producentium, seu veniendum tandem ad ens aliquod improductum, a se et ex se ipso existens. Ergo existentia entium contingentium et productorum, necessaria ac metaphysica consecutione ducit ad existentiam entis necessarii, improducti, et a se existentis, ac proinde Dei.

2.° *Argumentum physicum*

Desumo ex mirabili ordine qui in universo hocce elu-

cet. Ordo aperte prædicat existere ens summe intelligens, hoc est, Deum qui adspectabilem hunc mundum condiderit et ordinaverit. Et quidem, mundi hujus inspectio nos edocet: 1.° illum regi legibus universalibus ac constantibus: 2.° entia omnia, ex quibus coalescit, subordinationem quamdam præ se ferre, ac aptissimis mediis instructa esse, tum ut unumquodque suum finem atque propriam perfectionem adsequatur, tum ut ad conservationem ac generalem ordinem universi conducat: 3.° miram elucere in mundo venustatem, convenientiam, et harmoniam rerum, quæ si seorsim spectentur, dissimiles, imo et contrariæ videntur: 4.° hominem, qui corporeo mundo quodammodo supereminet ac dominatur, mira partium structura quoad corpus, mirabilioribusque viribus quoad animum, esse præditum. Quæ omnia, si quis vel leviter consideret, statim conjiciet universum hocce, aperte et alte prædicare existentiam supremi alicujus numinis, summe potentis et intelligentis, hujus mundi Conditoris, Ordinatoris, et Provisoris. Nisi fortasse cum Epicuro et Lucretio cogitare, vel potius oretenus adserere voluerit, mirabilem ordinem, qui in mundo elucet, mundumque ipsum ex casu prodiisse, vel ex fortuito atomorum concursu, cum tamen hujusmodi casus nec integram libri paginam efformare valeat.

3.° *Argumentum morale.*

Judicia illa in quæ universum genus humanum quasi sponte consentit, tanquam vera sunt habenda: hujus quippe generis judicia, ex ipsa natura, vel potius ex ipsa veritatis evidentia, quæ hominis mentem percellit, originem ducere est opus: atqui universum hominum genus in agnoscenda Divinitate consentit: ergo.

Minor constat: 1.° ex philosophis, sive veteribus, sive recentioribus, qui omnes, si paucissimos atheos excipias, uno ore Dei existentiam agnoscunt; nam, ut ajebat Plato, «facile est ostendere quod Dii sint:» 2.° ex

testimonio historicorum et viatorum, qui tam veterum quam recentium populorum numina, cultum, et religionem commemorant: 3.° ex omnis generis monumentis, ac signis, quæ hominum et populorum fidem et consensum in divinitate agnoscenda supponunt et indicant, prouti sunt, templa, imagines, numismata, sepulcra, hymni, cantus, sacrificia, etc. quæ apud populos cunctos sive veteres, sive recentes, sive cultos, sive barbaros, reperies, ut merito scripserit idem Plato: « Græcorum præterea, Barbarorumque consensus Deum esse fatentium, id ostendunt.» (1)

Robur maximum huic argumento accedit, si præ oculis habeatur, hujusmodi philosophorum, hominum rudiorum, ac populorum consensum in adstruenda existentia Dei, versari: 1.° circa rem gravissimam, in quam inquirendam sollicite homines intendunt propter consectaria quæ ex ipsa promanant circa vitam præsentem et futuram: 2.° circa rem quæ passionibus ac cupiditati hominum adversatur: 3.° circa rem quæ sæpissime in examen est revocata, tum apud philosophos et homines, qui veritatem vestigabant, tum apud impios homines qui quolibet tempore insurrexerunt adversus religionem, cujus veluti fundamentum est Dei existentia. Ergo cum hisce non obstantibus, firmus, constans ac universalis extiterit philosophorum, hominum, et populorum consensus in agnoscenda Dei existentia, legitime infertur ejusmodi consensum ab ipsa natura oriri, fundamentum-

(1) Notum etiam, ac fere vulgatum illud Ciceronis: «Nulla gens est neque tam immansueta, neque tam fera, quæ non, etiamsi ignoret qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat.» *Tusc. lib.* 1.° Cui concinit Seneca: « Deos esse colligimus, quod omnibus de Diis opinio insita sit; neque ulla gens usquam est adeo extra leges, moresque projecta, ut non aliquos Deos credat.» Epist. 117.

que præhabere in hominis ratione ac in veritatis ipsius evidentia.

Ex his quæ in hoc ac præcedenti articulo exposita manent, colliges sequentia

Corollaria:

1.m Ergo si non prorsus impossibile, ast certe difficillimum est dari ignorantiam *negativam* existentiæ Dei. Fieri enim vix potest, ut homo adultus sui compos, ad cognoscendum vel saltem ad dubitandum de existentia Dei non feratur, cum multiplices adeo atque faciles rationes ad id offerantur, præsertim si in societate vel parum culta, vitam agat.

2.m Ergo potiori ratione, vel prorsus impossibile, vel difficillimum existit, dari atheos *positivos* vel *dogmaticos*. Siquidem, moraliter impossibile est ut homo ratione et scientia aliquatenus pollens, quales esse solent qui atheismo se adhærere profitentur, fortiorem, aut saltem æqualem vim non agnoscant in argumentis theistarum, ac in eis quibus ad Deum negandum se permoveri autumant. Quamobrem non dessunt qui inficiantur, ullos unquam extitisse atheos vere dogmaticos.

3.m Facilius est dari atheos, qui *indirecti* possent nuncupari, illi, scilicet, qui Deo tribuunt, aut negant quidpiam cum vera divinitate pugnans, ut Epicurei, qui creationem et providentiam negabant; politheistæ, qui unitatem; Spinoza et universim pantheistæ, qui Deum cum mundo identificant, ipsique talia tribuunt, quæ verum Deum e medio tollunt.

4.m Ergo Deus necessario est *summe potens;* quandoquidem, qui rerum universitatem produxit, summa potentia præditus sit, oportet.

5.m Ergo Deus est *independens* atque realiter *distinctus* a congerie rerum mundanarum: *independens* quidem, quia erat antequam mundum produceret: realiter *distinctus*, quia intelligens, ac proinde immate-

rialis, et simplex est substantia, cum e contra, mundus sit materialis et compositioni obnoxius.

6.m Ergo Deus est summe *sapiens;* mirabilis namque ordo et partium harmonia, quæ in mundo elucent, sapientiam summam in ejusdem artifice arguunt.

7.m Ergo Deus est *ens perfectissimum*, ac proinde summum, et *infinitum*; nam eo ipso quod est ens a se, necessarium, et improductum, nullam habere potest causam *limitationis*, ac proinde habet ex propria essentia omnes perfectiones possibiles.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Potest dari collectio entium, quæ sit necessaria et improducta, quamvis singula collectionis entia sint contingentia et producta: ergo ex eo quod sint entia contingentia et producta, immerito colligitur ens necessarium et improductum, a collectione rerum mundanarum distinctum, prout factum fuit in argumento metaphysico. Prob. ant. Non valet processus a sensu distributivo ad collectivum, sicut non valet hic: *tres, quatuor, quinque milites nequeunt oppugnare urbem: ergo neque exercitus:* sed in præfato argumento metaphysico, fit transitus a distributivo ad collectivum sensum: ergo.

Resp. Neg. ant. Illa enim collectio, vel est quid realiter distinctum ab entibus, ex quibus coalescit, vel non: si primum, illud erit ens necessarium et improductum, quod quærimus, ac consequenter verum erit dicere quod non omnia entia sunt contingentia et producta; si secundum, illa collectio sequetur sortem singulorum entium, cum quibus identificatur. Ad prob. dist. maj. Non valet etc. *in accidentalibus aut his quæ*

distributioni, quatenus distributio est, conveniunt, conc. *in essentialibus, aut his quæ a collectione et distributione abstrahunt*, neg. Jam vero, contingentia ac productum esse, sunt prædicata essentialia, simulque a quantitate et ejus modis prorsus independentia; quæ idcirco eadem ratione singulis entibus, ac ipsorum collectioni conveniunt, sicut quia esse *rationale* essentialiter homini convenit, hominum collectioni non secus ac singulis hominibus æque congruit. Unde allatum exemplum nihil ad rem facit, cum ibi agatur de prædicato accidentali. Præterquam quod, quamvis possimus dicere quod quinque milites non sufficiunt ad expugnandam urbem, non tamen verum erit dicere quod ducenta millia non sufficiunt: ast vero in argumento quod versamur, sicut vere dicimus quod quinque entia sunt contingentia, æque vere dicimus quod ducenta millia et omnia reliqua, si possibile nobis foret ea enumerare, sunt contingentia et producta. Apparet ergo etiam ex hac parte manifesta disparitas inter exemplum objectum, et demonstrationem metaphysicam a nobis propositam.

Objic. 2.° Athei. Rerum contingentium et productarum existentia, explicari potest per seriem infinitam producentium et productorum, ac proinde opus non est devenire ad ens necessarium aut improductum: ergo adductum argumentum metaphysicum vim veræ demonstrationis non obtinet.

Resp. Neg. ant. Et quidem absurdum prorsus esse infinitam illam seriem producentium et productorum, quæ ab Atheis fingitur, multipliciter ostenditur. Ac 1.° quidem ex repugnantia multitudinis actu infinitæ, quam in Cosmologia ostendimus.

2.° In Atheorum hac hypothesi, non una, sed multæ series infinitæ existent; tum quia homo hominem, et non plantam, nec lapidem producit, ac proiude admittere oportebit et seriem infinitam hominum, et seriem

infinitam plantarum etc. habebimusque idcirco seriem infinitam hominum, ac simul finitam; infinitam ut supponitur; et finitam, quia si ipsi addatur series plantarum vel animalium, major evadet: tum quia in serie infinita plantarum, e. g. numerus seu series foliorum, ipsarum plantarum seriem proculdubio excedet, ac proinde habebimus iterum seriem infinitam, alia similiter infinita majorem, quod profecto absurdum est.

3.° Etiam admissa absurda hypothesi seriei infinitæ producentium et productorum, cum singulæ seriei partes contingentes ab ipsis Atheis supponantur, necessario admittere oporteret ens necessarium et improductum. Sicut enim hoc et illud contingens, ex se insufficiens est ad existendum, ita similiter tota contingentium collectio, cum non adsit major ratio pro uno, quam pro altero, præsertim cum contingentia ad prædicata essentialia spectet. Sicut ergo ex infinitis entibus irrationalibus nequit oriri ens rationale, ita ex infinitis contingentibus nequit exurgere ens aliquod necessarium.

Inst. Non repugnat causarum series infinita *a parte post*, seu series causarum sine ultima: ergo nec sine prima.

Resp. Neg. cons. et par. Etenim series causarum sine ultima solum exigit aut involvit infinitatem potentialem, seu syncathegorematicam, quæ contradictionem nullam includit. Aliunde series infinita præcedens Atheorum supponitur independens ab ente aliquo necessario ac distincto ab ejusmodi causis; ast series causarum sine ultima, non excludit, sed potius exigit ac supponit ens necessarium, a quo dependeat et originem ducat.

Objic. 5.° Mirabilis ordo, qui in mundo elucet, sufficientem causam habet in viribus naturæ: ergo ex illo jus non adest inferendi existentiam Dei, præsertim cum ignoremus quousque naturæ vires se protendere possint.

Resp. Dist. ant. Sufficientem causam *immediatam* et *hypotheticam*, conc. *primam* et *absolutam*, neg. Verum quidem est naturæ vires immediate determinare ordinem qui in universo elucet, sed æque verum est naturam, non solum vires, quibus id efficit, sed ipsum esse accepisse a Deo supremo ejus conditore, qui proinde causa primaria et absoluta præfati ordinis existit. Cæterum, quamvis ignoremus quousque hujus naturæ vires se protendant, ut in cons. objicitur, bene tamen scimus vires hasce, ipsamque naturam, mutationi et contingentiæ esse obnoxias, proindeque ab ente necessario et improducto originem ducere.

Objic. 4.° Plura in mundo observamus, quæ in nullum finem ordinantur: ergo mundus non est opus entis sapientis ac intelligentis. Ant. const. ex pluviis e. g. quæ in desertis decidunt, ex muscis, serpentibus, quæ ad nihil, nisi forte ad hominis incommodum deserviunt, ex fulmine rupes diruente etc.

Resp. Dist. ant. In nullum finem *nobis cognitum*, conc. *mundi Conditori, et Gubernatori notum*, neg. Ex eo namque quod nos fines particulares quorundam entium et motuum ignoramus, legitime infertur nos in maxima versari ignorantia circa mundanarum rerum colligationem, relationem, ac vires; ast minime colligitur, res eas, quarum fines particulares ignoramus, revera ad finem nullum destinari, mundi Auctori et Provisori notum. Porro, quamvis fines particulares quarundam rerum nesciamus, noscimus tamen satis fines aliarum quamplurium, simulque ordinem, et harmonicam ac generalem colligationem partium mundi, ut ex ipsis tuto assurgere possimus ad existentiam Dei, summe sapientis et intelligentis.

Objic. 5.° Consensus hominum in agnoscenda Divinitate vim nullam obtinet demonstrativam pro Dei existentia: ergo. Prob. ant. Nam ejusmodi consensus non

est universalis, tum quia quolibet tempore extiterunt philosophi athei; tum quia ex testimonio historicorum et viatorum constat aliquos populos nullam Dei ideam habuisse.

Resp. Neg. ant. Ad prob. disting. Non est universalis *metaphysice*, aut *physice*, conc. *moraliter*, neg. Quamvis sustineri fortasse posset, nullum hominem sui compotem esse aut fuisse absque omni Divinitatis notitia, ac proinde consensum, de quo in argumento, esse universalem metaphysice, attamen ad vim demonstrationis ex consensu humani generis, non id exigitur, sed sufficit quod universum hominum genus in agnoscenda Divinitate consenserit universitate *morali*, quæ non excluditur per paucorum Atheorum, si qui sunt, dissensum, aut per ignorantiam quarundam tribuum in hebetudine et barbarie vitam agentium. Cæterum, quod attinet viatorum narrationes de re hac, præ oculis habeatur, plurimos populos, qui prius tanquam sine Divinitatis ulla notitia traducti fuerant a viatoribus, postea Divinitatem colere agnitum esse, ut contigit, inter alios, respectu Caraibarum, ac Brasiliensium.

Inst. Etiam dato præfatum consensum esse universalem, nihil adhuc ex eo pro Dei existentia inferre licet. ¿Quis enim nescit obtinuisse quandoque apud homines errores universales, ut negatio antipodarum, præsertim vero pluralitas Deorum?

Resp. Ejusmodi consensum non stipari his conditionibus et adjunctis, quæ comitantur consensum circa Dei existentiam. Nam quoad *antipodas*, is error: 1.° non fuit universalis, cum multi homines et populi, nec de re hac cogitarent, ac post progressum scientiarum evanuerit: 2.° parum, aut nihil ad hominum et populorum mores ac utilitatem conferebat, secus ac notitia Dei: 3.° facile detegi potest contrarium per rationem et experientiam. Quoad *pluralitatem* Deorum, similiter ne-

quit dici universalis, tum quia post Christum magna hominum pars hunc errorem prorsus rejicit, tum quia etiam ante Christum, et populus Hæbreorum, et maxima ac nobilior philosophorum pars, pluralitatem Deorum rejecit. Queis addere licet, rem istam ejus esse conditionis, quæ rectæ rationis examen subire nequeat; unde desunt ipsi omnes fere conditiones quibus vera ostenduntur, et redduntur hujusmodi judicia ex communi hominum sensu et consensu dimanantia.

CAPUT SECUNDUM.

DE ESSENTIA DEI.

ARTICULUS PRIMUS.

De ratione investigandi essentiam divinam.

Sicut Dei existentiam ex ejus effectibus colligimus, ita etiam ejusdem naturam, attributa et perfectiones, ex rebus ab eo creatis venari oportet. Ast vero summa perfectio entitatis divinæ, ac summa simul imperfectio et limitatio intellectus humani, efficiunt ut homo Dei essentiam nec immediate intueri, nec perfecte capere possit, sed imperfecte tantum.

Ad hanc porro imperfectam Dei notitiam, duplici via assurgit hominis intellectus, scilicet, *via remotionis, et via analogiæ*. Via *remotionis*, quatenus considerans Deum ut ens a se, atque prout omnes possibiles perfectiones essentialiter complectens, ab eodem remo-

vet quidquid imperfectionis aut limitationis in creatis observat: via *analogiæ*, quatenus perfectiones in creaturis existentes, Deo ipsarum primæ causæ, tribuere oportet; quidquid enim perfectionis in effectu existit, in ejusdem causa efficienti præexistat opus est. Hanc duplicem inquisitionis viam agnoscit D. Thomas, ac deprima quidem hæc, inter alia, scribit: «Est autem via remotionis utendum, præcipue in consideratione divinæ substantiæ. Nam divina substantia omnem formam (naturam vel essentiam) quam intellectus noster attingit sua immensitate excedit, et sic ipsam apprehendere non possumus cognoscendo quid sit, sed aliqualem ejus habemus notitiam, cognoscendo quid non est. Tanto enim ejus notitiæ magis appropinquamus, quanto plura per intellectum nostrum ab eo poterimus removere.» (1) Alteram viam adstruit, tum dum docet nomina perfectionem aliquam significantia, analogice de Deo et creaturis dici; tum dum docet creaturas Deo assimilari, «secundum aliqualem analogiam... et hoc modo illa quæ sunt a Deo, assimilantur ei, in quantum sunt entia, ut primo et universali principio totius esse;» (2) tum demum dum asserit, quod (3) «non possumus nominare Deum nisi ex creaturis: et sic quidquid dicitur de Deo et creaturis, dicitur secundum quod est aliquis ordo creaturæ ad Deum, ut ad principium et causam, in qua præexistunt excellenter omnes rerum perfectiones.» (4).

---

(1) *Sum. cont. Gent.* lib. 1.° cap. 14.

(2) *Sum. Theol.* P. 1.ª, q. 2.ª, art. 3.°

(3) *Ibid.* q. 13.ª, art. 5.°

(4) Nihilominus qui D. Thomæ opera evolvet, notabit eum solam *remotionis* viam sæpissime memorare, idque non raro quasi per exclusionem, ut dum scribit in proemio quæst. 3.æ *Sum. Theol.* «Quia de Deo scire non possumus quid sit, sed quid non sit, non possumus considerare de Deo, quo modo sit, sed potius quomodo non sit.» Id tamen idcirco a D. Thoma effectum arbitror, quia sciebat viam analogiæ in

Atque ex hucusque expositis infertur, nos Dei essentiam non posse unico conceptu concipere; id enim nec infinita ejus perfectio ac entitas, nec humanæ mentis imperfectio patiuntur. Unde cogimur ejus simplicissimam essentiam sub distinctis ac veluti partialibus conceptibus nobis repræsentare. Porro perfectiones eas divinas, quas sub præfatis conceptibus distinctis nobis repræsentamus, *attributa* Dei nuncupantur; quæ quidem, quia distinctis conceptibus in nobis respondent, ita ut unus eorum alium explicite non contineat, ut *æternitatis* conceptus conceptum *sapientiæ* non includit, distinctioni rationis subsunt, tam inter se invicem, quam respectu essentiæ. Quæ quidem distinctio, reale fundamentum habet in ipso Deo, summam, nempe, plenitudinem divinæ essentiæ, quæ una et simplex in se manens, infinitis realitatibus vel perfectionibus æquivalet. Itaque, præfatæ distinctioni rationis duplex fundamentum assignari potest: 1.° Summam perfectionem divinæ essentiæ: 2.° limitationem nostri intellectus, seu ejus virium. Hinc merito D. Thomas: « Quod autem Deus excedit intellectum nostrum, est ex parte ipsius Dei propter plenitudinem perfectionis ejus, et ex parte intellectus nostri qui deficienter se habet ad eam comprehendendam; unde patet quod pluralitas istarum rationum, (conceptuum quibus divinas perfectiones sigillatim percipimus ac nobis repræsentamus) non tantum est ex parte intellectus nostri, sed ex parte ipsius Dei, in quantum sua perfectio superat unamquamque conceptionem nostri intellectus.» (1)

Jam ergo, essentia Dei potest spectari, vel *physice*, vel *metaphysice*.

---

viam remotionis tandem resolvi; siquidem, cum ex analogia dicimus Deum libertate præditum, non eam libertatem, quæ creaturæ inest, sed *aliam* eminentiorem, quæ non inest creaturæ, ipsi tribuimus.

(1) *Sent.* lib. 1.°, q. 1.ª, art. 2.°

Essentia Dei *physica* est complexus seu congeries perfectionum cunctarum, quæ in divino esse continentur, ac cum Deo identificantur.

Metaphysice vero spectata, est illa perfectio, quæ tanquam primaria inter reliquas concipitur, ac veluti ratio, et radix attributorum.

Ex quibus liquet, physicam Dei essentiam ignotam esse nobis, qui non *omnes*, seu complexum *omnium* perfectionum Dei, sed aliquas duntaxat cognoscimus. Unde de essentia tantum metaphysica accipiendus est subjectus.

ARTICULUS SECUNDUS.

In quo posita sit essentia Dei.

THESIS.

Dei essentia metaphysice spectata constituitur per esse a se.

Prob. *Esse a se*, seu *aseitas* omnimoda est: 1.° id quod tanquam *primum* et *præcipuum* in Deo concipitur: 2.° primum distinctivum Dei ab aliis: 3.° *primaria radix* attributorum Dei: ergo constituit metaphysice essentiam Dei; hæc quippe est propria notio essentiæ metaphysice spectatæ. Ant. quoad primam partem constat: 1.° quia quæcunque alia perfectio seu prædicata de Deo proferantur, puta, quod sit *sapiens*, *æternus*, *infinitus*, ea concipi nequeunt tanquam vere divina sine *aseitate*, seu omnimoda independentia ab alio: 2.° quia nullum aliud prædicatum potest assignari, ex quo *esse a se* profluere concipiatur. Quoad secundam; quia per *esse a se* Deus

primo atque immediate, et discernitur a creaturis, quæ sunt ab alio tanquam a causa; et concipitur ut potens ex se profundere vel potius continere in se perfectiones reliquas seu attributa divina: nam, ut profunde habet D. Thomas, «ex hoc quod Deus est ipsum esse per se subsistens, oportet quod totam perfectionem essendi (ac proinde omnes perfectiones possibiles) in se contineat.» Quoad tertiam; quia ex hoc quod Deus est *ens a se et per se*, sequitur quod nullam habeat causam limitationis, atque exinde quod necessario in se habeat cunctas perfectiones possibiles, quæ sunt ipsa divina attributa: ergo hæc omnia profluere concipiuntur ab *aseitate* tanquam a prima radice.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Essentia constitui nequit per id quod est tantum modus essendi ipsius, modus enim essendi præsupponit essentiæ constitutionem; sed esse a se dicit solum modum essendi: ergo. Prob. min. Esse ab alio in creaturis, non ipsam essentiam, sed modum essendi dicit: ergo a pari.

Resp. Nego minor. Esse enim a se respectu Dei, non modum essendi, sed essentiam ipsam significat; quandoquidem idem est ac dicere Deum esse *ens existens per suam ipsam essentiam*, vel ut habet D. Thomas, «*ipsum esse subsistens*,» quod quidem non merum essendi modum, sed essentiam cum modo exprimit. Ad prob. distin. Est modus essendi *respectu creaturæ*, *qua creaturæ*, neg. sic enim est ipsi essentiale; *respectu hujus naturæ particularis in se spectatæ*, trans. In creatura enim, cujus essentia est veluti quædam entis participatio, potest considerari significarique, et ipsa essentia participata, et modus re-

cipiendi; sed in Deo, cujus essentia, inquit D. Thomas, est ipsum esse subsistens, id locum non habet.

Objic. 2.° Perfectior est gradus intelligendi, quam gradus essendi: ergo per illum constituitur essentia Dei, essentia namque divina per gradum perfectissimum essendi constitui debet.

Resp. Dist. ant. Quam gradus essendi *præcise sumptus*, conc. quam gradus essendi *a se*, neg. Quamvis *intelligere* sit nobilius *esse*, si comparentur secundum se et cum abstractione a modo essendi, est tamen imperfectius eo quod est *esse a se*, quia in hoc continentur omnes perfectiones possibiles, inter quas connumeratur ipsum intelligere.

Objic. 3.° Esse a se non est prædicatum positivum, cum significet *negationem* dependentiæ: ergo constituere nequit essentiam Dei.

Resp. Dist. ant. Non est prædicatum positivum *quoad vocem*, trans. *quoad rem significatam*, neg. Eo ipso quod *negationem* dependentiæ significat, est quid re positivum; quia dependentia limitationem ac proinde negationem includit.

CAPUT TERTIUM.

DE ATTRIBUTIS DEI ABSOLUTIS.

Non omnia Dei attributa, sive absoluta, sive relativa perpendere est in animo, sed præcipua tantum, cave circa quæ vel errores, vel dificultas aliqua occurrunt,

ARTICULUS PRIMUS.

De unitate et simplicitate Dei.

Prænotanda:

1.° Ex hucusque expositis circa Dei existentiam et naturam, vel jam patet, vel facile colligitur, Deum esse: 1.° *ens necessarium*, utpote a se et independenter a quovis alio existens: 2.° *ens summe perfectum*, utpote omnes perfectiones possibiles complectens, ac exinde: 3.° *infinitum*, cum infinitæ sint perfectiones possibiles.

2.° Unum dupliciter potest accipi, scilicet, *affirmative*, quatenus significat rem indivisam in se et divisam a qualibet alia; ac *negative*, seu *exclusive*, quatenus significat ens cui repugnat multiplicari numero, excludensque existentiam alterius sibi æqualis. De unitate posteriori sensu accepta quæritur, dum de Dei unitate quæritur: hæc posset dici *unicitas* ad tollendam equivocationem.

3.° Dei unitatem inficiantur aut inficiati sunt, tum Polytheistæ, qui Deorum pluralitatem adstruebant, (1) tum etiam Dualistæ, quos inter eminent Manichæi, duo

(1) Polytheismus diversas induit formas, quarum præcipuæ sunt: 1.° *Demonolatria*, seu cultus demonum et malorum geniorum: 2.° *Anthropolatria*, seu cultus hominum heroumve, quibus magna facinora, partim vera, partim ficta gentiles tribuebant: 3.° *Sabæismus*, seu astrorum cultus: 4.° *Zoolatria*, vel cultus animalium: 5.° *Fetichismus*, sive cultus rerum vita aut sensu carentium, ut maris, rupium, nemorum, fluviorum: 6.° *Idololatria*, stricte sumpta pro cultu imaginum et statuarum, quibus divinitatem insidere vulgus existimabat quandoque.

suprema principia, alterum boni, alterum mali, statuentes. (1) Adversus quos sit,

THESIS.

Deus necessario unus seu unicus existit.

Prob. 1.° Deus est ens infinite perfectum, ut patet ex dictis, imo hæc est notio, quam omnes de Deo habent: ergo unicus necessario existit. Prob. cons. Si Deus est ens infinite perfectum, etiam est ens quo majus cogitari nequit; nam si ens aliquod eo majus aut melius posset cogitari, jam non esset infinite, sed finite perfectum: sed si Deus haberet alium Deum sibi æqualem, jam non esset ens quo majus cogitari non potest; siquidem cogitari posset Deus, qui nullum haberet parem vel æqualem, sed esset super omnia, eis supereminendo: ergo si Deus est ens infinite perfectum, et quo majus, aut melius nequit cogitari, necessario est unicus.

2.° Confirm. et ampliatur hæc ratio. Si duo sunt Dii, vel unus eorum dependet ab alio, vel non: si primum, ille qui dependet jam non erit ens independens, nec necessarium, nec summe perfectum, ac proinde nec verus Deus. Si secundum, neutrum eorum erit verus Deus; tum quia uterque habet extra se ens aliquod, quod ipsi non subjicitur; tum quia cogitari potest ens aliud utroque perfectius, quod ipsis superemineat et dominetur: ergo neutrum eorum veram infinitatem obtinet, nec

(1) *Dualismus* non unicam præsefert formam. Nam 1.° quidam Dualismum conficiebant ex duobus principiis, quorum alter esset summe bonum, et alter summe malum, ut Manichæi: 2.° alii ex supositione horum duorum principiorum, ita tamen ut principium malum a bono creatum esset: 3.° alii dualismum conficiebant ex materia *æterna*, et ex Deo ejus ordinatore.

possidet omnes perfectiones possibiles, nec proinde est verus Deus.

Prob. 3.° Si essent plures Dii, vel differrent inter se essentialiter, vel accidentaliter, vel solo numero; pluralitas enim concipi nequit absque aliqua ratione differendi: ergo nequeunt esse summe perfecti, neque proinde veri Dii; sive enim essentialiter, sive accidentaliter, sive solo numero discriminentur, unus eorum non habebit omne id quod est in alio, nec omnem proinde possibilem entitatem. Ad rem D. Thomas: «Si igitur sint plures Dii, oportet esse plura hujusmodi perfecta; (summa, scilicet, perfectione) hoc autem est impossibile; nam si nulli eorum deest aliqua perfectio, nec aliqua imperfectio ei admiscetur, quod requiritur ad hoc quod aliquid sit simpliciter (absolute vel summe) perfectum, non erit in quo ab invicem distinguantur. Impossibile est igitur plures Deos ponere.» (1)

Quod attinet ad *simplicitatem* omnimodam, eam et maximam in Deo oportet agnoscere: compositio etenim, cui simplicitas opponitur, potentialitatem, ac proinde imperfectionem involvit; nam in composito, una pars est *in potentia* respectu alterius. Deinde, compositio quævis pugnat cum ratione *primi entis* quæ cum Deo identificatur; quia, ut arguit D. Thomas, «omne compositum posterius est suis componentibus: primum ergo ens quod Deus est, ex nullis compositum est.» (2)

Ergo Deus non solum excludit compositionem *physicam*, hoc est, ex partibus realiter distinctis, ut compositionem ex materia et forma, compositionem ex partibus integralibus, compositionem ex substantia et accidente, sed compositionem *metaphysicam* quoque, sive

---

(1) *Sum. cont. Gent.* lib. 1.° cap. 42.
(2) *Ibid.* lib. 1.° cap. 18.

ex genere et diferentia, sive ex supposito et natura, sive ex essentia et esse; Deus enim est ipsum esse purum, ac proinde simplicissimum, cui exinde quævis additio vel compositio penitus repugnat. Præclarissime igitur D. Thomas: «Hoc enim esse quod Deus est, hujus conditionis est, ut nulla sibi additio fieri possit: unde per ipsam suam puritatem est esse distinctum ab omni re.» (1)

Corollarium.

Ergo Deus est actus purus nihil potentiæ, vel possibilitatis habens admixtum. Ex quo ulterius consequitur, actionem sive operationem in Deo identificari cum ejusdem substantia.

ARTICULUS SECUNDUS.

De immutabilitate ac æternitate Dei.

THESIS 1.ª

Deus est omnino immutabilis.

Hæc thesis sequitur ex dictis de simplicitate Dei; siquidem omnis mutabilitas potentialitatem involvit: si ergo Deus, utpote simplicissimus, excludit quamcunque potentialitatem, excludit similiter quamvis mutabilitatem.

Attamen,

Prob. 1.° thesis. Quævis mutatio aut mutabilitas in Deo concipiatur, vel erit in pejus, vel in melius, vel

(1) *De Ent. et Essen.* cap. 6.°

in æquale; sed nulla harum trium mutationum locum in Deo habere potest: ergo. Prob. min. Nequit mutari *in melius;* quia utpote ens infinitum ac necessarium, possibiles omnes perfectiones habet: nequit mutari *in pejus;* quia desineret esse Deus; Deus enim vel non est Deus, vel est ens perfectissimum et nulla ratione deficiens: nequit mutari *in æquale;* quia quidquid Deus habet, essentialiter ac proinde immutabiliter habet; Deus enim ex eo ipso quod est ens a se, absolute necessarium, ac ipsum esse subsistens, quidquid habet ex essentiæ necessitate habet.

Prob. 2.° Mutatio quæ in Deo conciperetur, vel esset ex parte existentiæ, vel ex parte perfectionum, vel ex parte operationum. Non primum; quia in Deo existentia est ipsamet essentia, ac proinde immutabilis ut ista. Non alterum; tum quia id est contra rationem entis perfectissimi, et necessarii; tum quia repugnat simplicitati divinæ. Non tertium; quia operationes Dei: 1.° æternitate mensurantur, ac proinde successionem, quæ mutationi inest, rejiciunt: 2.° reguntur Dei intellectu et sapientia infinita, quæ novis agendi rationibus prius incognitis non subjicitur, sicut subjicitur in nobis.

Cum immutabilitate Dei necessarium ac intimum nexum habet ejusdem *æternitas;* quod quidem nomen quadruplici sensu potest accipi: 1.° *latissime*, pro duratione longissima alicujus rei: 2.° *late*, pro duratione rei, quæ initium habens, fine tamen caret: 3.° *stricte*, pro duratione rei tam principio quam fine carentis, abstrahendo tamen ab ejus omnimoda immutabilitate et necessitate, ut si supponatur aliquod ens ab æterno creatum: 4.° *strictissime*, pro duratione rei omnino immutabilis, ac a se, et ex se necessario existentis.

Æternitas *strictissime* accepta, recte a Boetio definitur: *Interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio.* Dicitur *perfecta possessio*, quia æternitas indivisibilis in

seipsa manens, continet tamen eminenter quidquid durationis est in tempore, vel aliis durationum speciebus. Additur: *interminabilis vitæ*, quia res æternitate mensurata, principio et fine caret, simulque actu semper operatur et vivit. Dicitur *tota simul*, quia est duratio omnem successionem atque mutabilitatem excludens.

Nos continuæ successioni ac quotidianis assuefacti mutationibus, non absque magna vi et difficultate, ad veram æternitatis ideam assurgimus; quippe imaginatio nos sensim abripit ad æternitatem cum tempore conferendam, quasi ex temporis idea, ideam æternitatis elicituri. Qui ergo errandi periculum in re hac velit vitare, præ oculis hæc habeat: 1.° Æternitas est quid infinitum, cum sit duratio entis absolute infiniti. 2.° Est etiam quid simultaneum, et actu semper præsens, cum sit duratio rei immobilis, seu prorsus immutabilis: tempus vero, et est quid finitum, et est quid essentialiter successivum. 3.° Hinc æternitas, una ac indivisibilis in se manens, continet et superat integram durationem temporis absque eo quod temporis successionem, seu prius et posterius, habeat seu participet. Quodque magis est, æternitas, utpote indivisibilis, tota præsens est cuilibet parti temporis, quin idcirco desinat tota simul esse præsens reliquis temporis partibus.

THESIS 2.ª

Deus est æternus æternitate, sive stricte, sive strictissime sumpta.

Quoad æternitatem stricte sumptam, constat ex eo quod Deus sit ens necessarium et improductum, ac exinde sine principio et fine.

Quoad æternitatem strictissime acceptam, prob.

1.° Æternitas strictissime nihil est aliud quam duratio entis nulli mutabilitati subjecti; sed Deus est omnino immutabilis, ex præcedenti thesi: ergo.

2.° Deo, utpote enti perfectissimo, tribuere oportet durationem inter possibiles perfectissimam; sed perfectissima inter durationis species est æternitas strictissime sumpta: ergo. Min. constat, quia ejusmodi æternitas in primis est infinita, utpote duratio entis infiniti: deinde, successionem excludit; secus enim Deus non habuisset ab initio omnem perfectionem, cum successio essentialiter includat adventum unius post aliud.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° cont. 1.am thes. Deus mutabilitati subjicitur quoad perfectiones: ergo. Prob. ant. Creatio est aliqua perfectio; sed Deus mutationi subest ratione creationis, cum fiat de non creante creans: ergo.

Resp. Neg. ant. Ad prob. disting. min. Deus fit de non creante creans *ex parte ipsius actionis creativæ*, neg. *ex parte termini hujus actionis*, conc. Creatio, si spectetur quatenus actio Dei, identificatur cum ipsius omnipotentia, voluntate, et substantia; ac exinde dici nequit quod Deus fiat de non creante creans, sicut dici nequit quod fiat de non omnipotente omnipotens. Atque sub hoc tantum respectu verum est quod creatio sit Dei perfectio; secus vero si spectetur *terminative*, vel quatenus ex ea et per eam res incipiunt existere; quoniam ex hoc nulla nova perfectio accrescit Deo, qui æque infinitus ac perfectus esset quamvis nihil unquam creasset aut crearet.

Inst. Si creativa actio cum Dei omnipotentia et substantia identificatur, semperque in Deo existit, Deus

denominatur creator ab æterno; sed hanc denominationem solum in tempore recepit post mundi creationem: ergo.

Resp. Neg. maj. Denominatio namque Creatoris pertinet ad eas quæ *relativæ accidentaliter* dicuntur, quæ non exurgunt nisi dum præter formam absolutam, quæ est veluti denominationis fundamentum, ponitur quoque terminus. Quamvis enim ab æterno existant in Deo omnipotentia seu actio, quæ sunt veluti fundamentum præfatæ denominationis, hæc tamen non exurgit, donec terminus actionis, seu creatura ponatur.

Objic. 2.° ac simul inst. Deus libere mundum creavit; sed actus liber repugnat immutabilitati absolutæ: ergo. Prob. min. Actus liber essentialiter est contingens ac indifferens ad utrumlibet; sed contingentia et indifferentia potentialitatem, ac proinde mutabilitatem involvunt: ergo.

Resp. Neg. min. Ad probat. disting. maj. Essentialiter est contingens ac indifferens ad utrumlibet *quoad terminum actus liberi*, conc. *quoad ipsum actum*, subd. *in creaturis*, conc. *in Deo*, neg. In creaturis, in quibus operatio a natura vel substantia operante realiter distinguitur, contingentia et indifferentia actus liberi complectitur, et terminum actus, et ipsum actum liberum, qui potest poni vel non poni, salva rei natura et substantia; ast in Deo, in quo operatio et substantia identificantur, contingentia et indifferentia solum respiciunt terminum actus. Itaque in Deo actus liber non est aliud ab actu necessario quoad entitatem, eatenusque dicitur liber, quatenus *potest* terminari ad hanc vel illam rem, hoc vel illo modo; atque hoc sensu indifferentiam ad utrumlibet sibi vendicat, ut ad creandum vel non creandum, ad creandum hunc mundum vel alium.

Eadem distinctio potest aliis verbis exprimi: Actus liber essentialiter est contingens, id est, *habet objectum*

contingens, conc. *semper quoad entitatem vel existentiam actus*, neg.

Objic. 3.° cont. 2.am thes. Æternitas est vera durationis species; sed duratio essentialiter includit plura instantia: ergo.

Resp. Dist. min. *Formaliter semper*, neg. *virtualiter, vel potius eminenter*, conc. Duratio quævis respondet naturæ rei durantis. Æternitas igitur, quæ est duratio entis indivisibilis et immutabilis, necessario et ipsa est indivisibilis, ac exinde *simultanea:* quacum pugnant instantia formalia seu successiva, solumque dici potest eam continere plura instantia, quatenus temporis instantia indivisibili ratione continet, et superat.

SCHOLIUM.

De immensitate ac invisibilitate Dei agendum hic esset, nisi brevitatis studium ea theologis relinquere nos cogeret. Pro ipsorum tamen, cæterorumque attributorum Dei intelligentia, hæc duo præ oculis habeantur.

1.° Inter perfectiones eas quæ per remotionem et analogiam ex creaturis Deo tribuimus, quædam sunt, quarum formalis et explicitus conceptus nihil imperfectionis includit, quamvis prout sunt in rebus creatis, imperfectioni sint obnoxiæ, ut bonitas, intelligentia, simplicitas etc. quæ idcirco, *perfectiones simpliciter simplices*, nuncupari solent. Sunt vero aliæ, quarum formalis conceptus admixtam aliquam imperfectionem redolet, sicut ratiocinandi vis, extensio, motus etc. quæ idcirco *perfectiones secundum quid simplices* audiunt. Atque ex hoc discrimine profluit, quod perfectiones pri-

mi generis, Deo *formaliter* inesse dicantur; perfectiones vero *simplices secundum quid*, non formaliter seu secundum propriam rationem, sed *eminenter* tantum in Deo reperiantur; quatenus, scilicet, esse divinum continet quidquid entitatis ac perfectionis est in illis, exclusa ipsarum imperfectione.

2.° Inter divina attributa, quædam sunt quorum conceptus infinitatem involvit, ut omnipotentia, esse a se, esse ens necessarium, actus purus etc. quæ idcirco a creaturis minime participantur, sed illa tantum attributa, quæ infinitatem non implicant, ut ratio substantiæ, sapientiæ, libertatis, cætera hujusmodi.

ARTICULUS TERTIUS.

De intellectu et voluntate Dei.

Deum intelligentia esse præditum, satis superque colligitur ex hucusque disputatis, ac præsertim 1.° ex eo quod in Deo perfectiones creaturarum potiori jure et gradu, necessario reperiuntur; intelligere vero potissima existit perfectio inter creatas: 2.° quia ex mirabili ordine, qui in mundo elucet, aperte satis apparet summa sapientia mundi Institutoris. Quam utramque rationem paucis, pro more, sic exponit D. Thomas: «Deo nulla perfectio deest, quæ in aliquo genere entium inveniatur. Inter perfectiones autem rerum, potissima est quod aliquid sit intellectivum... Deus igitur est intelligens. Item... Naturalia (entia quæ cognitione carent) tendunt in fines determinatos... Cum ergo ipsa non præstituant sibi finem, quia rationem finis non cognoscunt, oportet quod eis præstituatur finis ab alio

qui sit naturæ institutor. Hic autem est qui præbet omnibus esse, et est per se ipsum esse, quem Deum dicimus. Non autem posset naturæ finem præstituere, nisi intelligeret. Deus igitur est intelligens.» (1)

Porro cum Deus sit, et simplicissimus, et actus purus omnis materiæ et potentialitatis expers, consequitur: 1.° idem esse in ipso intelligere, et esse: 2.° Deum, et summa intelligentia, et summa intelligibilitate gaudere: summa quidem intelligentia, quia «cum Deus sit in summo immaterialitatis, ait D. Thomas, (2) sequitur quod ipse sit in summo cognitionis;» summa vero intelligibilitate, tum quia est in summo actualitatis quæ est radix intelligibilitatis, sicut immaterialitas est radix intelligentiæ; tum quia, ut scite habet D. Thomas, (3) «esse naturale Dei et esse intelligibile, unum et idem sunt, cum esse suum sit suum intelligere:» 3.° Deum seipsum et alia cognoscere immediate per ipsam suam essentiam, ita ut hæc fungatur munere speciei intelligibilis universalis. Siquidem, ut præclare habet D. Thomas, (4)» species intelligibilis in intellectu præter essentiam ejus existens, esse accidentale habet, ratione cujus (propter quod) scientia nostra inter accidentia computatur: in Deo autem non potest esse aliquid accidens, ut supra ostensum est. Igitur non est in intellectu ejus aliqua species (intelligibilis vel idea) præter ipsam divinam essentiam:» 4.° In Deo identificari intelligentiam, et objectum intellectum, et speciem intelligibilem. Cum enim «Deus nihil potentiale habeat, sed sit actus purus, oportet quod in

---

(1) *Sum. cont. Gent.* lib. 1.°, cap. 44.
(2) *Sum. Theol.* 1.ª P., q. 14, art. 1.°
(3) *Sum. cont. Gent.* lib. 1.°, cap. 47.
(4) *Ibid.*, cap. 46.

eo intellectus, (intelligentia) et intellectum (res intellecta) sint idem omnibus modis, ita, scilicet, ut neque careat specie intelligibili, neque species intelligibilis sit aliud a substantia intellectus divini... sed ipsa species intelligibilis est ipse intellectus divinus; et sic seipsum per seipsum intelligit.» (1)

Itaque, primum, perfectissimum, et adæquatum objectum cognitionis in Deo, est ipsa Dei essentia, quam adæquate comprehendit; quia ejus intelligentia, utpote infinita et identificata cum esse divino, respondet hujus infinitati atque summæ intelligibilitati. Imo etiam, in ea et per eam Deus omnia alia objecta videt; nam «essentia divina, ait D. Thomas, in quantum est absolute perfecta, potest accipi ut propria ratio singulorum; unde per eam Deus propriam cognitionem de omnibus habere potest.» (2) Atque ex hucusque expositis subjecta profluunt

Corollaria:

1.m Ergo cognitio seu *scientia* divina unico et simplicissimo actu continetur, quo et seipsum, et alia a se distincta, principia et conclusiones, necessaria et contingentia, omnia tandem objecta cujusvis generis, simplici æque ac perfecta cognitione cognoscit. Quod tamen nihil obstat quominus Dei cognitio, simplex in se permanens, eminenter contineat perfectiones actuum et habituum multiplicium, quibus hominis intellectus pro objectis cognoscendis informatur (3).

---

(1) *Sum. Theol.* P. 1.ª, q. 14, art. 2.º

(2) *Sum. cont. Gent.* lib. 1.º, cap. 54.

(3) Quam rem peregregie exponit D. Thomas his verbis: «Homo secundum diversa cognita, (objecta) habet diversas cognitiones; nam secundum quod cognoscit principia, dicitur habere intelligentiam; scientiam vero, secundum quod cognoscit conclusiones; sapientiam, secundum quod cognoscit causam altissimam; consilium vel pruden-

2.m *Ergo Deus in sua essentia et per suam essentiam cognoscit res omnes possibiles.* Siquidem, res eatenus dicitur possibilis, quatenus habere potest rationem entis; nihil enim est impossibile, nisi ens, et non ens simul. Cum ergo in divina essentia, utpote infinita, contineatur et repræsentetur quidquid potest habere rationem entis, Deus cognoscendo propriam essentiam, cognoscit in ea omnia entia absolute possibilia, quæ nihil sunt aliud, quam modi quibus divina essentia imitari ac participari potest.

3.m *Ergo Deus cognoscit omnia entia finita, sive præterita, sive præsentia, sive futura.* «Effectus enim cognitio sufficienter habetur per cognitionem suæ causæ; unde scire dicimus unumquodque, cum causam ejus cognoscimus. Ipse autem Deus est per essentiam suam causa essendi aliis. Cum igitur suam essentiam plenissime cognoscat, oportet ponere quod etiam alia cognoscit.» (1)

4.m Ergo duplex scientia in Deo potest per rationem distingui; prima, qua Deus seipsum, pure possibilia, et ea quæ absolute sunt necessaria, cognoscit; quæ idcirco præcedere concipitur libera decreta voluntatis divinæ: dicitur scientia *necessaria* seu *simplicis intelligentiæ*. Altera, ea est qua Deus cognoscit res quatenus ad actualem existentiam perductas, vel perducendas; quæ idcirco pendet ac posterior concipitur divinis decretis, ex qui-

---

tiam, secundum quod cognoscit agibilia; sed hæc omnia Deus una et simplici cognitione cognoscit. Unde simplex Dei cognitio omnibus istis nominibus nominari potest; ita tamen quod ab unoquoque eorum, secundum quod in divinam prædicationem venit, secludatur quidquid imperfectionis est, et retineatur quidquid perfectionis est.» *Sum. Theol.* 1.ª P. q. 14, art. 1.°, ad 2.m

(1) *Sum. cont. Gent.* Lib. 1.° c. 49.

bus Deus libere vult ejusmodi entia existere: dicitur *libera* seu *scientia visionis*. (1)

5.m Ergo Deus cuncta quæ in tempore eveniunt prænoscit, vel potius noscit, (2) etiam ipsa contingentia et libera, quin idcirco hominis libertas lædatur. Sed quoniam hominis ratio non ita facile id sibi persuadet, (3) quidpiam in re hac oportet immorari.

THESIS.

Futura contingentia et libera Deus certo novit; hæc tamen scientia seu præscientia, nec rerum contingentiam, nec hominis libertatem tollit.

Prob. 1.° pars. Si futurum aliquod Deus ab æterno

---

(1) Atque hujusmodi partitio divinæ scientiæ obtinuit in Scholis, donec sæculo 16. labente, Molina S. J. theologus, opus, cui titulus: *Liberi arbitrii cum gratiæ donis, divina præscientia, providentia, prædestinatione, et reprobatione concordia,* evulgavit, atque scientiam, quæ *media* appellatur, invexit. Est autem hæc ex ipso Molina, scientia qua Deus, «ex altissima et inscrutabili comprehensione cujusque liberi arbitrii, in sua essentia intuitus est quid pro sua innata libertate, si in hoc, vel illo, vel etiam infinitis rerum ordinibus collocaretur, acturum esset, cum tamen posset, si vellet, reipsa facere oppositum.» *Op. cit.*, q. 14, art. 13.

(2) *Noscit*, inquam, potius; quia revera, cum Deus omnia videat in æternitate, quæ indivisibilis ac simultanea existit, nihil est Deo futurum sed præsens; ac proinde quoad ea quæ nos futura dicimus, Deus scientiam potius quam præscientiam sibi vendicat.

(3) Profecto, Cicero, ut alios mittamus, Dei præscientiam cum libertate hominis conciliare nescivit; unde ut istam in tuto collocaret, præscientiam inficiatus est, scribens: «Nihil est tam contrarium rationi et constantiæ, quam fortuna, ut mihi, ne in Deum quidem videatur, ut sciat quid casu, et fortuito futurum sit. Si enim scit, certe illud eveniet; si certe eveniet, nulla fortuna est; est autem fortuna: rerum igitur fortuitarum nulla est præsensio.» *De Div.*, lib. 2.°, cap. 7.°

De quo proinde merito ajebat D. Augustinus: «Negavit præscientiam futurorum; atque ita dum vult homines facere liberos, fecit sacrilegos.» *De Civit. Dei*, lib. 5.°, cap. 9.

non prænovisset, Dei scientia augeretur atque perficeretur, dum futurum illud incipit esse, ac exinde incipere a Deo cognosci; atqui naturæ divinæ, utpote perfectissimæ, immutabili ac infinitæ, repugnat fieri accessionem alicujus novæ perfectionis seu cognitionis: ergo.

Prob. 2.ª pars. Qui res præteritas vel præsentes mente considerat, nullam necessitatem eisdem imponit, sed easdem in propria natura relinquit; atqui Deus in sua indivisibili et simultanea æternitate res futuras videt et contemplatur uno et eodem simplicissimo actu, quo videt et contemplatur res nobis præteritas, et præsentes: ergo sicut postremis hisce nulla imponitur necessitas ex Dei visione et contemplatione, ita nec illis quæ apud nos sunt futuræ.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Necessitas opponitur libertati, sed id quod Deus præscit, necessario evenit: ergo.

Resp. Dist. min. Necessario evenit, *necessitate absoluta*, neg. *hypothetica* et *consequentiæ*, conc. Necessitas absoluta in eo sita est, quod res ita sit ut aliter esse nequeat: hypothetica vero, quæ etiam *consequentiæ* et *conditionata* dici solet, rebus eis congruit quæ ita sunt, ut non repugnet non esse, vel aliter esse, quæ proinde rerum contingentiam, aut libertatem minime tollit. Sic, ex hypothesi quod Deus voluerit hunc mundum creare, *necessarium* est hunc mundum existere, quin tamen hæc necessitas, aut mundi contingentiam, aut Dei libertatem evertat, cum Deus *absolute* potuerit hunc mundum non creare.

Objic. 2.° ac simul inst. Hæc propositio: *Si Deus præ-*

scivit hoc futurum esse, hoc erit, est vera absolute: ergo Dei præscientia absolutam necessitatem præ se fert. Prob. cons. In propositione conditionali, si antecedens est necessarium, etiam consequens est necessarium; sed antecedens præfatæ propositionis, est absolute necessarium, Deus enim ex necessitate absoluta scit aliquid futurum: ergo etiam consequens, ac proinde existentia futuri absolute erit necessaria.

Resp. Neg. cons. Ad prob. disting. maj. Etiam consequens est necessarium *in sensu composito*, conc. *in sensu diviso*, neg. Sensus compositus in præsenti materia tunc habetur, quando res quæ contingens et futura dicitur, cum divina præscientia simul componitur vel jungitur; quo sensu res a Deo præscita non potest non existere, cum Dei scientia falli non possit. At sensus divisus est, quando res contingens et fortuita, in se ipsa absolute spectatur; quo sane sensu res, eo ipso quod est contingens et fortuita, potest evenire, vel non evenire. Ex quo jam satis perspicue infertur, quod id quod est impossibile tantum in sensu composito, impossibile solum est hypothetica impossibilitate, quæ contingentiæ et libertati non repugnat. Sicut enim in hac propositione: *Si Petrus loquitur, non potest tacere*, consequens est necessarium in *sensu composito*, quia nequit componere silentium cum locutione; et tamen nec Petri locutio, nec silentii absentia sunt necessariæ absolute, sed ex hypothesi tantum; non absimili ratione in conditionali objecta, quamvis consequens sit verum et necessarium in sensu composito antecedentis, nullam absolutam necessitatem involvit, quia nec ipsum antecedens est necessarium hoc modo, cum Deus potuerit scire hoc futurum tanquam non futurum, si, nempe, decrevisset ipsum non producere. Verbo: si aliquid ut futurum præscitur a Deo, necessario illud erit *quatenus præscitum* a Deo, cujus scientia semper verum attingit; at non erit necessario *quatenus in se a parte rei*

seu in propria natura spectatur, quæ non immutatur ex Dei præscientia; hæc quippe rem præscitam relinquit in propria natura, sive hæc sit necessaria, sive contingens, sive libera (1).

Objic. 3.° Ex præscientia Dei circa contingentia et libera, de medio tolluntur consilia et cura hominum de agendis; quandoquidem si Deus præscivit aliquid futurum, illud erit, sive humana consilia adhibeantur, vel secus: ergo.

Resp. Disting. ant. *Si Deus simul non præsciret consilia, et curas hominum*, tr. *secus*, neg. Etenim, Deus dum præscit, et sicut præscit aliquid futurum, simul præscit, et ita etiam præscit, consilia, curas, media, ex quibus et per quæ illa res erit futura: sic dum præscit messem tali tempore colligendam a Petro, simul præscit ipsius labores, diligentiam, et consilia.

---

(1) Ad rem apposite D. Thomas: «Quando in antecedenti ponitur aliquid pertinens ad actum animæ, consequens est accipiendum, non secundum esse quod in se est (secundum esse reale extra animam) sed secundum esse quod est in anima: aliud est enim esse rei in se ipsa, et esse rei in anima: ut puta si dicam: si anima *intelligit* aliquid, illud est *immateriale*, intelligendum est quod illud est immateriale secundum quod est in intellectu, non secundum quod est in seipso. Et similiter si dicam: *Si Deus scivit aliquid, illud erit*, consequens intelligendum est prout subest divinæ scientiæ, scilicet, prout est in sua præsentialitate: et sic necessarium est, (nempe necessitate hypothetica) sicut antecedens: quia omne quod est, dum est, necesse est esse, ut dicitur 1.° Periherm.» *Sum. Theol.*, 1.ª P., q. 14, art. 13, ad 2.m Quæ sane D. Thomæ doctrina sedulo mente est versanda, non pro hac tantum, sed pro aliis consimilibus quæstionibus.

ARTICULUS QUARTUS.

De voluntate Dei.

Quæ spectant Dei voluntatem, de qua fusius agere solent theologi, sequentibus summatim attingemus pro tironis philosophi captu et necessitate.

1.° Voluntatem Deo inesse, fere per se notum est ex hucusque dictis; nam 1.° voluntas intellectum necessario consequitur, cum nihil sit aliud quam amor, vel appetitio boni per intellectum apprehensi: «cum igitur Deus sit intelligens, inquit D. Thomas, (1) inest sibi voluntas qua placet sibi suum esse, et sua bonitas. 2.° Quia voluntas est perfectio *simpliciter simplex*, ac proinde Deo absolute et *formaliter* tribuenda.

2.° Sicut autem Dei intelligere est ipsum Dei esse, atque uno et simplicissimo actu suam essentiam et alia a se intelligit, ita Dei velle est ipsum Dei esse, unoque et simplicissimo actu, suam bonitatem et alia bona a se distincta vult.

3.° Cave tamen ne inde inferas, Deum alia a se velle necessario, sicut necessario vult suam essentiam et bonitatem; siquidem, cum ejusmodi bona a Deo distincta, eatenus sint bona quatenus existunt, et prout sunt participationes essentiæ divinæ, eatenus vero existant quatenus Deus libere vult eas existere, consequitur plane Deum ea velle necessario, non absoluta, sed hypothetica tantum necessitate. Unde volitio horum bo-

(1) *Sum. cont. Gent.*, lib. 1.°, cap. 72.

norum est necessaria in Deo ex hypothesi existentiæ ipsorum, sicut scientia *visionis* solum est necessaria ex hypothesi creationis mundi.

4.° Atque exinde colligitur, Deum alia a se libere velle absolute loquendo; quandoquidem necessarium nexum non habent cum divina bonitate, quæ Deo suffi-cientissima existit, et quam unice Deus ex necessitate vult. Ut enim scite et ad rem habet D. Thomas: «Voluntas non ex necessitate fertur in ea quæ sunt (dicunt ordinem) ad finem, si finis sine his esse possit: non enim habet necesse medicus ex suppositione voluntatis quam habet de sanando, illa medicamenta adhibere infirmo, sine quibus potest nihilominus infirmum sanare. Cum igitur divina bonitas sine aliis esse possit, quinimmo nec per alia ei aliquid accrescat, nulla inest ei necesitas ut alia velit, ex hoc quod vult suam bonitatem.» (1)

5.° Ergo duplex distinguere oportet objectum voluntatis divinæ, scilicet, unum *primarium*, quod etiam *formale*, et *motivum* nuncupatur, estque ipsa bonitas divina, quæ ex propria ratione Dei voluntatem veluti movet tanquam ejusdem finis necessarius, immo vero cum ipsa identificatus; unde et objectum *necessarium* dici potest. Alterum *secundarium*, quod etiam *materiale* et *liberum* dici potest; suntque bona quævis a Deo distincta. Atque hæc quidem Deus vult eodem actu quo vult suam bonitatem, sicut alia a se intelligit, intelligendo suam essentiam, ita tamen ut bonitas se habeat tanquam finis, et sit ratio volendi ejusmodi creata bona; nam «cum Deus alia a se non velit nisi propter finem, qui est sua bonitas, non sequitur quod aliquid

(1) *Sum. cont. Gent.*, lib. 1.° cap. 81.

aliud moveat voluntatem ejus, nisi bonitas sua.» (1) Deus itaque suam bonitatem ex necessitate vult, alia vero bona, *si existunt*, vult propter suam bonitatem tanquam propter finem; quia tamen hujusmodi finis, seu Dei bonitas æque salvatur *cum* et *sine* existentia bonorum creatorum, horum volitio absolute spectata, non secundaria modo, sed libera est respectu Dei. (2)

6.° Ergo Deus non solum absoluta gaudet libertate quoad productionem et amorem rerum finitarum, sed ejus libertas perfectissima existit, ac proinde iis nævis ac imperfectionibus caret, quibus in homine libertas

---

(1) *Sum. Theolog.* 1.ª P., q. 19, art. 2.° ad 2.m

(2) Merito proinde D. Thomas, postquam distinxit objectum voluntatis in principale et secundarium, subdit: «Voluntas igitur divina habet pro principali volito id quod naturaliter vult, et quod est quasi finis voluntatis, scilicet, ipsa bonitas sua, propter quam vult quidquid aliud a se vult; vult enim creaturas propter suam bonitatem, ut Augustinus dicit, ut videlicet sua bonitas quæ per essentiam multiplicari non potest, saltem per quandam similitudinis participationem diffundatur ad multa. Unde ea quæ circa creaturas vult, sunt quasi ejus volita secundaria, quæ propter suam bonitatem vult, ut divina bonitas sit ejus voluntati ratio volendi omnia, sicut sua essentia est ei ratio cognoscendi omnia. Respectu igitur illius principalis voliti, quod est sua bonitas, voluntas divina necessitatem habet, non quidem coactionis, sed naturalis ordinis... Sed respectu nullius alterius voliti, necessitatem habet. Cum enim ratio volendi in his quæ sunt ad finem, sit ipse finis secundum hoc quod id quod est ad finem (secundum modum quo res aliqua ad finem determinatum ordinatur) comparatur ad finem, secundum hoc comparatur ad voluntatem... Unde patet quod non est necessitas divinæ voluntatis ex amore quem habet ad suam bonitatem, quod velit hoc vel illud circa creaturam: nec inest ei aliqua necessitas respectu totius creaturæ, (totius mundi, vel collectionis creaturarum) eo quod divina bonitas in se perfecta est, etiamsi nulla creatura existeret, quia bonorum nostrorum non eget, ut in Psalm. 15 dicitur. Non enim divina bonitas est finis qui efficiatur ex his quæ sunt ad finem, sed magis quo efficiuntur et perficiuntur ea quæ ad ipsum ordinantur. Patet igitur ex dictis, quod quidquid Deus vult in se ipso (ex his quæ ad ipsam Dei essentiam pertinent) de necessitate vult; quidquid autem vult circa creaturam, non ex necessitate vult.» *QQ. Disp. De Verit.*, q. 23, art. 4.°

subjicitur. Ast enim vero, homo qui ad veritatis notitiam per ratiocinia paulatim ac difficulter pervenit, quique, ut graphice habet D. Thomas, *habet cognitionem adumbratam*, dubitationi atque incertitudini in discernendo, consiliando et eligendo, obnoxius existit: in Deo vero « est simplex notitia veritatis absque discursu, et inquisitione; » (1) atque idcirco in eo, utpote infinita intelligentia ac scientia prædito, nulla dubitatio, mutatio, aut incertitudo occurrere potest quoad discernere, consiliari, aut eligere. Similiter quoque homo ac etiam angelus, quia ex nihilo educti, voluntatem obtinent, quæ defectibilitati est obnoxia, tam quoad existentiam, quam quoad bonitatem et operari: contra vero Deus, qui et increatus, ens necessarium, agens infinitum et perfectissimum est, absoluta et omnimoda gaudet indefectibilitate quoad esse, quoad operari, et quoad bonitatem; ac proinde ejus libertas excludit potentiam ad malum. (2)

---

(1) *D. Thom., De Verit.*, q. 24, art. 3.°

(2) Hanc porro doctrinam ex D. Thoma desumimus, qui, postquam ostendit dari liberum arbitrium, subdit: « Aliter tamen invenitur liberum arbitrium in nobis, et in angelis, et in Deo; variatis enim prioribus, necesse est posteriora variari. Facultas autem liberi arbitrii duo præsupponit, scilicet, naturam, et vim cognitivam. Natura quidem alterius modi (diversa ratione) est in Deo, quam sit in hominibus, et in angelis; natura enim divina increata est, et est suum esse, et sua bonitas; unde in eo non potest esse defectus aliquis, nec quantum ad esse, nec quantum ad bonitatem. Natura autem etiam angelica creata est, ex nihilo principium sumens; unde quantum est de se, possibilis est ad defectum.

Et propter hoc liberum arbitrium Dei nullo modo flexibile est ad malum: liberum vero arbitrium hominis et angeli in suis naturalibus (quoad ea quæ ipsis ex propria natura conveniunt) consideratum, in malum flexibile est.

Cognitio etiam alterius modi invenitur in homine quam in Deo Homo enim habet cognitionem obumbratam, et cum discursu veritatis notitiam sumentem. Unde (ex quo) accidit ei dubitatio, et difficultas in discernendo, et judicando.» *De Verit.*, q. 24, art. 3.°

CAPUT QUARTUM.

DE ATTRIBUTIS DEI RELATIVIS.

ARTICULUS PRIMUS.

De omnipotentia et creatione.

Quoniam ea quæ de omnipotentia Dei, atque de natura et conditione creationis dicere oporteret, satis innotescunt ex his quæ de rerum possibilitate in Ontologia, præsertim vero de mundi creatione fuse in Cosmologia disseruimus, pauca hic subjicere sufficiet pro pleniori hujus rei notitia. Itaque,

1.° Potentia *passiva*, utpote *receptivitatem*, si ita loqui fas est, ac proinde potentialitatem et imperfectionem ex proprio conceptu includens, a Deo est penitus removenda. Contra vero, potentiam *activam*, quæ virtutem seu vim aliquid efficiendi ex proprio conceptu dicit, summam Deo concedere oportet.

2.° Et quidem, potentiam summam vel potius infinitam in Deo reperiri, satis constat: 1.° quia in Deo, qui est actus purus et simplicissimus, vis agendi identificatur cum ipsa essentia: unde cum hæc sit infinita, ut ostensum est, etiam ipsius potentia activa infinita debet esse: 2.° quia potentia activa in unaquaque re respondet et commensuratur naturæ rei, quæ est fundamentum et radix virium agendi; sed natura Dei est illimitata seu

infinita quoad esse: ergo etiam quoad vim agendi. Qua in re, egregie D. Thomas: «Esse autem divinum, super quod ratio divinæ potentiæ fundatur, est esse infinitum, non limitatum ad aliquod genus entis, sed præhabens in se totius esse perfectionem. (1)

3.° Ergo vere inest Deo *omnipotentia:* nec enim aliud hoc nomine intelligimus, nisi potentiam infinitam et illimitatam, quæ ad *omne* ens porrigitur. Ast Dei potentia omne ens complectitur, sive ex parte subjecti, sive ex parte objecti. Ex parte quidem *subjecti;* quia ejus subjectum est essentia divina, quæ continet omne ens, seu totius esse plenitudinem: ex parte *objecti;* quia ejus proprium, seu adæquatum objectum, sunt possibilia absoluta, ac proinde quidquid potest habere rationem entis, vel contradictionem non implicat. «Quidquid potest habere rationem entis, ait D. Thomas, (2) continetur sub possibilibus absolutis, respectu quorum Deus dicitur omnipotens.»

4.° Præ oculis tamen habeatur, quædam, quæ sunt possibilia absolute, a Deo tamen produci non posse, non quidem propter defectum vel limitationem divinæ potentiæ, sed ex aliqua *suppositione*, ex qua impossibile redditur id quod ex se erat possibile. Sic possibile est absolute omnes homines esse sapientes, sed ex hypothesi quod decreverit Deus ipsorum quosdam insipientes esse, impossibilis redditur sapientia omnium.

5.° Cum Dei omnipotentia necessarium ac intimum nexum habet possibilitas creationis, quæ jure optimo definitur: *productio seu effectio entis ex nihilo:* ex nihilo, inquam sui, quatenus nulla entitas præsupponitur

---

(1) *Sum. Theol.*, 1.ª P., q. 25, art. 3.°
(2) *Loc. cit.*

quæ habere possit rationem causæ materialis respectu rei, quæ creatur, non vero ex nihilo absoluto, quasi creatio nullam realitatem præsupponat: immo, supponit necessario realitatem infinitam, tanquam causam efficientem rei creatæ. (1) Dico *possibilitas* creationis, quia hujus *existentia* non necessarium, sed liberum ac contingentem nexum obtinet cum omnipotentia Dei, quæ infinita ac æque perfecta in se ipsa consistit, sive mundus existat, sive non existat. (2)

Nam, «quod Deus suam bonitatem amet, loquimur cum D. Thoma, (3) hoc necessarium est: sed ex hoc non necessario sequitur quod per creaturas repræsentetur, cum sine hoc divina bonitas sit perfecta. Unde quod creaturæ in esse producantur, etsi ex ratione divinæ bonitatis originem habeat, (quatenus producuntur

---

(1) Inepte igitur, ne dicam stulte, Cousin rejicit hujuscemodi creationis definitionem, et quod magis mireris in homine qui adversus eos indignatur qui eum tanquam pantheistam, et catholicæ doctrinæ desertorem accusant, innititur auctoritate Epicuri, Lucretii, Bayle, Spinozæ. En ejus verba: «¿Qu'est ce que la création? Voulez-vous la definition vulgaire? La voici: créer, c'est faire quelque chose de rien, c'est tirer du néant;... Or, Leucippe, Epicure, Lucrece, Bayle, Spinoza et tous les penseurs un peu exercés démontrent trop aisément que de rien on ne tire rien, que du néant rien ne peut sortir, d'où il suit que la création est impossible... Il faut donc abandonner la definition que créer, c'est tirer du néant; car le néant est une chimere, et une contradiction.» *Cours du* 1828, l. 5.°, p. 21 et sqq. Utique: nihilum absolutum, et universale chimera est, et contradictio; at nihilum subjecti vel materiæ extra Deum, et præter Deum ante creationem nec chimera, nec contradictio est, nisi atheis, et pantheistis hominibus, quos laudat Cousin.

(2) Hic iterum habemus Cousin docentem cum pantheistis, et acatholicis, necessitatem creationis. «En prenant une toute autre route, nous arrivons a cet autre resultat que la création est, je ne dis pas possible, mais necessaire... Dieu... s'il est une cause absolue, il ne peut pas ne pas créer.» In hisce confutandis non immoramur, ne agamus actum in Cosmologia, ubi de origine mundi per creationem.

(3) *Sum. cont. Gent.*, lib. 3.°, cap. 99.

ad manifestandam vel repræsentandam Dei bonitatem) tamen ex simplici Dei voluntate dependet.»

6.° Quod siquis morosius contendat aut objiciat, rerum creationem per Deum conciliari non posse cum existentia mali rebus creatis inhærentis, præsertim cum summum bonum, prout est Deus, excludat omne malum, in memoriam hæc revocare sufficiat: 1.° Summum bonum excludit quidem *a seipso* omne malum, non vero necessario excludit *ab aliis;* immo vero, si de malo quod quidam *metaphysicum* appellant, sit sermo, illud necessario inest rei creatæ, quæ, qua talis, essentialiter limitata et imperfecta existit. 2.° Mali existentia minime cum summo bono creante pugnat; nam illud, si est *physicum*, vel ad ordinem, varietatem, et conservationem mundi confert, ut rerum corruptiones et mutationes; vel ad hominis felicitatem ac veram perfectionem, tanquam medium conducit, ut ærumnæ, ægritudines, et similia, ac proinde nonnisi improprie et relative solum mala dicuntur. Si vero sit *morale*, illud quippe quod non causam efficientem, sed deficientem requirit, non a Deo, sed a sola creatura profluit.

7.° Ergo absurda ac inutilis habenda est sententia Manichæorum asserentium, præter summum bonum dari oportere summum malum, quod sit malorum principium: absurda quidem; quia malum est privatio vel carentia boni seu realitatis, ac proinde summum malum esset privatio vel carentia omnis realitatis, ac exinde nihilum. Inutilis etiam; quia mali origo et existentia in rebus creatis, optime concipitur et explicatur, ut vidimus, quim nullum summum malum existat. (1)

---

(1) Vid., *Estudios sobre la Filos. de Sto. Tomas*, lib. 2.°, cap. 29, 30 et 31.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Providentia Dei.

Prænotanda:

1.° Providentia in genere est, *ratio ordinis rerum in finem*, quapropter Dei providentia definiri potest: *æterna ratio qua Deus singula in suos fines particulares, et omnia simul in finem universalem dirigit.* (1) Dicitur *æterna ratio*, hoc est, cognitio, eaque practica, qua res omnes ad suum finem, sive particularem, sive universalem, a Deo diriguntur. Hinc providentia includit et actum *intellectus*, quo res ad finem ordinantur, et actum *voluntatis*, quo hæc ordinatio veluti approbatur, atque ad praxim reducenda decernitur.

2.° Providentia ergo divina in se spectata, ab æterno in Deo existit, sicut existunt actus intellectus et voluntatis: si vero spectetur ex parte termini, vel potius executionis ordinis providentialis, in tempore existit, sicut ipsæ res, quibus Deus providet. Atque hujusmodi executio in tempore ordinis providentialis proprie dicenda esset *gubernatio*, quantumvis hæc cum providentia vulgo confundatur.

---

(1) Nostra hæc definitio, quoad rem et substantiam congruit cum ea quam Boetius tradit his verbis: *Divina ratio in summo omnium Principe constituta, quæ omnia disponit.*

THESIS.

Deus de omnibus ac singulis rebus providentiam gerit.

Prob. 1.° Si Deus de rebus omnibus et singulis providentiam non gereret, vel id esset quia ignorat modum res et mundum gubernándi, vel quia non potest, vel quia non vult. Si primum: ergo Deus non est omniscius, nec summam scientiam habet, nec proinde est Deus. Si secundum: ergo non est omnipotens, nec verus Deus. Si tertium: ergo 1.° Deus non esset bonus; quandoquidem creaturas suas non diligeret, eas fortuitis casibus, ac injustitiis hominum perversorum relinquendo, et deserendo: 2.° se ipsum negaret; quia cum creaturas ex nihilo libere produxerit, sibi ipsi debet ipsarum curam gerere, nec eas, postquam creavit, deserere, ac veluti despicere potest.

Prob. 2.° Deus est causa universalis omnis boni, quod in rebus omnibus ac singulis reperitur; sed in rebus invenitur bonum non solum quoad substantiam, sed etiam quoad ordinem ipsarum in finem, præsertim vero in finem ultimum, cum fines particulares sint tanquam media respectu finis ultimis: ergo Deus est causa hujus boni, quod positum est in ordinatione rerum ad fines, sive particulares, sive universales. Ergo Deus providentiam gerit de omnibus rebus.

Ex his inferes sequentia

Corollaria:

1.^{m} Ergo res quævis, quantumvis minima, proprium aliquem et peculiarem finem sibi vendicat, atque a Deo mediis necessariis donatur pro ejusdem assecutione; quamvis hæc non raro nobis sint ignota.

2.^{m} Ergo res quævis tendit, ac pro suo modo operatur ad manifestationem gloriæ et potentiæ Creatoris, qui est

ultimus finis tam universi, quam entium ex quibus coalescit.

3.m Ergo id quod *casum* et *fortunam* appellamus, locum non habet nisi per respectum ad hominem et causas secundas; nam respectu Dei nihil est vere fortuitum, cum et præsciat, et ordinet omnia quæ in mundo eveniunt.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Si Deus providentiam de rebus gereret, maxime de homine; sed de hominibus providentiam non gerit: ergo. Prob. Si de hominibus providentiam gereret, non sineret improbos deliciis et bonis affluere, dum probi ærumnis et doloribus vexantur: ergo, etc.

Resp. Neg. min. Ad prob. dist. ant. *Si justæ non adessent causæ ad id permittendum*, conc. *secus*, neg. Et quidem, quamvis nos ignoremus causas vel motiva propter quæ Deus probos vexari malis, improbos deliciis abundare permittit, æquius foret nostram ignorantiam fateri, quam Dei providentiam evidenter demonstratam inficiari. Ast hic facile assignantur quædam saltem motiva. Ac. 1.° quidem, deliciæ quibus improbi homines affluunt, et abutuntur, pœnæ potius quam boni rationem obtinent, ita ut merito scribat D. Augustinus: « nihil esse infelicius felicitate peccantium, quia pœnalis nutritur impunitas, et mala voluntas, veluti hostis interior, roboratur. » 2.° Temporalia bona improbis hominibus quandoque Deus confert, tanquam præmium respondens aliquibus ipsorum bonis operibus; nemo enim adeo malus existit, qui aliquando bonum opus non perficiat.

Quoad ærumnas quibus justi opprimuntur, deserviunt: 1.° ut mundum, mundanaque omnia magis in dies spernant, atque ad superna et cælestia, cordis oculos et

mentem erigant: 2.° ut humiliores et cautiores reddantur, in solo Deo fidentes, Patremque cœlestem orantes, sive ad temporalia mala, sive ad tentationum pericula superanda: 3.° ut temporalibus hisce ærumnis purgentur ac expientur in hoc sæculo levia quædam peccata, pro quibus quotidie dicimus: *dimitte nobis debita nostra*, et quæ in altero sæculo severioribus pœnis plecterentur: 4.° ut per patientiæ, humilitatis, aliarumque virtutum opera et exempla, Dei gloriam enarrent, simulque cæteris hominibus ostendant quod non *sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.*

Inst. Magna hominum pars non adsequitur felicitatem, quæ proprius est finis hominis: ergo.

Resp. Dist. ant. Non adsequitur felicitatem *ex propria culpa, seu abusu propriæ libertatis*, conc. *ex defectu mediorum*, neg. Ad Dei providentiam solum spectat homini providere media, quibus proprium finem seu felicitatem consequi possit: quod si homo ex innata libertate ejusmodi media respuat, ex hoc nihil aliud colligitur, nisi quod Deus hominem ad proprium finem non necessario, sed libere, dirigit.

Objic. 2.° Si Deus omnibus et singulis providet, licitum erit ignis probatione, aut singulari certamine lites etiam capitales, dirimere, prout faciebant veteres; siquidem Deus, utpote de rebus curam gerens, non permittet exitum nocenti favere: ergo.

Resp. Neg. sequel. ant. Lites namque dirimere præfatis modis illicitum est, imo contra Dei providentiam et voluntatem, quæ miracula non edunt, dum sunt indebita aut minime necessaria, prout contingit in exemplis adductis. Neque enim Deus unquam promissit miraculum edere in his circumstantiis, nec est necessarium, cum suppetant media juridica et naturalia, ad discernendos nocentes, et innocentes.

Objic. 4.° Quidquid est in Deo est æternum; sed providentia non est quid æternum, cum sit circa existentia creata: ergo.

Resp. Dist. min. Non est quid æternum, *sumpta præcise pro ratione ordinis rerum in finem*, neg. *pro executione hujus ordinis*, conc. Solutio patet ex prænotatis. In providentia namque adæquate sumpta, (quæ hoc sensu *cura* etiam dicitur) utrumque includitur, nempe, « ratio ordinis, ait D. Thomas, (1) quæ dicitur Providentia; et dispositio, et executio ordinis, quæ dicitur gubernatio; quorum primum est æternum, secundum temporale. »

ARTICULUS TERTIUS.

De Influxu Dei in creaturas.

§ I.

Prænotiones, ac definitiones circa Dei influxum in res creatas.

1.° Præter creationem, ex qua originaliter creatura quævis pendet tam quoad *esse*, quam quoad *operari*, duplex alius influxus Dei in creaturas potest assignari; quorum primo, res in esse recepto permanent, diciturque *conservatio:* altero, quoad operandum perficiuntur, diciturque *influxus causæ primæ in secundas.*

---

(1) *Sum. Théol.* 1.ª P., q. 22, art. 1.°, ad 2.m

2.° Deum res omnes creatas in esse conservare, omnes uno ore concedunt: sunt tamen quidam, qui ajunt, substantias semel creatas, ex propia vi in accepta existentia permanere, ita ut non egeant positivo Dei influxu eas conservante, sed sufficere Deum ipsas positivo decreto non destruere: hæc jure dicitur conservatio *negativa*, atque *indirecta*. Major tamen et sanior philosophorum pars existimat, rerum conservationem eatenus perfici a Deo, quatenus eas permanere facit in accepto esse per actum positivum voluntatis, ita ut cessante ejusmodi actu, statim creatura in nihilum redigeretur: hæc dicitur conservatio *positiva*, et *directa*.

3.° Porro, rerum conservationem *positive* a Deo perfici, facile his ostenditur: 1.° vel Deus vult positive ut creatura A nunc existat, vel ut non existat, vel de ea non cogitat; sed duo postrema aperte repugnant, nihil enim est quod Dei cogitationem effugiat, et ex altera parte, si Deus positive vellet quod creatura A non existeret, in nihilum statim redigeretur, ut vel ipsi conservationis *negativæ* asseclæ fateri coguntur: ergo superest ut Deus velit positive creaturam A nunc existere: ergo positivo actu voluntatis Deus res in esse conservat. 2.° «Oportet, ut arguamus cum D. Thoma, (1) quod idem sit causa rei, et conservationis ipsius; nam conservatio rei non est nisi continuatio esse ipsius... Deus per intellectum et voluntatem est causa (et quidem positiva) essendi omnibus rebus: igitur per suum intellectum et voluntatem conservat res in esse.»

4.° Atque ex his colligere licet cum nobilioribus philosophis, actionem, qua Deus res in esse conservat, identificari quoad entitatem cum actione creatrice ipsarum, ita ut eadem Dei actio, quatenus rem educit ex

---

(1) *Sum. cont. Gent.*, lib. 3.°, cap. 65.

nihilo, *creatio* dicatur; quatenus vero rem semel eductam, in esse permanere facit, *conservatio* dicatur. Ex quo vulgatum illud apud philosophos: *conservatio est continuata creatio* (1).

5.° Ad influxum quo prima causa in secundas influit jam devenientes, omnes ferme rejiciunt præposteram opinationem Durandi, qui *mediatum* tantum influxum Dei in causas secundas agnoscit, quasi Deus eatenus solum diceretur influere in causas secundas, quatenus ipsis facultatem seu vim agendi contulit atque conservat. Unde opus non est in ea confutanda immorari; quippe ex communi ac ratione firmata theologorum, philosophorumque sententia, Deus, præter influxum mediatum, *immediatum* quoque adhibet causis creatis dum operantur.

6.° Hic porro influxus immediatus triplici ratione perfici potest: 1.° *motione morali*, quæ posita est in *determinata ratione proponendi objectum aliquod intellectui* et *voluntati;* ex qua objecti propositione voluntas excitatur ad aliquid appetendum, vel aversandum: 2.° motione *physica*, quæ definiri potest: *motio qua Deus intrinsece applicat causam secundam ad actualiter operan-*

---

(1) Expositam doctrinam circa rerum positivam conservationem tuentur, non modo cuncti ferme Scholastici, sed nobiliores apud recentes philosophos. Inter eos Mallebranche hæc scribit: «Si le monde subsiste, c'est donc parce que Dieu continue de vouloir que le monde soit. La conservation des creatures n'est donc, de la part de Dieu, que leur création continuée... En Dieu, la conservation, et la création ne sont qu'une même volonté.» *Entret. metaph.* ent 7.°

Non absimilia habet Fenelon: «L' Etre qui est par lui même ne tire point du néant des êtres qui ensuite subsistent par eux-mêmes hors du néant d'une manière fixe: ils ne peuvent continuer à exister qu'autant que l'être nécessaire les soutient hors du néant; ils n'en sont jamais dehors par eux-mêmes: donc ils n'en sont dehors que par un don actuel de l'Etre.» *De l' Exist. de Dieu*, part. 2.ª chap. 5, art. 3.°

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

dum; nempe, cum creaturæ ex se solum habeant activitatem potentialem seu vim agendi *in actu primo*, ut ajunt, actualiter non operantur, nisi ab aliquo ad id determinentur et applicentur; atque illa motio, qua a Deo transferuntur ab actu primo ad secundum, applicando ipsarum activitatem potentialem ad actualem operationem, motio *physica* nuncupatur: 3.° *concursu simultaneo*, qui, apud ejus propugnatores, est *aliquid quod causæ secundæ actionem comitatur*, et *ipsum se habens per modum actionis qua divina virtus una cum creatura agit, ad eundemque terminum immediate tendit, ad quem tendit creaturæ actio.* (1)

7.° Ex allatis definitionibus facile intelliges in quo expositæ tres species influxus divini inter se conveniant, simulque in quibus discriminentur. In eo conveniunt, quod influxum *immediatum* Dei (salva natura et conditione motionis moralis) adstruant et supponant: differunt vero: 1.° quia *motio moralis* allicit vel retrahit voluntatem ad agendum, nihil entitatis in eadem ponens: *physica*, causam secundam intrinsece et active applicat, et perficit ad operandum: *concursus simultaneus*, causam secundam adjuvat ad agendum cum ea cooperando ad productionem effectus: 2.° *Motio moralis* movet objective solum causam secundam: *motio physica* physice et effective, perficiendo activitatem causæ secundæ per collationem ultimæ actualitatis, et applicationem ad operandum: *concursus simultaneus*, causam secundam non movet, nec ei *confert aliquid quo ad agendum moveatur, aut in vi agendi perficiatur* aut compleatur, sed cum ea solum cooperatur, quate-

(1) Ita Tongiorgi, *Inst. Phil. Theol.*, lib. 4.°, cap. 2.°, art. 3.°, quæ definitio cum iis quæ a Liberatore et aliis proferuntur, quoad substantiam convenit.

nus immediate influit in effectum eundem, qui a causa secunda simul producitur; « ad eum fere modum, quo binæ causæ partiales et cooperantes, v. g. duo homines aliquid func trahentes, non ita cooperantur alter alteri, ut alter in alterum agat, sed ita ut uterque in eundem effectum immediate influat. » (1) Habemus ergo hic, quod juxta ejus asseclas, per concursum simultaneum, Deus ita influit in causam secundam, ut nihil in eam agat vel influat, («non ita cooperantur alter alteri ut *alter in alterum agat*») solumque in eam dicatur influere quatenus simul cum ea eundem effectum immediate attingit («sed ita ut uterque in eundem effectum immediate influat») vel producit. Ex quo plane infertur, influxum Dei per concursum simultaneum non respicere causam secundam, reduplicative ut causam, nec ejus actionem, sed effectum solum, qui est terminus actionis; siquidem, « causa prima, et secunda ita simul operantur, ut in unum, eundemque effectum, tanquam ad terminum actionis, tendant, » prout in laudato habetur loco. Id præ oculis maxime habeatur ab his qui velint vim rationum pro physica motione militantium, penetrare.

8.ª Hæc physica motio, quæ complet et perficit facultatem, seu vim agendi creaturæ, eamque applicat ad actualem operationem eliciendam, planum est quod actualem creaturæ operationem naturæ ordine præcedit, cum prius sit virtutem agendi applicare, quam actu agere. Ergo motio illa Dei, prævia existit non quidem temporis, sed naturæ ordine, operationi creaturæ: et

---

(1) Verba sunt ipsius Tongiorgi *loc. cit.*, qui statim subdit: «Ita quoque causa prima et secunda ita simul operantur, ut in unum, eundemque effectum immediate tanquam ad terminum *actionis* (nota bene) tendant.» *Loc. cit.*

propter hoc *præmotio physica*, quasi *prævia motio physica* congrue nuncupatur.

9.ª Jam vero, Deum immediate in res creatas influere per concursum simultaneum, ab omnibus est agnoscendum. Cujus rei profundissimam rationem reddit D. Thomas verbis hisce: «Secundum ordinem causarum est ordo effectuum. Primum autem in omnibus effectibus est esse; nam omnia alia sunt determinationes ipsius. Igitur esse est proprius effectus primi agentis, et omnia alia agunt (producunt) ipsum, in quantum agunt in virtute primi agentis. Secunda autem agentia, quæ sunt quasi particulantia et determinantia actionem primi agentis, agunt (producunt) sicut proprios effectus alias perfectiones quæ determinant esse.» (1)

Quæ demonstratio, pro his qui terminologiæ Ang. Doctoris minus sunt periti, sic breviter evolvitur. Semel constituto tanquam principio per se noto, quod ordo et natura effectuum, respondet ordini et naturæ causarum, ita ut nobilior, aut perfectior effectus, nobiliorem causam postulet, ponamus effectum aliquem v. g. leonem de novo produci vel generari. In hoc effectu variæ perfectiones continentur, quippe leo habet *esse*, habet *vitam*, habet *corpus*, habet *extensionem* etc. Inter diversos hosce perfectionis gradus, primus ac nobilissimus omnium est *esse*, tum quia prius est absolute esse, quam esse hoc, vel illud, tum quia ratio entis reliquas universalitate superat. Ergo si ordo et natura effectuum respondere debet ordini, et naturæ causarum, ratio entis, seu *habere esse*, quæ est prima, nobilior ac universalissima perfectio, inter eas quæ in leone, vel quovis alio effectu continentur, respondere debet causæ omnium primæ, nobiliori, et universalis-

(1) *Sum. cont. Gent.*, lib. 3.º, cap. 65.

simæ, quæ proculdubio est Deus. Reliquæ vero perfectiones, utpote minus universales, et secundariæ, ipsum esse præsupponentes, respondent causis secundis: ita ut quodammodo possit dici, quod dum Deus producit *esse* in effectu, agentia creata *quasi particulantia et determinantia*, ut minus latine, sed valde graphice ait D. Thomas, actionem Dei, in eodem effectu agunt ad productionem perfectionum particularium, quæ sunt quasi determinationes esse a Deo tanquam prima causa producti.

10.ª Hic tamen Dei concursus in res creatas non ita accipiendus est, quasi in effectu una pars a Deo, et altera a causa secunda produceretur, sed totus effectus ab utraque producitur; ut enim scite habet D. Thomas: (1) « Non sic idem effectus causæ naturali, et divinæ virtuti attribuitur, quasi partim a Deo, partim ab agente naturali fiat; sed totus est ab utroque, secundum alium, et alium modum, nempe, a Deo tanquam a primo ente, et causa prima omnis entis, a creato agente tanquam a causa secunda et agente particulari talis entis. (2)

11.ª Porro, quamvis in agnoscenda concursus simul-

---

(1) *Sum. cont. Gent.*, lib. 3.°, cap. 70.

(2) Quam rem illustrat eximius Goudin, qui de physica præmotione plurima egregie conscripsit, non incongruo exemplo tecti domus, «quod portatur et a parietibus tanquam a proprio, ac particulari suo fulcimento, et præterea a tellure, tanquam generali omnium corporum basi, ita ut quodlibet ex illis duobus sit totalis ratio in suo ordine. Quemadmodum ergo terra, quamvis sit sufficiens, et totalis omnium gravium basis, eaque proinde sustineat, non impedit tamen quin supra ipsam unum corpus aliud sustineat, sed potius cum eo concurrit ad talem sustentationem: ita Deus, licet sit sufficiens et totalis causa totius entis, proindeque totum ex se profundat, attamen non impedit quin in entibus a se productis, unum dependeat ab alio tanquam a causa proxima, sed potius idipsum facit concurrendo cum propriis, ac secundis causis ad productionem effectuum.»

tanei existentia fere cuncti sive theologi, sive philosophi conveniant, sunt tamen quamplurimi qui eum existimant insufficientem ad salvandum ac probe explicandum influxum Dei in causas secundas, sed opinantur requiri præterea physicam præmotionem; quorum ac D. Thomæ sententiam, nos etiam amplectimur. Unde sit

THESIS.

Deus physice etiam præmovet causas secundas ad operandum.

Prob. 1.° ex principio adversariorum. Et quidem, 1.° ex definitione concursus simultanei ab ipsis tradita, habetur, Deum eatenus influere in causas secundas, quatenus simul cum his operatur ad producendum *terminum actionis:* ergo non influit ad producendam ipsam actionem; et tamen aliud est terminus actionis, et aliud ipsa actio, sicut aliud est animal de novo generatum, aliud actio qua generatur. Ergo existit in rerum natura ens reale, nempe, ipsa actio agentis, in quod Deus non influit. Ergo vel notio concursus simultanei ab ejusdem asseclis tradita, falsitate laborat, vel Deus non influit universaliter in res omnes creatas. Sed etiam in hypothesi, quod actio ab adversariis connumeretur inter effectus, et *terminos actionis*, adhuc

Prob. 2.° insufficientia concursus simultanei. Dum causa secunda transit de potentia ad actum agendi, novum ac realem statum acquirit, quippe realis mutatio ibi intercedit, ut patet in homine, dum transit de potentia amandi ad actualem amorem; sed per concursum simultaneum nequit reddi ratio sufficiens hujus novi status, nec explicari hæc mutatio; siquidem ex ipsius asseclis, concursus hic ex se indifferens est ad agendum, vel non agendum, ad agendum hoc, vel illud, atque deter-

minationem causæ secundæ, saltem liberæ, expectat: ergo alibi quærenda est ratio sufficiens illius novi status, ac realis mutationis. Jam vero, hujus rei sufficiens ratio vel est in ipsa causa secunda, vel in Deo: in causa secunda nequit esse, quia ea supponitur in potentia antequam acquirat illum novum statum, illud autem quod est in potentia ad agendum, nequit actu agere, nisi ad id determinetur et moveatur per aliquod ens actu agens, sicut illud quod est in *potentia* ad esse, sed actu non habet esse, nequit acquirere esse a se ipso, sed ex alia re quæ sit actu ens. Ergo in solo Deo inveniri potest ratio sufficiens præfati novi status, et realis mutationis, præsertim quoad causas liberas, cum in voluntate solus Deus influere et operari possit. Atque hæc ratio non solum ostendit evidenter concursum simultaneum insufficientem esse, sed insuper invictissime probat, Deum determinare causas secundas ad actu operandum, ac proinde haberi potest tanquam directa demonstratio præmotionis physicæ.

Prob. 3.° directe thesis. In Deo, præter rationem *primi entis*, agnoscenda est ac vere existit ratio *primæ causæ*. Deus namque non solum est primum ens, a quo idcirco procedunt ac dependent omnia entia, quoad esse et conservari, sed etiam est prima causa, a qua proinde omnes aliæ causæ procedunt ac dependent, in ratione causæ, et quoad operari. Jam vero, per concursum simultaneum Deus solum influit in creaturas sub ratione primi entis; quandoquidem per ipsum Deus nihil aliud facit quam producere effectum a causa secunda productum, eum attingendo sub altioribus formalitatibus, ac præsertim quoad formalitatem essendi, quæ est participatio primi entis. Ergo præter concursum simultaneum, quo res creatæ Deum respiciunt tanquam *primum ens*, ac exinde originem omnis rationis essendi, opus est admittere alium influxum, quo res creatæ respiciant Deum

tanquam *primam causam*, et originem proinde omnis causalitatis, sive actionis, quæ est propria causalitas causæ efficientis, de qua hic agitur. Ergo cum modus proprius influendi causarum efficientium inter se sit quatenus una movet ac determinat aliam ad operandum, ille influxus primæ causæ efficientis in creatas, debet esse per motionem, qua ad agendum moventur et determinantur, quæ est ipsissima præmotio physica, quam propugnamus.

Prob. 4.° Causæ secundæ se habent respectu Dei tanquam causæ instrumentales: etenim « sub Deo, inquit D. Thomas, (1) qui est primus intellectus, et volens, ordinantur omnes intellectus et voluntates, sicut instrumenta sub principali agente;» sed causa instrumentalis non agit nisi ut prævie mota, et applicata ad operandum a causa principali, ut apparet v. g. in manu, quæ actu non pingit, nisi prius naturæ ordine a voluntate moveatur, appliceturque ad pingendum: ergo causæ secundæ nihil actu possunt operari absque prævia motione, et applicatione ex parte Dei (2).

(1) *Sum. cont. Gent.*, lib. 3.°, cap. 97.

(2) Hanc rationem præsertim profero propter eos qui, lucem in tenebras vertere conantes, non verentur asserere D. Thomam, solum concursum simultaneum, non vero physicam præmotionem amplecti. Ex laudatis quippe verbis Ang. Doct. sive ea veritatem contineant, sive non, apertissime sequitur, ipsum præmotionem docere, cum impossibile sit, præsertim juxta ejusdem theoriam de causis instrumentalibus, instrumentum quidquam agere absque prævia motione et applicatione causæ principalis. Id, ut omittam sexcenta plus minus esse loca, in quibus præmotionem docet, imo etiam eadem argumenta sibi objicit, quæ objicere solent asseclæ concursus simultanei. Itaque, quod hi physicam præmotionem rejiciant et oppugnent, nihil cunctor; cuique liberum est opinionem sibi probabilem amplecti et tueri; sed æquo animo ferre non possum eos, quidum præmotionem rejiciunt, D. Thomam in suam sententiam vel invitum trahere, et pertrahere, conantur. Qua sane in re, Molina, quidamque alii ex ejus discipulis, honestius et dignius agunt, dum ingenue fatentur, se in re hac, a D. Thoma discedere.

Corollaria:

1.m Ergo proprius effectus præmotionis physicæ est complere et actuare vim agendi causæ creatæ, ipsamque applicare ad operationem.

2.m Ergo id quod a Deo producitur et attingitur per præmotionem, est ipsa actualis operatio, seu entitas actionis.

3.m Ergo si qui defectus hanc entitatem actionis comitantur, eos non Deo præmoventi, sed potius causæ secundæ tribuere oportet.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Physica præmotio conciliari nequit cum hominis libertate: ergo. Prob. ant. Hominis libertas consistere nequit, nisi possit seipsum determinare ad operandum; atqui si a Deo præmovetur, non seipsum determinat, sed a Deo determinatur ad agendum: ergo.

Resp. Neg. ant. Ad prob. disting. maj. Nisi possit, etc. *vel tanquam agens primum, vel tanquam agens proximum*, conc. *tanquam agens primum*, neg. Et ad min. Non seipsum determinat *in ratione agentis primi*, conc. *in ratione agentis secundi*, neg. Sicut ipsi concursus simultanei propugnatores, qui argumentum hocce objiciunt, fatentur quod idem effectus totus est a Deo tanquam a primo agente, et totus etiam a causa creata tanquam a secundo agente, ita et dici potest, quod dum homo operatur præmotus a Deo, non seipsum determinat sub ratione primi agentis, sub hoc enim respectu determinatur a Deo; seipsum tamen determinat sub ratione secundi agentis. Nec enim ad hoc quod aliquid dicatur et sit determinans seipsum, opus est ut seipsum *primo* determinet, sicut nec ad hoc quod aliquid vere dicatur et sit

causa efficiens, opus est ut sit *prima* causa efficiens. Idque eo vel maxime quia ut habet D. Thomas, (1) «Deus operatur in omnibus, ita tamen quod in unoquoque secundum ejus conditionem; unde in rebus naturalibus (ex necessitate naturæ operantibus) sicut ministrans virtutem agendi, et sic determinando naturam ad talem actionem: in libero autem arbitrio hoc modo agit, ut virtutem agendi ministret, et ipso operante, liberum arbitrium agat.» Nempe, homines, dum a Deo præmoventur, *aguntur*, *ut agant*, inquit D. Augustinus, *non ut ipsi nihil agant.*

Inst. Indifferentia est de ratione libertatis; sed physica præmotio tollit indifferentiam: ergo tollit libertatem.

Resp. Dist. maj. *Indifferentia potentialis*, neg. *actualis*, conc. Et similiter ad min. Tollit indifferentiam *potentialem*, conc. *actualem*, neg. Indifferentia potentialis est facultas ponendi aliquem actum simul cum suspensione, vel privatione omnis actus. Sic dum ego habens facultatem, vel potentiam amandi, vel odio habendi Petrum, neutrum tamen actum elicio, habeo indifferentiam potentialem quoad amorem, vel odium Petri. At indifferentia *actualis* est positio unius actus cum potentia ad oppositum; sic dum odio habeo Petrum, habeo indifferentiam actualem, quia sic hunc actum elicio, ut simul retineam potentiam ad amandum. Hæc posterior sufficit ad libertatem, ut patet; secus enim, quotiescumque homo se determinaret ad hunc, vel illum actum ponendum, libertatem amitteret.

Objic. 2.° et simul inst. Ille qui ex præmotione, et sub præmotione aliquid operatur, non retinet potentiam ad oppositum: ergo. Prob. ant. Præmotus ad amandum non

---

(1) *Sent*, lib. 2.°, dist. 25, q. 1.ª, art. 1.°, ad 3.m

potest odire; ergo, non retinet potentiam ad oppositum, nec proinde actualem indifferentiam.

Resp. Neg. ant. Ad prob. dist. ant. Non potest odire *in sensu composito*, hoc est, non potest componere, vel conjungere præmotionem ad amorem cum actu odii, conc.: quia dum homo supponitur præmotus ad amandum, simul supponitur seipsum libere determinare ad amandum: *in sensu diviso*, hoc est, dum actu amat, et sub motione Dei, non retinet potentiam ad oppositum, neg. Tota æquivocatio oritur ex eo quod præmotio Dei concipiatur tanquam quid fatale et cæcum, necessitatem voluntati inferens; cum e contra concipienda sit tanquam motio cum qua, et sub qua voluntas in suo ordine, seu tanquam agens secundum, seipsam libere determinat, et potentiam retinet ad oppositum, quando libuerit. Unde merito D. Thomas: (1) « Deus movet immutabiliter voluntatem propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non potest; sed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed manet libertas.

Objic. 3.° Libertas definitur: *Facultas qua, positis omnibus prærequisitis ad agendum, voluntas potest agere, et non agere;* sed posita præmotione voluntas jam non potest agere, et non agere: ergo.

Resp. Dist. maj. *Et hæc definitio convenit libertati potentiali, seu in actu primo*, conc.: *libertati actuali, vel in actu secundo*, neg.

Supponamus nullam dari præmotionem, sed hominem solum se ipsum determinare: supponamus deinde hunc hominem se ipsum efficaciter determinare ad diligendum Petrum; posita hac determinatione, hic

(1) *De Malo*, q. 6.ª, art. un. ad 3.m

homo jam non potest agere, et non agere, cum determinatus sit ad agendum, actuque agat, et tamen dum actu agit, et diligit Petrum, non amittit, sed potius perficit libertatem. Ex hoc exemplo facile intelliges sensum distinctionis, et quo sensu sit vera objecta definitio libertatis.

Inst. Repugnat quod voluntas humana se ipsam libere determinet, si ab altero prævie, et physice moveatur ad agendum: ergo.

Resp. Dist. ant. *Si ille alter sit aliquid creatum, ac finitam efficaciam habens*, conc. *Si habeat vim omnipotentem ac efficaciam infinitam, et universalissimam*, neg. Itaque, ideo Deus voluntatem præmovens, ejus libertatem non lædit, quia Dei virtus, utpote infinita, ejusdemque causalitas, utpote efficacissima, attingere, ac producere potest, non solum substantiam et entitatem, sed *modum* quoque actus, ac proinde libertatem, qui est veluti modus respectu actus voluntatis. Namque, ut aptissime habet D. Thomas, «cum voluntas divina sit efficacissima, non solum sequitur quod fiant ea quæ Deus vult fieri, sed quod eo modo fiant, quo Deus ea vult fieri.»

Atque hæc est ultima resolutio hujus magnæ controversiæ, ac veluti clavis fundamentalis pro solutione omnium argumentorum: ea quippe omnia directe, vel indirecte, ac per varios anfractus et circuitus, ad eam solutionem finaliter deveniunt, ut dicatur præmotionem physicam ideo libertatem hominis non lædere, quia vis activa Dei, utpote infinita, efficacissima, atque universalissima, extenditur et ad substantiam, et ad modum actus voluntatis; ita ut dum voluntatem movet, ejus libertatem potentialem perficiat, et veluti actuet, producendo in eadem libertatem actualem, vel usum libertatis.

Objic. 4.° Si Deus præmovet ad operandum, esset

auctor peccati, quod repugnat; ergo. Prob. ant. Qui movet, et applicat ad actionem malam, est auctor peccati: sed Deus in hypothesi præmotionis, moveret et applicaret ad actionem malam: ergo.

Resp. 1.° Argumentum hocce eadem ratione solvendum esse ab asseclis concursus simultanei, quorum tamen quidam illud contra præmotionem objiciunt, quasi cooperatio Dei cum causa secunda ad actionem malam, non ferat secum idem inconveniens, quod objiciunt contra præmotionem.

Resp. 2.° Neg. ant. Ad prob. dist. maj. Ad actionem malam, *ut mala est*, conc.: *quoad ipsam entitatem actionis*, neg.

Et ad min. applic. ead. dist. In actione moraliter mala duo sunt: *malitia moralis*, atque præterea *actio ipsa*, seu entitas physica actionis. Prima, utpote mera privatio rectitudinis, vel ordinis moralis, non requirit causam efficientem, sed potius *deficientem*, ac proinde in solam causam secundam refundi potest, quæ defectibilitati est obnoxia, minime vero causæ primæ, quæ nulli defectibilitati potest subesse. Præmotio igitur Dei, qua Dei, actionem moraliter malam attingit quoad entitatem actionis, quæ bona est bonitate metaphysica seu transcendentali, non vero quoad malitiam moralem, quæ ipsi conjungitur ad eum fere modum quo motus tibiæ curvæ ab anima tanquam ab efficienti causa procedit; claudicatio vero, seu defectus rectitudinis motus, non ab anima, sed a defectuosa dispositione tibiæ originem ducit.

INDEX

VOLUMINIS SECUNDI.

LIBER QUARTUS.

METAPHYSICA GENERALIS SEU ONTOLOGIA.

CAPUT PROEMIALE IN UNIVERSAM METAPHYSICAM.

	Pags.
§ 1. Metaphysicæ nomen, origo et notio generalis. . .	3
§ 2. Metaphysicæ objectum, divisio, nomina.	7
§ 3. Metaphysicæ ratio et attributa.	9
§ 4. Metaphysicæ dignitas et utilitas.	10

ONTOLOGIA.

CAPUT. I. De ente ac ejusdem principiis. 12

Art. 1. De notione entis. – Communis notio et denominatio entis. – Significata ejusdem. – Thesis 1.ª – *Ens, si nominaliter sumitur, constituit prædicatum essentiale rerum omnium; si vero sumatur per modum participii, nonnisi de Deo essentialiter prædicatur.* – Thesis 2.ª – *Ens, nec est genus logicum, nec contrahitur ad inferiora per differentias logicas, sed per modos exprimendi realitatem et essentias rerum.* – Corollaria. – Solvuntur objectiones. – Scholium circa ontologismum. id.

Art. 2. De principiis constitutivis entis. – Principia *compositionis* et principia *cognitionis*.. 20

§ 1. De actu et potentia. – Quid nomine actus et potentiæ. – Quomodo Deo et creaturis conveniat ratio actus. – Dupliciter actus dici potest admixtus potentiæ. – Præcipuæ divisiones actus et potentiæ. – Thesis 1.ª – *Omne ens creatum constat actu et potentia.* – Thesis 2.ª – *Existit in creaturis potentia passiva obedientialis quoad actus naturæ vires excedentes, sive quoad effectus supernaturales.* – Solvuntur objectiones. . . 21

§ 2. De essentia et existentia. – Ens quatenus concretum ex essentia et esse. – Notio essentiæ in communi et variæ ejusdem definitiones. – Essentia physica et essentia metaphysica. – Proprietates vel attributa essentiæ. – Difficultas cognoscendi rerum essentias. – Thesis 1.ª – *Rerum essentiæ immutabiles sunt, si in seipsis seu secundum se spectentur.* – Thesis 2.ª – *In rebus creatis essentia realiter distinguitur ab existentia.* – Solvuntur objectiones.. 26

§ 3. De supposito et subsistentia. – Notio subsistentiæ ejusque declaratio. – Quid nomine suppositi et personæ. – Thesis 1.ª – *Subsistentia realiter distinguitur a natura, quæ in ea et per eam subsistit.* – Thesis 2.ª – *Subsistentia non in mera negatione, sed in entitate vel actualitate positiva consistit.* – Solvuntur objectiones. – Scholium circa opinionem Locke quoad personalitatem humanam. 39

Art. 4. De principiis cognitionis entis. – Varia genera propositionum et judiciorum. – Primum principium cognitionis triplici sensu potest accipi. – Nullum datur in nobis principium primum transcendentale veritatis seu cognitionis. – Opinio Kant circa judicia synthetica *a priori*. – Thesis 1.ª – *Judicia synthetica* a priori, *ad sensum Kant, sunt prorsus rejicienda.* – Thesis 2.ª – *Primum principium, tum demonstrationis, tum præsuppositionis, est principium contradictionis.* – Corollarium. – Solvuntur objectiones. – Scholium circa opinionem Rosmini quoad judicia *primitiva*.. 46

Caput II. De proprietatibus entis. 56
Art. 1. De proprietatibus entis in genere. – Quinque proprietates entis assignantur. – Harum collatio inter se et cum ente. – Sunt relationes rationis. . . . . id.
Art. 2. De unitate, identitate et distinctione. – Notio et ratio unitatis. – Unitas *transcendentalis* et unitas *numerica*. – Unitas *simplicitatis* et unitas *compositionis*. – *Unum per se* et *unum per accidens*. – Notio identitatis. – Ejusdem divisio et genera. – Distinctio. – Realis et rationis. – Substantialis, accidentalis et modalis. – Distinctio rationis ratiocinatæ et rationis ratiocinantis. 57
Art. 3. De veritate. – Verum transcendentale seu metaphysicum. – Nihil addit enti nisi relationem rationis. – Quo sensu convertatur cum cognoscibilitate rei. – Corollaria. – Verum triplici ratione potest definiri.. . . 62
Art. 4. De bono et perfecto. – Notio boni in genere. – Bonitas transcendentalis et bonitas actualis. – Bonum verum et bonum apparens. – Boni divisiones. – Perfecti notio seu definitio. – Perfectio essentialis et perfectio accidentalis. – Perfectio *virtutis* et perfectio *finalis*. – Perfectio simplex et mixta. – Perfectio formalis, virtualis et eminens. – Corollarium. 66
Art. 5. De pulchro. – Notio pulchri. – Quo sensu identificatur cum bono. – Superaddit bono ordinem ad facultatem cognoscitivam. – Ratio formalis seu essentia pulchri. – Pulchrum absolutum et relativum. – Pulchritudo sensibilis et pulchritudo spiritualis. – Facultas pulchri exsurgit ex intellectu et imaginatione. – Sensio pulchri. – Notio *sublimis*. – Rejicienda notio pulchri quam Gioberti tradit. – Exponitur theoria summaria pulchri. – Pulchrum quatenus effectus hominis esse potest. – Notio, definitio, et munera æstheticæ. . . . 69
Art. 6. De Malo. 76
§ 1. Notio et divisio mali. – Malum sumi potest *concrete* et *formaliter*. – Notio mali *formaliter* accepti. – Cujus boni sit privatio. – Bonum est causa mali, hoc tamen non habet causam *per se*. – Malum physicum et malum

morale. – Rejicitur opinio Leibnitz circa malum metaphysicum. 76
§ 2. Error Manichæorum et Bayle circa originem mali refellitur. – Thesis. – *Repugnat dari primum aliquod principium quod sit summe malum.* – Solvuntur objectiones. 79
Caput III. De causis entis. . . . . id.
Art. 1.° Generalis notio ac divisio causæ. – Notio causæ in genere ejusque discrimen a principio. – Præcipuæ conditiones ad rationem causæ requisitæ. – Quatuor causarum genera, nempe, causa *materialis*, *formalis*, *efficiens* et *finalis*. – Causa instrumentalis et causa exemplaris. – Quid requiratur ad rationem instrumenti. – Comparatio causarum tum ad invicem tum prout effectum respiciunt. . . . . id.
Art. 2. De causa efficiente. 90
§ 1. Causa efficiens prout *in actu primo* et prout *in actu secundo*. – Nec successio nec sola connexio sufficiunt ad rationem causæ efficientis. – Notio et definitio causæ efficientis. – Exponitur origo notionis causæ et principii causalitatis. – Occasionalismus. – Thesis 1.ª – *Substantiæ spirituales creatæ virtute activa donantur, suntque proinde vere et proprie causæ efficientes.* – Thesis 2.ª – *Corpora etiam agendi vi prædita sunt, veramque rationem causæ efficientis obtinent.* – Solvuntur objectiones. . . . . id.
§ 2. De causalitate causæ efficientis. – Quotuplex assignari possit principium operationis causæ efficientis. – Thesis 1.ª – *Principium quo radicale agendi in substantiis corporeis est forma substantialis.* – Thesis 2.ª – *Principium quo proximum vel immediatum actionis in substantiis creatis, non est ipsa essentia vel substantia, sed potentiæ seu vires activæ, quæ ab ipsa realiter distinguuntur.* – Solvuntur objectiones. 98
§ 3. De divisione causæ efficientis. – Causa *per se* et causa *per accidens*. – Causa principalis et causa instrumentalis. – Causa prima et causa secunda. – Causa universalis et causa particularis, æquivoca et univoca. – Causa adæquata et causa inadæquata. – Causa

libera et causa necessaria. – Causa physica et causa moralis. 105
Art. 3. De causa finali.. 107
§ 1. De notione et causalitate causæ finalis. – In quo sita sit causæ finalis causalitas tam *in actu primo* quam *in actu secundo*. – Causa finalis habet rationem veræ causæ. – Apprehensio finis est conditio *sine qua non* causalitatis ejusdem. – Triplex modus agendi propter finem. – Definitio causæ finalis. . . . . id.
§ 2. De existentia causæ finalis. – Opinio Spinozæ et Robinet. – Thesis 1.ª – *Agentia intellectualia operantur propter finem directive, atque Deus ipse in operibus ad extra propter finem agit.* – Corollaria. – Thesis 2.ª – *Non solum bruta, sed agentia pure naturalia agunt propter finem suo quæque modo.* – Solvuntur objectiones. – Scholium circa casum, fortunam, et fatum. . . 110
Caput IV. De præcipuis speciebus entis.. 117
Art. 1. De ente finito et infinito.. . . . . id.
§ 1. Expenduntur notiones entis finiti et infiniti. – Existentia hujus notionis. – Notio infiniti ex tribus exurgit conceptibus. – Refellitur opinio Locke circa originem hujus notionis. – Infinitum categorematicum et infinitum syncategorematicum. – Notio finiti coalescit ex conceptibus entis et limitis. – Refellitur opinio Cartesii quoad originem notionis finiti. . . . . id.
§ 2. De possibilitate entis creati infiniti. – Thesis 1.ª – *Repugnat ens creatum quod sit infinitum secundum essentiam.* – Thesis 2.ª – *Repugnat magnitudo seu extensio actu infinita.* – Thesis 3.ª – *Repugnat etiam multitudo actu infinita.* – Corollarium. – Solvuntur objectiones. – Scholium circa gradum certitudinis prædictarum thesium. 120
Art. 2. De ente possibili et impossibili. – Quid intelligatur nomine possibilis. – Possibilitas potest esse vel interna vel externa. – Utriusque notio. – Triplex genus possibilitatis externæ. – Possibilitas interna nec ex nostro intellectu nec ex rebus existentibus pendet. – Opiniones variæ circa naturam possibilitatis internæ. –

Thesis 1.ª - *Possibilitas interna rerum non pendet ex libera Dei voluntate.* - Thesis 2.ª - *Possibilitas interna rerum fundamentum habet in intellectu Dei ac divina essentia.* - Corollaria. - Thesis 3.ª - *Res interne possibiles nullum esse in seipsis habent distinctum vel independens ab esse divino.* - Solvuntur objectiones. - Scholium circa scientiam *visionis* et scientiam *simplicis intelligentiæ* in Deo. 128

Art. 3. De ente substantiali et accidentali. 144

§ 1. De substantia. - Notio communis substantiæ, hujusque notionis origo. - Substantiæ notio præter permanentiam inter mutationes accidentales, complectitur facultatem existendi in se et per se. - Relatio vel comparatio inter substantiam finitam et accidentia. - Notionem incompletam substantiæ habemus. - Idea substantiæ apud nos, duo elementa complectitur. - Non possumus substantiam definire propria et adæquata definitione. - Exponitur ac declaratur definitio seu descriptio substantiæ. - Habemus veram aliquam notionem substantiæ. - Refellitur opinio Locke circa naturam substantiæ. - Quo sensu ratio et notio substantiæ Deo conveniat. - *Ens per se* varie et multipliciter accipi potest. . id.

§ 2. De accidentali ente. - Notio communis accidentis. - Alia sunt absoluta, alia modalia. - Extensio vel quantitas præcipuum locum obtinet inter accidentia corporum. - Opinio veteris et novæ philosophiæ quoad distinctionem accidentium a substantia. - Thesis 1.ª - *Dantur accidentia quæ a substantiis creatis quibus insunt, realiter distinguuntur.* - Thesis 2.ª - *Non repugnat absolute accidentia quædam existere sine subjecto, ac proinde quod a Deo hac ratione conserventur.* - Solvuntur objectiones. 153

LIBER QUINTUS.

METAPHYSICA SPECIALIS.

METAPHYSICÆ SPECIALIS PARS PRIMA.

COSMOLOGIA.

NOMEN, DEFINITIO ET DIVISIO COSMOLOGIÆ.

CAPUT I. De Mundo in genere. 469
Art. 1. De distinctione mundi a Deo. . . . . id.
§ 1. Notiones præviæ ac opiniones philosophorum. – Quid pantheismi nomine significetur. – Origo generalis pantheismi. – Pantheismus emanatista, pantheismus realisticus, et pantheismus idealistarum. – Pantheismus Persarum. – Stoicorum. – Neoplatonicorum. – Cousin. – Pantheismus Spinozæ. – Theoria Cousin qua ex parte pantheismo realistæ accedit. – Pantheismo idealistæ ex toto vel ex parte adhærent Boudhistarum schola. – Plotinus. – Pantheismus Fichte. – Theoria Schelling. – Hegel. – Præcipua corollaria pantheismi. . . . . id.
§ 2. De pantheismo hegeliano. – Exponitur systema pantheisticum Hegel quoad præcipua capita. – Qua ratione constituatur et existat vita Dei juxta Hegel. – Quid sit creatio juxta ejusdem systema. – Hegelianum systema scepticismum quoque et nihilismum involvit. – Moralem ordinem penitus subvertit. – Ejusdem consectaria practica. 483
§ 3. De pantheismo quoad identificationem substantiæ divinæ et mundanæ. – Principium fundamentale pantheismi. – Thesis 1.ª – *Absurda est identitas substantialis Dei et mundi, quam tueri solet pantheismus.* – Thesis 2.ª – *Absurdus est quoque pantheismus, prout a re-*

centioribus sub varia forma proponitur. – Pantheismus Spinozæ. – Idealismus Fichte. – Pantheismus objectivus Schelling. – Scholium circa pantheismum quorundam recentiorum. – Solvuntur objectiones. 193

Art. 2. De origine mundi. 286

§ 1. De notione creationis. – Doctrina D. Thomæ circa creationem. – Discrimen inter creationem et alias actiones. – Gradus fundamentales entium creatorum. – Omnia primo incipiunt per creationem. – Proponitur et declaratur definitio creationis. – Creatio est actio ita propria Dei, ut nulli creaturæ conveniat. – Proprius effectus creationis, qua talis, est *esse simpliciter*. – Creatione producitur tota rei substantia. – Creandi vis nulli creaturæ potest communicari. – Idea christiana creationis nihil commune habet cum idea creationis, quam modernus ecclectismus docet. – Rejicitur opinio Cousin circa necessitatem creationis. – Quid sentiendum circa cognoscibilitatem creationis viribus rationis humanæ. . . . . id.

§ 2. De mundi origine per creationem. – Veterum philosophorum opiniones quoad mundi originem. – Thesis 1.ª – *Mundus originem ducere non potuit ex materia non facta et a se existente.* – Thesis 2.ª – *Nec minus absurdum est dicere, mundum ex Dei substantia emanavisse.* – Thesis 3.ª – *Mundus per solam creationem ex nihilo ab omnipotenti Deo perfectam oriri potuit.* – Corollaria. – Scholium circa creationem mundi ex tempore et cum tempore. – Solvuntur objectiones. 213

Caput II. De principiis primis corporum. 220

Art. 1. Exponuntur præcipua philosophorum systemata circa prima principia corporum. – Systema atomisticum. – Systema dynamicum. – Opinio Leibnitz. – Sententia Kant. – Theoria Boscowich. – Systema atomistico-dynamicum. – Systema scholasticum, seu materiæ et formæ. – Notio et existentia mutationis substantialis in rebus creatis. – Subjectum hujus mutationis atque ejusdem conditiones. – Descriptio hujus subjecti mutationis substantialis, seu *materiæ primæ*, ut ajebant Scho-

lastici. – Præfata materia prima nullam formam substantialem ex se habet. – Dici potest *homogenea* negative. – Qua ratione et quo sensu *privatio* dicebatur principium corporum apud veteres. – Necessitas formæ substantialis pro mutatione substantiali corporum concipienda. – Notio et conditiones formæ substantialis. – Descriptio ejusdem. – Forma substantialis dat *esse simpliciter* seu primum. – Non producitur per creationem sed per eductionem ex potentia materiæ. – Quid sit formam educere ex potentia materiæ. – Forma substantialis dicitur *actus primus materiæ* triplici præsertim ratione. – Quid intelligatur nomine *compositi substantialis*. – Quid sibi velit Scholasticorum effatum: *esse compositi substantialis est unum simpliciter*. 220

Art. 2. Expenduntur tria priora systemata. – Thesis 1.ª – *Systema atomisticum insufficiens est ac ineptum ad explicanda prima principia essentialia corporum*. – Thesis 2.ª – *Rejiciendus quoque Dynamismus ut insufficiens pro explicanda corporum essentiali constitutione*. – Thesis 3.ª – *Rejicere quoque oportet ut insufficiens systema atomistico-dynamicum*. – Scholium circa chimicorum sententiam de re hac. 231

Art. 3. Expenditur systema scholasticum. – Thesis 1.ª – *Scholasticum systema, prout supra expositum est, rationabilius præ ceteris explicat corporum prima principia et essentialem constitutionem*. – Thesis 2.ª – *Admittenda est in corporibus substantialis generatio*. – Quid intelligatur nomine generationis substantialis. – Existentia generationis substantialis necessarium obtinet nexum cum existentia novæ substantiæ. – Corollaria notanda quoad diversos terminos generationis substantialis. – Corruptio substantialis. – Scholium erga utilitatem cognoscendi systema scholasticum circa prima corporum principia. – Solvuntur objectiones. 235

Caput III. De præcipuis corporum affectionibus. 257

Art. 1. De quantitate seu extensione. – Prædicata insigniora quæ substantiæ competunt ratione quantitatis. – Quantitas non constituit essentiam substantiæ corpo-

reæ. – Materia prima ratio et radix extensionis. – Thesis. – *Distributio in partes integrantes, seu positio unius partis extra aliam essentiam quantitatis constituit.* – Distributio in partes actuales substantiæ congruit ratione quantitatis. – Totum quantitativum discriminatur a toto substantiali. – Corporum impenetrabilitas impediri potest virtute divina. – Exponitur summatim modus quo Christi Corpus in Eucharistia existit. – Assignatur ratio prædictorum. – Scholium circa divisibilitatem materiæ. – Solvuntur objectiones. 258

Art. 2. De motu. – Sententia veterum Scholasticorum circa objectum Physicæ. – Nomen *natura* multiplices ac diversas significationes obtinet. – Natura prout est principium motus. – Triplex significatum vel acceptio motus. – Refellitur opinio Cartesii et cartesianorum circa motum. – Motus est accidens ab essentia corporis realiter distinctum. – Corpus non potest in aliud corpus agere nisi eidem mediate vel immediate conjungatur. – Effatum Scholasticorum: *movens et motum oportet esse simul.* – Terminus *a quo* et terminus *ad quem* motus. 268

Art. 3. De tempore. – Notio durationis. – Quid circa distinctionem durationis a re durante. – Triplex genus entis quoad permanentiam in esse. – Æternitas, ævum, tempus, ipsorumque notio. – Definitio temporis, atque ejusdem declaratio. – Tempus non distinguitur realiter a motu. – Nihil temporis præsens existit nisi indivisibile instans, nec ullum datur tempus proprie præsens. – Corollaria. 273

Art. 4. De spatio. – Spatium non ipsa Dei immensitas. – Spatia quæ concipiuntur sive extra mundum, sive in loco actualis mundi antequam produceretur, nullam realitatem habent. – Spatium nec est substantia nec ens incorporeum dimensionibus spatialibus præditum. – Spatium in seipso identificatur cum dimensionibus corporum. – Spatium *particulare*, spatium *universale*, spatium *infinitum*, spatium *imaginarium*. – Spatium, si *formaliter* accipiatur, nihil reale est. 279

Caput IV. De legibus naturæ ipsarumque derogatione. . 284
Art. 1. De notione et existentia legum naturæ. - Quid intelligatur naturæ nomine. - Lex naturæ. - Ordo naturæ. - Cursus naturæ. - Thesis. - *Existunt leges naturæ, ad quarum normam substantiæ creatæ constanter operantur.* 284
Art. 2. De derogatione legum naturæ seu possibilitate miraculi. - Quinam dicantur effectus naturales. - Theoria D. Thomæ circa naturam et causam miraculi. - In quo conveniant, et discriminentur *miraculum* et *effectus mirabilis*. - Non sufficit ad rationem miraculi, quod hujus causa sit utcumque homini ignota vel occulta. - Requiritur ad rationem miraculi, quod effectus producatur insolita ratione. - Definitio miraculi. - Observatio circa effectum *miraculosum*. - Triplex genus miraculorum, sive miracula *quoad substantiam*, miracula *quoad subjectum*, miracula *quoad modum*. - Collatio inter præfata miracula in seipsa, et quoad nos spectata. - Quid sentiendum de existentia miraculi, dum spectatur in communi, vel in particulari casu. - Thesis. - *Miracula sunt possibilia*. - Solvuntur objectiones. . . . 286
Art. 3. De magnetismo animali seu mesmerismo. . . . 301
§ 1. Notio, divisio ac phænomena magnetismi animalis. - Quid magnetismi nomine intelligatur. - Magnetismus *vulgaris*. - Magnetismus *transcendentalis*. - Magnetismus *hypnoticus*. - Magnetismi varia phænomena. - Phænomena mechanica. - Phænomena physiologica. - Phænomena cognoscitiva. - Phænomena *transcendentalia*. - Quid nomine *medii* in phænomenis magneticis. 302
§ 2. Sententiæ pro explicandis phænomenis magnetismi animalis. - Theoria negationis phænomenorum. - Theoria fluidorum. - Theoria imaginationis. - Theoria animæ sive *animismus*. - Spiritismus et spiritualismus. . . . 309
§ 3. Judicium de præfatis sententiis, atque de vera phænomenorum magnetismi origine et causa. - Rejicitur theoria negationis. - Oppugnatur theoria fluidorum. - Quid sentiendum de theoria imaginationis. - Reffellitur

theoria spirituum, quatenus includit *spiritismum*. - Quid sentiendum de theoria *spiritualismi*. - Exponitur summatim nostra sententia circa existentiam, naturam et causas phænomenorum magnetismi. - Praxis magnetismi illicita, ut plurimum, est habenda. - Scholium circa necessitatem et rationem procedendi in discussione magnetismi, atque circa ejusdem pericula. 313

Caput V. De corporibus vita præditis. 320

Art. 1. De vitæ notione et gradibus. - Distinctio viventium a non viventibus. - Ratio seu notio communis vitæ. - Definitio vitæ ejusque declaratio. - Conditiones quatuor quæ ad vitam requiruntur. - Gradus vitæ: finis, forma et executio operationis vitalis. - Vita vegetativa, sensitiva et intellectiva. - Quatenus constituunt tres gradus fundamentales vitæ. - Corollaria. . . . id.

Art. 2. De vitæ principio. - Assignare oportet rationem sufficientem discriminis viventium a non viventibus, simulque primum aliquod principium functionum vitalium, quod idcirco *principium vitale* aut *anima* appellatur. - Scholasticorum opiniones variæ circa naturam principii vitalis. - Recentiorum opiniones: Jatromathematici. - Jatrochimici. - Vitalistæ. - Antivitalistæ. - Materialistæ. - Thesis 1.ª - *Principium vitale est aliquid essentiale viventibus*. - Thesis 2.ª - *Principium vitale a viribus physicis et chimicis discriminatur, iisdemque superius exístit*. - Thesis 3.ª - *Principium vitale in viventibus est ipsa viventis forma substantialis*. - Thesis 4.ª - *In quolibet vivente non est nisi unicum vitale principium*. - Corollaria. 325

Art. 3. De viventibus vegetalibus. - Quid sit vegetalium vita essentialiter spectata. - Definitio principii vitalis plantarum, atque hujus definitionis declaratio. - Triplex vegetalium potentia seu facultas, nempe, potentia nutritiva, augmentativa et generativa. - Quid sentiendum de opinione recentiorum physiologorum, qui duas tantummodo potentias vegetalibus assignant. - Vegetalium præcipuæ functiones: Absortio. - Circulatio. - Digestio. - Respiratio. - Exhalatio. - Assimilatio. - Pro-

ductio florum. – Fœcundatio. – Germinatio. – Compositio. – Discrimen ab animalibus. – Plantæ carent facultate sentiendi. – Finis proximus et finis mediatus plantarum. – Rejicitur existentia viventium vegeto-animalium. 335

Art. 4. De anima brutorum. – Difficultas quæstionis et varietas opinionum. – Præter substantias completas admittere oportet substantias incompletas sive corporeas sive spirituales. – Entitas substantialis subsistens et non subsistens. – Thesis 1.ª – *Bruta animantia intellectu et voluntate proprie dicta seu libera, carent.* – Thesis 2.ª – *Prorsus rejicienda est opinio quæ statuit brutorum animam nonnisi intellectu et voluntate a rationali differre.* – Solvuntur objectiones. 341

Art. 5. De functionibus et potentiis vitalibus animalium. – Animalium sanguis hujusque circulatio. – Calor animalium. – Sensus communis in animalibus reperitur. – Reperitur quoque imaginatio. – Quid sit æstimativa in animalibus. – Memoria sensitiva. – Appetitus sensitivus prout in animalibus. – Facultas locomotiva. 353

LIBER SEXTUS.

THEODICEA.

Caput I. De existentia Dei. 362

Art. 1. De possibilitate ac necessitate demonstrationis existentiæ Dei. – Athei dogmatici, athei negativi et athei practici. – Philosophorum opiniones circa possibilitatem demonstrationis existentiæ Dei. – Quid Cartesius et ontologi circa necessitatem demonstrationis existentiæ Dei. – Thesis 1.ª – *Possibile est Dei existentiam demonstrare a posteriori seu per creaturas.* – Thesis 2.ª – *Dei existentia non est per se nota quoad nos ac proinde aliqua ratione demonstrari indiget.* – Solvuntur objectiones. . . . . id.

Art. 2. De demonstratione existentiæ Dei. – Thesis. – *Existit Deus.* – Quid intelligatur nomine Dei. – Posse existere et actu existere identificantur in Deo. – Nulla limitatio esse potest in ente necessario. – Argumentum metaphysicum pro existentia Dei. – Argumentum physicum. – Argumentum morale. – Corollaria. – Solvuntur objectiones. 369

Caput II. De essentia Dei. 379

Art. 1. De ratione investigandi essentiam divinam. – Difficultas hujus quæstionis. – Ad essentiam Dei investigandam assurgimus via remotionis et via analogiæ. – Attributa divina diversis conceptibus nostri intellectus respondent. – A divina essentia atque etiam invicem distinguuntur distinctione rationis. – Duplex fundamentum hujus distinctionis. – Essentia Dei spectari potest tum *physice* tum *metaphysice*. . . . . id.

Art. 2. In quo posita sit essentia Dei. – Thesis. – *Dei essentia metaphysice spectata constituitur per esse a se.* – Solvuntur objectiones. 382

Caput III. De attributis Dei absolutis. 384

Art. 1. De unitate et simplicitate Dei. – Deus ens necessarium, summe perfectum, et infinitum. – Unum *affirmative* et unum *negative*. – Errores circa Dei unitatem. – Thesis. – *Deus necessario unus seu unicus existit.* – Corollarium. 385

Art. 2. De immutabilitate ac æternitate Dei. – Thesis 1.ª – *Deus est omnino immutabilis.* – Æternitas quadruplici sensu accipi potest. – Definitio æternitatis proprie acceptæ juxta Boetium, ejusdemque sensus. – Difficultas assurgendi ad veram ideam æternitatis. – Thesis 2.ª – *Deus est æternus æternitate, sive stricte, sive strictissime sumpta.* – Solvuntur objectiones. – Scholium circa diversa genera perfectionum, atque circa modum quo in Deo reperiuntur. 388

Art. 3. De intellectu et voluntate Dei. – Deus intelligentia gaudet. – In Deo idem est esse et intelligere. – Gaudet quoque summa intelligibilitate. – Deus seipsum et alia cognoscit immediate per ipsam suam essentiam. – Inte-

lligentia, objectum intellectum et species intelligibilis identificantur in Deo. – Objectum primum et adæquatum cognitionis in Deo est ipsa ejus essentia. – Corollaria. – Scientia *visionis* et scientia *simplicis intelligentiæ*. – Thesis. – *Futura contingentia et libera Deus certo novit; hæc tamen scientia seu præscientia, nec rerum contingentiam, nec hominis libertatem tollit.* – Solvuntur objectiones. 394

Art. 4. De voluntate Dei. – Inest Deo vera voluntas. – Velle et esse identificantur in Deo. – Quamvis Deus suam bonitatem necessario velit, alia tamen a se libere vel necessitate tantum hypothetica vult. – Objectum primarium divinæ voluntatis, atque objectum secundarium ejusdem. – Deus absoluta gaudet libertate quoad res finitas, ipsiusque libertas perfectior existit hominis libertate. 403

Caput IV. De attributis Dei relativis. 406

Art. 1. De omnipotentia et creatione. – Potentia passiva a Deo removenda, minime vero activa. – Posterior hæc summa et infinita in Deo reperitur. – Inest igitur Deo omnipotentia tum ex parte subjecti tum ex parte objecti. – Quædam quæ sunt possibilia absolute, a Deo produci nequeunt. – Possibilitas creationis necessarium nexum obtinet cum omnipotentia, existentia vero creationis nexum liberum. – Rerum creatio optime conciliatur cum existentia mali rebus creatis inhærentis. – Refellitur sententia Manichæorum circa existentiam summi mali quod sit principium malorum. . . . . id.

Art. 2. De Providentia Dei. – Quid providentiæ nomine intelligatur, atque ejusdem definitio. – Qua ratione in Deo existat ab æterno. – Thesis. – *Deus de omnibus ac singulis rebus providentiam gerit.* – Corollaria. – Solvuntur objectiones. 410

Art. 3. De influxu Dei in creaturas. 414

§ 1. Prænotiones ac definitiones circa Dei influxum in res creatas. – Conservatio et influxus causæ primæ in secundas. – Conservatio positiva et conservatio negativa. – Deus res in esse conservat conservatione positiva. –

Hæc conservatio identificatur cum actione creatrice ex parte Dei. - Opinio Durandi circa influxum mediatum.– Influxus immediatus perfici potest motione morali, motione physica et concursu simultaneo. - Qua ratione conveniant et discriminentur præfatæ species influxus.– Motio physica præcedit naturæ ordine operationem causæ creatæ. - Deus immediate influit in res creatas per concursum simultaneum. - Quo sensu accipiendus hic influxus Dei per concursum simultaneum. - Thesis. – *Deus physice etiam præmovet causas secundas ad operandum.* - Corollaria. - Solvuntur objectiones. 414

CORRIGENDA.

Pagina.	*Linea.*	*Dicit.*	*Legatur.*
30	4	facerere	facere
197	13	abversantibus	adversantibus
230	1	ac ad id invicem	ac ad se invicem
251	26	systheses	syntheses
300	ult.	naturalis	natura



395
100
G66
AUTHOR
Gonzalez
Philosophia Elementaria
TITLE
vol 3.

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709